EPISCOPVS

OPVS TRIPARTITVM

ETHICO-POLITICO-SACRVM

Non Præſulibus modò, ſed omnibus in Chriſtiana Republica Populorum Moderatoribus, Principum Conſiliarijs, Diuini Verbi Concionatoribus maximè accomodatum.

ALEXANDER SPERELLVS

EVGVBINVS ANTISTES

E COLLEGIO SVMMI PONTIFICIS THRONO ASSISTENTIVM

ITALICO SERMONE SCRIPSIT

HANNIBAL ADAMI

FIRMANVS E SOCIETATE IESV

Plurimis, & Maximis è Gallia, Hiſpania, Germania, Epiſcopis poſtulantibus *Idiomate Latino donabat*.



R O M Æ M. DC. LXX.

Ex Typographia, & Sumptibus Nicolai Angeli Tinaſſij.

SVPERIORVM PERMISSV.

REVERENDISSIMO PATRI MAGISTRO

F. IO. VINCENTIO LVCCHESINIO

TOTIVS ORDINIS SERVORVM

Vicario Generali Apostolico

meritissimo & S. Officij Qualificatori.

NICOLAVS ANGELVS TINASSIVS FOELICITATEM.

COGITANTI mihi, cui nam præcipuè nuncuparem hoc Opus egregium, vnus Tu præsertim statim occurristi, Reuerendissime Præsul, qui cum electus nuper sis à Sanctissimo Pontifice ad Supremam Tui Ordinis Pręfecturam, omnium plausibus celebraris, adeoque à me deuinctissimo Tibi singulari honore colendus es. Ipsum pariter Operis Argumentum multiplici nomine debetur Tibi; & quia de Sacris Præsulibus differit, quorum post obitum Magistratum Ordinis Tui futurus es ornamentum; & quia cũ Sacrum pariter, atq; Politicum, atq; Ethicum illud sit, illius præcipuè in manus deuolat, qui Sacras omnes Humanasque Scientias mente complectitur, & integerrimis moribus exhibet Præcepta omnia Sapientiæ, quæ referari ab Ethico Scriptore possint. Sapientiam certè Tuam admirata sunt Templa, & Academiæ, in quibus Diuini Verbi disertissimus Præco, & Regens Sacræ Theologiæ quamplurimos annos Italiam illustrasti. Prudentiæ verò, Religioni, Integritati, præter Ingenij dotes, perhonorificum tulere suffragium tres Sapientissimi Romani Pontifices Alexander VII. & vterque Clemens, cum Primus insigni Diplomate singularibus Te prærogatiuis ornauerit, Al-

ter supremi Tribunalis Sanctissimæ Inquisitionis Qualificatorem elegerit: Clemens verò X. quem fœlicissimè, & sanctissimè Regnantem adoramus, ad Præfecturam Ordinis Tui, non sine summo eiusdem Ordinis plausu, nuper euexerit. Quid ni ergo ominari liceat, maioribus Te honoribus honestandum, cum omnes Supremi Arbitri Sacræ Reipublicæ insolito fœdere ad conferenda tuæ Virtuti præmia conspirent? Porrò cum tanta sint ornamenta animi Tui, superuacaneum videri possit Tuæ familiæ præclarissimæ decora recensere. Infinitum certè propemodum sit ire per singulos Proauos, à quibus Indolem Egregiam hausisti. Prætermisso igitur Lucchesino, qui omnibus honorum insignibus auctus in Patria, opum etiam præstantia, & Vrbium Imperio floruit in Neapolitano Regno: Horatio, qui non suæ tantùm Vrbis, sed vniuersæ Hetruriæ splendor fuit: Saluatore, qui ad Supremum fermè Regimen Gallici Exercitus virtutis merito elatus est: Iacobo, qui Generalis suæ Reipublicæ Dux præfuit bello, quod sub initium huius Seculi agitauit: alijsque quamplurimis Pacis, & Belli artibus florentissimis Viris: in vno Parente Tuo Federico conquiescere cogor; qui nouies suæ Reipublicæ Nuncius ad ipsos etiam Reges, ad Cæsarem, Romanumque Pontificem, vniuersam Europam in sui commendationem erexit, à qua inter Prudentissimos æui sui viros meritò colebatur, ea consilij dexteritate, ea Eloquentiæ suauitate, & efficaci robore sententiarum vsus in negotijs pertractandis, vt quodcumque semel opus aggressus est, ad optatum exitum perduxerit semper: qui ea Fide, Sapientia, & Integritate suæ Patriæ incolumitati studebat, vt Sapientissimus Princeps Ferdinandus Medices, aqud quem nouem ipsos annos Federicus fuit Orator, de illo dixerit: Si hunc mittunt Lucenses, quis superest in Patria consiliorum Arbiter? Nisi hunc mittant, quis tàm solerter, & amanter apud me Patrię suæ commoda procurare possit? Et certè quemadmodum Orator optimè suæ Reipublicæ consuluit apud Exteros Principes, ita cum hæsit in Patria, cumque eandem non semel Dux, siue, vt vetusto nomine vtar, Vexillifer temperauit, adeo eximia præbuit argumenta Politicæ Sapientiæ, suique studij in publicum bonum, vt Patriæ Pater dici promeruerit, & eidem è viuis erepto communibus sui ciues lachrymis parentauerint. Iisdem tamen extincti Federici solatium superest Scipio, Germanus Frater Tuus, heres Paternæ Virtutis, Ingenij, Prudentiæ, atque Facundiæ, quibus dotibus publicæ fœlicitati egregiam operam nauat: cumque veteri more Romanæ Reipublicæ in Senatu sæpissimè dicat è Rostris, omnes rapit in admirationem sui. De Materni verò Generis claritate consultius esset omninò conticescere, quàm pauca dicere. Quamuis satis virtutibus ornata suis lectissima fœmina Camilla Malpilia Genitrix Tua, Virilis Animi præstantia, & Consilio, Pietate, & Religione singulari, & centum aureorum millibus, quæ plurium accessione hereditatum in vestram familiam intulit, eximium illi decus affuderit; ideoque operæ pretium non sit enumerare ornamenta, quæ duxit ipsa à Proauis Nobilissimis, quique per omnia Reipublicæ munera mirificè inclaruerunt: vtque hoc etiam innuam cursim, reliquerunt monumenta Magnificentiæ propè regalis, excitatis Ædibus immensis in Villa, quam suis in Dialogis Torquatus Tassus describit elegantissimè.

ſi mè : Neque verò tacitus omninò præterire poſſum, præter egregias conſanguinitates Bonuiſiorum, Guiniſiorum, aliorumque in Republica florentiſſimorum, quàm arcto Sanguinis, & Amoris fœdere coniunctus ſis cum Sapientiſs. Præſule Proſpero Bottinio Vtriuſque Signat. Referendario & Sanctiſſimi Domini Noſtri CLEMENTIS DECIMI Auditore, qui per annos ſupra triginta Idea fuit illorum, qui Chriſtianæ Virtutis integerrimo cultu, Religione, Sapientia, conſtanti dictorum Fide, amabili Comitate, incredibili Tolerantia laborum, Priuatis ſingulorum cauſis patrocinantur, Publicis Principum, atque Regum, Cæleſtibus Beatiſſimorum Virorum, qui ſupremis hìc honoribus ſunt exornandi: Optimè proinde meritus de Chriſtiana Republica; cui profectò egregiam operam præſtitit, qui nobiles labores ante vigeſimum ætatis annum aggreſſus indigitari perpetuò potuit in hac Aulæ Romanæ luce, vt exemplar Viri, in quo pulcherrimum iniuerint fœdus Religio, & Sapientia. Hinc ad illas honeſtandas Alexander Septimus inter Sacri Conſiſtorij Aduocatos Proſperum virtutis merito recenſuit: Clemens Nonus eumdem honorem cum herede Patruę virtutis Ioanne Baptiſta Fratris filio, eximio Ingenio, omnigena Doctrina, Prudentia, cæteriſque omnibus laudibus ornatiſſimo Iuuene communicauit, cui quidem Poetæ primùm atque Oratori eximio, Philoſophiam deinde, diuinamq; Scientiam biduò ingenioſiſſimè propugnanti vix vllum parem noſtrà memorià exhibuit Academia Gregoriana, quemque in præſentia vniuerſa Curia admiratur Iuris prudentiæ conſultiſſimum, & in hoc ætatis flore veterum nulli ſecundum. At Clemens X. Pontifex Maximus incredibili omnium plauſu Proſperum ſuarum Auditorem Cauſarum elegit, probatum ſibi per annos plurimos Virum, atque ſecundum cor ſuum, quod egregium eius laudum argumentum eſt. Quo quidem munere ita perfungitur, vt nullus ſit, qui non illi Supremos honores ominetur, eòſque ſtudioſiſſimè voueat. Quæ cum ita ſint, mirari nullus poterit, quod ambitioſus præclariſſimi Patrocinij, à Te præcipuè illud quæſiuerim, qui Tuis, ac Tuorum honoribus tantopere ſuſpiciendus es. Vale.

INDEX

INDEX CAPITVM
TERTIAE PARTIS.

Quàm

De

EPISCOPVS

OPVS TRIPARTITVM

ETHICVM, POLITICVM, SACRVM.

ALEXANDER SPERELLVS

EVGVBIN. EPISCOPVS.

Italico ſtylo ſcripſit.

HANNIBAL ADAMI

E' SOCIETATE IESV.

Latino ſermone donabat.

PARS TERTIA.

Quàm rectè in ſacro regimine perficiendo mentem ſuam dirigere Epiſcopus debeat. Cap. I.

A EXTREMO iam littore ſalutato, aperto æquore velificemus oportet, ea ſcilicet pertractantes, quæ ad enurriendum gregem, populoſque ſanctè moderandos facere tenetur Antiſtes; antequàm tamen vela explicemus, pixis apranda nobis eſt, & nauigatoria papyrus expedienda, cuius magiſterio rutiſſimè nauigantes, beatitatis æternæ portum fideliter aſſequamur; iſte autem in fine honeſtiſſimo maximè verſatur, quem nobis in noſtro regimine peragendo, & in quocumque alio opere ſtatuere nobis debemus; finis enim is eſt, quo primo veluti mobili cætera omnia trahuntur, ſuamque honeſtatem actiones humanæ deſumunt, vt optimæ & abſolutæ videantur: *Actus moralis ex duobus ſpeciem ſortitur; ſcilicet ex obiecto, & fine: nam finis eſt obiectum voluntatis, qua eſt primum mouens in morali-* D. Thom. 1.2.q.110. art. 2.

bus actionibus: dedi sententiam Aquinatis.

Ipse quin idem Christus Dominus nos hoc ipsum edocuit, oculi metaphoram afferens, cuius ductu & auspicio totum corpus regitur & absque errore deambulat: eodem igitur modo mens nostra, quæ animæ oculus interior est, opus, quo corpus exprimitur, secum trahit & ducit: qua planè ratione illa Christi verba, *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* concorditer SS. Patres, & potissimùm Augustinus & Gregorius interpretatur: his etiam addit Aquinas, aptissimè oculo designari & exprimi mentem; ad hanc enim constituendam, eo modo cognitio præsupponitur, cuius vi voluntati nostræ finis obijcitur, ad quem opus dirigimus, quo viam, per quam nobis ambulandum est, oculo corporeo possidemus. A

D. Aug. de serm. in monte cap. 21. & psal. 118. D. Greg. lib. 28 moral. c. 13. Matth. 6. 22 & 28 D. Thom. 1.2. q. 12. art. 1.

Diuinum hoc acroama ipsamet Stoa maximi æstimauit, & ex Italicis Stoicis maximus, exemplum in eo affert, qui motienti amico adstans, si præ amore id agat *probamus*; commendatur è fine tam honesto, quem sibi obiectat; si vero illud idem præstet, vt ægrotanti blanditus ab eo sibi hæreditatem vsurpet; *vultur est, cadauer expectat*, corum exprimit cadauer illud anhelantem, quo voracem ventris ingluuiem impleat & saginet: *Eadem turpia sunt & honesta: refert quare, aut quemadmodum fiant.*

Senec. ep. 91.

Duo è sacris paginis afferens hoc idem Diuus Chrysostomus confirmat; quàm Cælo odiosum, & fœdum flagitium homicidium existat, quis ignorat? Isto etenim in summum naturam homo cruente grassatur, & tùm humanis tùm Diuinis fulminibus sanctissimo iure percutitur. B

Phinees tamen, cuius vi tùm nobilis Hebræus, tùm Madianites fœmina cœsa decubuit, commendatus à Deo fuit, & de egregio veluti facinore præmij coronam excepit; quid è contrà Deo gratius, Deoque magis acceptum, quàm Deo acta precatio, qua veluti aurea clauí cælum referatur, & ad Diuinitatis solium nostra vota perferuntur, vt pronum nobis Numen habeamus? orans tamen in templo Pharisæus, & tanquam patrati criminis reus reijcitur, & damnatur? Senecæ doctrinæ patebit hæc veritas: duos illos ad populi fœlicitatem, immolans pro suà potestate Phinees, optimum sibi finem constituit. *Non enim ad eorum quos interfecit inuidiam, sed eorum qui superfuerant salutem*; At Pharisæus in precibus fundendis suæ gloriæ seruiens, tam speciosum opus turpissimè denigrauit; *Non propter precationis naturam offendit, sed propter animi affectionem.* Catilinæ exemplum, quod è Salustio promit, affert ad hæc roboranda illustrissimus Augustinus; tam enim ille famis, frigoris, sitis, aliorumque id genus patiens fuit, vt admirationem cuique pareret: *hæc erant illi spurco, sacrilegoque etiam cum Apostolis nostris communia, nisi fine illo deturpasset, quem diuersissimum sequebatur. Hæc Augustinus.* C

d. Aug. Lib. 2. de mo-rib. Manich. cap 13. Salust. in prologo. catelin.

Interrogationē illam Gregorius Magnus expendens, quâ Deus sanctissimū Iob percontatus fuit, an videlicet compertū ei esset, qui ponderosissimæ telluris moli fundādæ dedisset operā? *& super quo bases illius solidæ sunt?* ad mores igitur de more suo cōponendos hæc omnia accomodans, ædificij exemplum exhibet, quod columnis innititur, hæ autem suis basibus fulciuntur: si igitur bases istæ nutent & titubent, tota moles ruat oportet: cum è contra constantissime stabit, si firmæ illæ permanserint: spiritualis ædificij basis animus est, qui si prauus fuerit, nostrarum rerum honestatem & decus euertit: verùm ex aduerso: *tunc bases in fundamento sunt, cum intentiones nostræ in fundamento roborantur.*

D. Greg. 28. moral. cap. 13. ob. 38. 6.

Aliud etiam sanctissimus idem Pontifex, quod Tuderti contigit, ad hoc idem magis confirmandum enunciat: ad Petrum enim Diaconum scribens refert, quòd cum rabie ingenti Diabolus in Fortunatum eius vrbis Antistitem æstuaret, eo quod ab Energumeni corpore eum expulisset, peregrini speciem & corpus induens, Vrbes peragrans, clara illud voce pronunciabat, *Proh virum Sanctissimum, Fortunatum Antistitem!* quàm ingens excelsumque sanctitatis suæ prodigium fuit, vt me è meo domicilio expellens peregrinum fecerit, adeo vt locum D

inqui-

inquiram, quo liceat immorari, ad ignem fortè cum coniuge sua suoque puerulo ciuis quidam assidebat, & questus excipiens, quos ille tristissimus ingeminabat, sua cum domo recepit; dùm igitur sermonem simul immiscerent, nefarius ille spiritus, arreptum sæuissimè puerum in oppositum ignem immisit, quo statim voratus euanuit. Petro igitur Diacono, Diuum Gregorium roganti, quare tam pium sanctumque hospitalitatis opus Deus tam mala & iniqua mercede donauerit, respondens sanctissimus Pontifex ait, multa quidem opera probatissima quidem nobis videri, at non esse, propter finis obiecti prauitatem,
A & peregrinum illum ab eo exceptum, vt maiorem ergà hospites pietatem, quàm Episcopus ostentaret. Vides quàm tenebrosus & obscurus eius fuerit oculus & quàm meritò Dei sententia vapulauerit!

Accommodatissima hìc ea comparatio videtur, qua de arbore sermonem faciens Apostolus, suas Epistolas illustrauit, *si radix sancta, & rami*. Radici omninò consimiles habebis ex arbore fructus & frondes: vitiata si fuerit radix, vitiosi necesse est fructus egerminent, & breui tota arbor sterilescat: de mente Rom.11.16
nostra hoc idem dixeris velim, suam enim, vel prauitatem vel probitatem ab ea totum corpus assumit; sterilescere & arefieri arborem illam naturalium rerum præceptores docent, cuius radices salamandra pertigerit. Si Demon, qui salamandræ instar quiescit & viuit in flamma, nostrarum actionum radicem afflauerit, corrumpit illas & tam turpiter vitiat, vt æternæ salutis fructus educere nunquam possint.

B

§. I.

NVllus existit, (sic è Cassiano Moyses Abbas aliquibus de re sacra illum alloquentibus, respondit) qui nullum sibi finem in suis operibus conficiendis obijciat: vos qui igitur hac in eremo in rerum omnium egestate laborantes virtutum possessioni studetis, & illecebras mundi despicitis: *Respondete mihi, quæ sit destinatio vestra, vel finis, qui ad hæc omnia sustinenda vos prouocat?* Cum autem ei interroganti responsum illi darent, æternam beatitatem pro fine sibi Cassian.col-
proposito versari, subdidit ille, Ad hunc ergò finem inconniuenti semper lumine vester oculus est dirigendus; vt autem finis huius scopum attingatis, eximius esse candor debet, quo animum exornetis. lat.1.

Licet igitur eundem sibi statuere finem Hyerarchæ debeant, quem sibi olim
C Alcetæ illi in Scythia statuerunt, cùm ad populorum regimen euocentur ipsi, ad hoc vt eorum mens integra & recta sit, suaque opera laudabilia & honesta conficiant, opus omninò est, vt ad Diuinæ gloriæ amplificationem & ad populorum profectum labores suos intendant: quàm egregiè Senonensem Antistitem Henricum de hoc Diuus Bernardus instruxit: *Porrò puritas cordis in duobus consistit, in quærenda gloria Dei & vtilitate proximi; vt in omnibus videlicet actis suis, vel dictis, nihil suum quærat Episcopus, sed tantùm aut Dei honorem aut salutem proximorum, aut vtrumque.* quod prorsus idem ad Florentinum Præsulem Ricasolum informandum sapientissima Virgo Catherina Senensis pronunciauit, in hæc verba ad eum scribens: *Seriò perpendas, te corpori mystico suæ Ecclesiæ Diuinam bonitatem inseruisse ad huius tantùm sponsæ pectus se educantem, vt ad sanctissimæ Crucis mensam Diuini honoris & populorum salutis cibum pretiosum manduces.* D. Bernard epist 41. Litera S. Cath. Sien. fol. 45.

Quid admirationis nobis afferat, ad hunc scopum nostra opera collimanda, si nostræ dignitati maximè congruus est, nostroque nomini potissimum accom-
D modetur? ad hunc finem statuendum Episcopalis tota moles est iacta & Hierarchicus ordo institutus; hac de causa gentibus designati Præsules fuere, & Præsulibus sacri fasces impertiti, vt scilicet tota nostra mens, nostra opera, ad Deo conquirendos populos collimaret; quis vnquam de hoc dubitauerit, ait Nazianzenus. *Hic enim fructus spiritualis omnis imperij est, vtique priuata vtilitate neglecta commodis aliorum consulere.* Diu. greg. Greg. Nazianz. orat. 1.n 41.

Ad hanc etiam ſententiam alter Gregorius Niſſæ Hyerârcha verba illa, qui-
bus ſui ſponſi venuſtatem ſponſa commendat, myſticè interpretatur; *Oculi eius*
Cant. 5. 12. *ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lota.* Eccleſiæ oculos Epiſco-
pos eſſe quis neſciat? idem enim eorum nomen hoc exprimit, cùm ex Auguſti-
ni aliorumque ſententia idem prorſus Epiſcopus ſonet ac *ſpeculator*. Hi ergo
columbis lacte ablutis comparantur; oculi quidem ipſi ſunt, quia cætera viden-
tes, ſeipſos non vident; Lacte itidem hi abluuntur, quia liquor lacteus nullam
imaginem, nullum ſimulacrum in ſe ipſo exprimens, ſatis nobis oſtendit eos ad
cætera cœcutientes ſpeculatorum inſtar Diuinæ tantum veritati ſuos oculos A
appoſituros. *Huius vitæ ſpectris & imaginibus nequaquam admiſſis.* Mundi lu-
D. Greg. Niſſ. hom. 13. in Cantic. cem Deus Epiſcopos appellauit ſydera tamen imitari vtique debent, quorum
iubar ad Dei laudes pronunciandas, eiuſque gloriam amplificandam nos lucido
quodam clamore prouocat, & cum tàm lucida, tàm pulchra ſint, non ſibi ipſis,
at nobis ſpecioſa ſunt, lucemque ſuam non ſibi ſeruant, ſed beneficia nobis ef-
fundunt.

Math. 24. 45. Fides illa hæc eſt, quam prudentiæ connectendam (Epiſcoporum) cæleſtis au-
thor edocuit *Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper
familiam ſuam.* Qui fidelis Deo eſt, alia quidem non quæret, nullumq; ſibi alium
finem proponet, quàm Dei nomini, Dei gloriæ ſtudere, ſuoſq; labores omnes, ad
eius efferendum nomen impendere; ſui ipſius oblitus cætera quæcumque deſpi-
ciet Deoque ſoli vacabit, nec enim finis adeò excelſus & illuſtris, cum alio tàm
abiecto & demiſſo conſortium pati poteſt. *Opus eſt viro fideli, qui non quæ ſua
ſunt quærat; ſed quæ Ieſu Chriſti.* Sic Diuus Bernardus; & vt Diua Catherina Se- B
nenſis ad quemdam Præſulem ſcripſit, toti eſſe debemus, vt Deo gloriam, ſa-
lutem populis afferamus; è tanto igitur finis huiuſce faſtigio, iure ferè meritò
dubitare videtur ipſemet Diuinus Magiſter, an inueniendus fidelis hic vir ſit?
quàm rari enim illi ſunt, qui mentem ſuam integerrimam ſeruent, & quacum-
que alia humana cogitatione purgatam, *vix Ieſus propter Ieſum quæritur.* Sic Au-
guſtinus. Vt mentem ſuam in regni gubernatione gerenda Ludouicus Octauus
D. Auguſti. confeſſ. Galliarum Rex & Ludouici ſancti regis genitor omnibus explicaret, aliò ſcilicet
non eſſe directam, quàm ad Dei obſequium, & beatitatis immortalem gloriam,
ſymbolum expreſſit in annulo, quo ſceptrum in obeliſci ſpeciem erectum effinge-
batur, cùm ſubiecta epigraphe, *Vole ſolidum perenne:* quantò magis hoc idem
Typotius in Symbolis. nobis præſtandum eſt, qui ſacram prouinciam gerimus, qui ſanctuarij leges mo-
deramur, qui non ſceptrum ſed lituum tractamus; fides quà noſtræ dignitatis
authori obſtringimur, exigit, vt procelloſum hoc ſæculi mare enauigantes, pro
certo ſydere, quo labores noſtros dirigamus, Deum nobis obijciamus tanquam C
vltimum finem, ad quem reliqui fines quaſi lineæ ad centrum adducuntur: ha-
Senec. ep. 95. bes hæc omnia ab Ethnico Philoſopho, cuius iſta ſententia eſt. *Proponamus opor-
tet finem ſummi boni, ad quem nitamur, ad quem omne factum noſtrum,
dictum reſpiciat; veluti nauigantibus ad aliquod ſydus dirigendus eſt cur-
ſus.* Hoc autem facillimum nobis erit, ſi meminerimus noſtram dignitatem non
fuiſſe nobis impertitam, vt illà commodis noſtris proſpiceremus, ſed vt ad diui-
nam gloriam & gentium pietatem vires omnes impenderemus: Haud profectò
Summus Pontifex in infularum impoſito munere cogitauit, vel noſtri nominis
vel noſtræ domus gloriam amplificare, vel noſtræ ambitionis genio adblandiri,
reſque noſtras thiaræ Maieſtate augere; conſequentia quædam hæc ſunt & velu-
Math. 6. 33. ti appendices. *Et hæc omnia adijcientur vobis.* finis, ad quem tantum opus ipſe
direxit, maximè fuit, vt fideles & pios Paſtores populis ſuis præficeret, vt in
tanti oneris fulciendi partem nos pariter accerſeret, ſuoſque nobis labores com-
municaret; ne igitur debitum ordinem deſtruamus, noſtro vtique fini reſpon- D
deamus oportet. Cum Deo mandante Saulem in Regem inaugurauit Samuel,
effatus ei ſic eſt. *Ecce vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principem &
1. Reg. 10. 1. liberabis populum ſuum de manibus inimicorum eius.* Vides, vt non eum ad re-
gale ſolium euexerit, vel ad eius nomen illuſtrandum, vel ad ingentes in eius

domum

domum opum cumulos ingerendos, vel vt inter deliciarum oblectamenta eum educeret, sed tantùm, vt inter labores eius manus obcallesceret, & ad Diuini studium populi vtilissimè exudaret. Nostri ministerij finis hic est, hùc nostra cura, nostri labores, nostra intendenda studia, vt è stygij prædonis faucibus commissos nobis populos eripientes, Diuinis eos manibus pietatis auxilio inferamus: si secùs egerimus, nimis profectò desciscimus à nostræ dignitatis debito, quo, dum nos inaugurauit, Ecclesia sponsa nos obstrinxit, & longè distamus ab eo, quod manus & caput sacro Chrismate nobis perungens præcepit Christiana Religio:
A audi Gregorium hac in re. *Ille officium vnctionis exequitur, qui sola quærit lucra animarum; super hæreditate quippe Domini in principem se vnctum meminit, qui hoc solum de terrena dignitate quærit, quod per suum ministerium Christus quæsiuit, videlicet animas.* Illud igitur menti nostræ inhæreat, res nostras, si vti se ipsis spectentur, parui vel nihili faciendas, totumque pretium è nostra voluntate habituras: si praua hæc fuerit, inanime veluti corpus, immò fœtidum cadauer, sunt æstimanda: si namque in nummularijs mensis, qui pecunias excipiunt primò earum materiam inspiciunt inuestigantes, an aureæ, an argenteæ, an æneæ sint, & posteà earum speciem, quâ scilicet imagine adnotentur, diuerso planè modo in cælesti mercimonio Deus incedit: primò namque formam respicit, hoc est finem, ad quem nostra opera fuere directa, deindè eorum materiem perpendit, qualia nempe fuerit inuestigans, adeò vt frequentissimè, licet nullius pretij è sua materiâ res ea, quam facimus, sit, quia tamen egregius & cælestis animus fuit, quo formam suam ei donauimus, longè præcelluit illis, quæ licet heroicæ & illustres,
B erectæ voluntatis defectu, mirum quantùm ipsæ quoque deficiunt; nec enim materiem vnquam vel respicit vel exigit Deus. *Dei autem existimatione materia nulla pretiosa est*, vt Philo Hebræus philosophatur: sic planè Mathematici in quantitate tantùm & corporum figura versantur, nihili materiem æstimantes, qua constantur, an scilicet vel marmorea sit vel argentea; Quàm enim longè alijs impares essent, egeni & ægroti, quibus duo tantùm oboli supersunt, cùm Euangelica vidua offerendi: quin, vt docet Diuus Gregorius Nazianzenus, *Nihil magni æstimatur apud Deum, quod non pauper quoque donare possit.* Quamobrem cum se Moysi, Aaron, & septnaginta populi Iudicibus spectandum se Deus exhibuit, de infima Diuini solij sede loquens sacra pagina, iuxta, vulgatam versionem. *Et sub pedibus eius quasi opus lapidis saphirini.* Septuaginta interpretes legunt. *Opus lateris* non lapidis *saphirini*: aduersari sibi ipsis ista videntur. Quàm enim longè à latere discrepat gemma? Rabbi tamen Salomone docente, optimè
C inter se ista conueniunt; clarissimè enim hinc patet, apud Deum idem planè opus esse vel pretiosum, vel abiectum, si pretiosus vel abiectus fuerit animus, cum quo exercetur; meritò igitur vatis illud vsurpare identidem licet, *Materiam superabat opus.*

Quid ad hæc Alchimici, qui opes, annos, vitàmque ipsam absumunt, vt mercurium reperiant, dumque in aurum immutare cuprum student, aurum in carbones inuertunt? tutissimam & excelsam simul ego do Chimicen; si enim rectam integramque mentem habueris, verum mercurium possides, quo longè veriùs, quàm de Midæ commentitijs manibus fabularetur Græcia, quidquid tangitur, in aurum migrat, & abiectissima quæque, pretiosissima euadunt. *Illa in medio posita sunt, interest vtrumque, malitia illius, an virtus manum admouerit.* Sic Seneca.

Finem potiùs, quem respicimus, quàm res ipsas Deus vigil inspectat; ex his
D enim non paucæ sunt, quæ licet commendentur ab hominibus, reijciuntur à Deo, qui animum metitur, non manus, non opera. *Omnis via viri recta sibi videtur, appendit autem corda Dominus*: hoc est iuxta Cardinalis Hugonis sententiam *in appenso statere ponit, vt videat quorsum ponderet.*

Lucem ipsam, vt eam è nihilo eduxit, Deus examinauit, *Et vidit Deus lucem quòd esset bona*; ad nos erudiendos, vt instâ trutinâ nostrarum actionum voluntatem ponderemus, ne scilicet earum specie decipiamur; licet enim nullis maculis videantur aspersæ, adhùc tamen deformitatem suam secum possunt afferre; vt enim Philo-

D.Greg. 11 2.reg.p.20.

Philo lib. quis hæres. rer. diu.

D. Naz. orat. de Sacra. Baptis.

Exod. 24:10.

Rabbi Salom.

Senec. ep. 81.

Prou. 21. 2. Hugo ibi.

Gen. 1. 4.

Philosophus docet, cum res mala finis rationem habere non posit, imò voluntatem nostram à se repellat, frequentissimè in vanâ boni specie animus noster aberrat, similitudinem pro re ipsa complectens, & vmbram pro corpore affectans.

§. II.

IN aliquos Aulæ Romanæ Præsules acritèr inuehuntur, sanctissimi viri Chrysostomus, & Anselmus, eò quòd Diuinæ gloriæ amplificationem, populorumque salutem suis operibus omittentes, toti essent, vt sibi ipsis vacarent, ad grandius auaritiæ, & ambitionis incrementum. Profectò quid aliud hoc est, quàm propriæ cupiditati trophæum erigere, & omnium scelerum authorem sui amorem educare? Huiusmodi fines inter sanctuarij claustra versari iure conqueritur Diuus Bernardus, ac si tàm obscuris cogitationibus infularum iubar denigretur, cùm ad profanos tantùm, & abiectos fines sublimia & sancta Episcopatus ministeria dirigantur: *Ipsa quoque Ecclesiastica dignitatis officia in turpem quæstum, & tenebrarum negotium transiere, nec in ys animarum salus, sed luxus quæritur diuitiarum;* Hoc sanè non est, vt Deo quis seruiat, sed vt nobis nostrisque vitijs seruiat Deus; hoc planè modo vitiantur sacra, mercimonio templum agitur, ipsumque cœli fastigium, telluris humiliati subijcitur. Adeò nos à quacunque humanæ cupiditatis contagione alienos Deus exoptat, vt supremo Pontifici vetuerit, ne in suorum parentum iustis faciendis se aliquatenus immiscerent; hoc autem explicante Diuo Hyeronimo, clarissimè significauit. *Nullum affectum sciet, nisi eius, cuius cultui dedicatus est.* Verum quidem est ex Apostoli lege, nostrorum laborum mercedem meritò à nobis exposci, nec sine remunerationis laude tantum pondus nos esse subituros; ac vinum è nostrâ vineâ collectum nos bibamus ipse non prohibet, vel lacte vescamur, quod è nostro grege deprompsimus; quin asserit, *Quis militat suis stipendijs vnquam, quis plantat vineam, & de fructu eius non edit, quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Verùm si in rebus huiusmodi sisteremus, quàm demisso, & humili fine nostrâ opera metiremur: non ideò nos laboramus, quia merces promittitur, & seruatur; sed ideò merces datur quia laboramus: in hoc potissimùm discrepant mercenarius, & Pastor; hic enim non sibi laborat, sed Domino, fidemque suam ad eius tantùm voluntatem impendit: quàpropter Prouincialem synodum alloquens Diuus Bernardus hæc ait, *Bonus Pastor, non suam voluntatem facit, sed Domini sui quærit utilitatem, ipsi soli seruat fidem, ipsi laborat, ipsum honorat.* Quòd si recta voluntas defuerit, nulla doctrina, nulla alia virtus valet eius defectum compensare. Rigidior hac in re visus est Cyrenensis Antistes Synesius: Sacerdotali enim munere indignum eum scribit, qui terrena hæc, & sæcularia bona pro fine sibi proponit. *Quisquis autem per Ecclesiæ tuendæ speciem marsupium auget, atque hoc ipso, quòd ys in temporalibus vtilis esse uideatur, quæ vim animi efflagitat sibi potestatem conciliat; is est, quem nos extra Christianum consortium emandatum volumus.*

[A] [B] [C] [D]

Marginal notes: 1. Corin. q. 7. — D. Berna. serm. ad Past. in syn. Congr. — Synes. ep. 1. — D. Hiero. ep. 1.

Bonum opus gratiæ vestibus ornatum, & ad finem qui suprà naturam sit directum, mundi totius pretium æquat; quicunque opulentissimus thesaurus longè minor eo est; an igitur opus adeò excelsum, adeò pretiosum vili abiectoque pretio, vel tenuis gloriæ, vel leuissimi lucri, miseri dilapidabimus? Pijssimo, & probatissimo Antistiti maximi regni diadema pro suorum laborum mercede offeratur, illud tanquam suæ dignitati impar reiectabit; totius Europæ principatum ei quis spondeat, cum Europâ reliquas orbis regiones adnectat, omnia illa tanquam se minora despiciet omnium populorum tributa in ius suum deuoluatur, & ipsarum cælestium mentium obsequia se illi, subijciant? quid tum? cuncta hæc ille reijciet, majora sibi reposcens: qua ergo mercede donari ipse voluerit, cum Diuo Thoma pronunciabit, *Non aliam nisi te Domine:* quo igitur dedecore, quà abiecti animi notà aspergendus ille esset, qui infulatus humillima lucra ex operibus suis exigeret, tempusque laboresque omnes in tàm excelso, ferèque Diuino sacerdotio absumeret, vt sæcularia tantum commoda referat, sibique tantùm ea quærat, quæ esset animo calcaturus? *O quanta apud Deum merces, si*

tes, si in præsenti præmium non sperarent. Sic de Lythurgis omnibus olim Hyeronimus.

Elegantissimè quidem sublimem, illustremque fœminam, & in egenis subueniend s beneficentissimam Diuus Gregorius admonebat; eam enim commendans, & excitans, vt in pijssimo opere mercedem æternam aspectans perseueraret ait. *Hoc igitur studiosiùs agite, & hæc agentes in terrà vobis retribui nil quæratis, quia superna desiderantibus temporalia nulla sunt, sed ibi vestra desidera figite, vbi quicquid retribuitur, finem non suscipit.* Quid profectò ille dixisset Episcopis? quàm verò insipientes, & propè stulti hi essent, si vilia tantùm terræ lucra spectantes, beatissimà æternitate se spoliarent, laboresque omnes insanos, asperasque curas, quibus frequentissimè cruciantur, inutiles, & inanes experirentur: De Purpuratis Romani Principatus Senatoribus sermonem habens doctissimus quidam è Canonum Magistris ait. *Turpissimè delinquunt, cum animum, aut studium suum ad aliud applicent, quàm ad summi Dei honorem, & Christiana fidei propagationem, fælicitatem, & pacem totius Ecclesiæ; & necessariò his vinculis alligantur propter eorum dignitatem, nec vlli parcere debent labori, nihil ab eis iactura rerum æstimanda; sed potius discrimen ipsius vitæ subeundum, si aliter fieri nequeat: multò autem magis dispendium propriarum facultatum.* D. Greg. lib. 10. ep. 7 A Manfred. tra. de Card. c. 7.

Pari propè mensurà de nostro munere philosophari licet: vel igitur cum dedecore ad nostras explendas cupiditates nostræ dignitatis lenocinio vtemur, vel omninò abijcienda sunt ex animo abiectissima hæc nostrarum rerum impendia.

Hinc patet, haudquaquam personarum acceptorem fuisse Deum, Cain hostias B reiectantem, sed Abelis munera excipientem. *Ad Caim verò, & ad munera eius non respexit.* Non Deum ille sacrificans, at se ipsum respiciebat, & id circò respectus ipse à Deo non fuit; sua magis commoda, quàm Diuinam gloriam intendebat, & cum maximo sibi honori vertere deberet, in Diuinum obsequium victimas suo conditori litare, onus ille potiùs molestissimum ducebat, & tanquam sibi pœnam infligi in sacrificio offerendo æstimabat: probè igitur Seleuciensis Antistes Basilius. *Cainus sacrificationem mulcta loco ducens, retectat, sacrificij honorem adultera mente componens pretium.* Ingens igitur & nos periculum subimus, ne Deo displiceamus, si sacra nostra tractantes, non Diuina sed humana respiciamus, nec Dei gloriam, sed nostra lucra reuoluamus: ad extremum vitæ articulum redacti quàm facilè est, è tanto laborum semine nihil colligamus, illud è cælesti voce audientes, *Receperunt mercedem suam.* Ipse enim etiam Publius Mimus non ignorauit, quòd *Malus est vocandus, qui suà causà est bonus.* Vti-C nam ergo excelsus erectusque nobis animus sit, qui æterna tantùm bona recogitet; cùm bonum nullum æstimandum nobis tanti sit, quanti Diuinum obsequium: quamquam ergo cælestis ipsa beatitas deficeret, ipsa æternæ voluptatis gaudia exarescerent, adhùc tamen ingentis, & integræ mercedis loco esset, ad Dei obsequium, & gloriam labores nostros, curas, annos, sanguinem ipsum absumpsisse. Genes. 4. D. Basil. Seleuc. Matth. 6. 2. Publio Mi

Aquilam propterea, Diuo Ambrosio docente, imitaturi nos sumus, quæ vt certior fiat, pullos, quos in nido reperit, non alienos esse sed suos, solis radijs eos obiectat; si namque inconniuenti lumine in eius contemplatione consistant, vt suos habet; vt alienos repudiat & reijcit, si lumen eius ferre non valeant: Solem & nos Diuinitatis nostris operibus obiectemus, nostra vtique hæc erunt, si in eum ferantur, & in eo versentur; verùm si ab eo recesserint, stygio à Coruo supposita ea quis neget?

D Nulla autem validior ratio est, qua ad Deum solum tanquam ad omnium finem nostra opera conuertamus, quàm si certò crederis, non in opera tantùm, sed in ipsas cogitationes nostras inspiciendas, Dei oculum constantèr euigilare; vt enim sapientissimè Augustinus. *Nobis magna indicta est necessitas, iuste rectèque viuendi, quià cuncta facimus ante oculos iudicis, cuncta cernentis.* Hac necessitate magis quàm alij obstringuntur Episcopi, quorum regimini populos suos Princeps æternus subiecit; quò sanctior, & grandior nostra dignitas est, eò etiam cautiùs administranda nobis est, vt certiores reddamur nequaquam nos in eà no- D. August. Solil. 13.

stræ voluntati indulgere, sed Diuinæ: quandoquidem ea, quæ nos vt Dei administri agimus, ad Deum potiùs, quàm ad nos ipsos referuntur.

Clarissimum hac in re præceptum illud est, quo suum aulicum Diuus Carolus informauit, & ad nos referri iure meritò potest, vt nostrum animum ritè componamus: iam illud accipe: vt in virtutis via semper proficias, illud cogita, te semper in eâ inchoare, hoc est ità Deo seruias, nouasque in eius obsequio vires exeras, vt illi tantùm fixus adhæreas, & ad eum tamquam ad omnium rerum primarium finem omnia tua gesta conuertas.

A

Populorum amorem sibi conciliandum ab Episcopo, dummodò tamen suum munus ritè perficiat. Cap. II.

VERA germanaque charitas, qua gregem suum fouere Pastor debet, in eo potissimùm ostenditur, quòd amorem opinionemque populi sibi concilies; si namque ametur, & placeat, ingentem vtique ansam habet, qua subditorum animos pro suo arbitrio possit excolere, vt certos inde fructus excipiat; qui enim amari à Præsule suo se scit, eumque reciprocâ charitate redamat, magnique eund. m facit, faci'è eius imperio se tradit, eius monita vt oracula cælitus emissa recipit, æquissimo animo patitur omnia, cum certus sit, à sui Pastoris linguâ cor non dissonare: ex amore autem, quo ergà illum fertur, facilia omnia ei videntur, quæ cæteroquin ardua, & aspera ab ipsius obsequio eum amouerent: quàpropter meritò Plutarchus docuit: *Oportet ciuilem virum ad populum amore ipsius captum accedere, suique etiam absentis desiderium in animis ciuium relinquere.* B

Pluta. opusc. Reip. de rend. Præcep.

Fœlicissimus Præsul ille dicendus est, qui antequam suam Episcopalem sedem inuisat, magnam de se famam, tanquam sui prænunciam eò mittit; si namque tùm integritatis, tùm benignitatis æstimationem habuerit, in magnâ spe populus totus erit, vt tùm benignè, tùm rectè regimen ipsius sit habendum; pluris à nobis faciendam populi æstimationem, & amorem, quàm nostri Sacerdotij optimos census, docuit olìm Sapientissimus. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ, super argentum, & aurum gratia bona.* C

Prou. 22. 1.

Hac igitur de causâ ad Mediolanensem Archipresbyterum scribens Diuus Gregorius, cùm ea Sedes extincto vacaret Episcopo, eum monet, vt vires omnes impendat ad hoc, vt eius infulis indueretur, qui tùm Deo, tùm populis, præ morum innocentiâ, & suauitate gratissimus foret. *Vno consensu talem sibi eligant consecrandum Episcopum, cuius & actus laudabiles, & grata Deo, & hominibus possit esse persona.* Currus ille admirandus, qui ad Ezechielis aspectum ingentem sui pompam fecit, tàm fœliciter idcircò properabat, quia eodem prorsus animo, & voluntate flectebantur tùm animantia, tùm rotæ. *Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter & rota iuxta ea, spiritus enim vitæ erat in rotis.* Legit Diuus Hyeronimus, & *spiritus voluntatis erat in rotis*; accommodatiùs ad rem meam Pagninus. *Voluntas animalium erat in rotis.* Si eodem voluntatis arbitrio, tùm rotæ, tùm animantia, hoc est tùm populi, tùm Præsules, mutuo quodam amore processerint; quis dubitet, gratissimum Diuinis oculis è pulcherrimo Ecclesiæ curru fore spectaculum? D

D. Greg. ep. 26. lib. 2

Ezech. 1. 19.

D. Hyeron. c. 2. pagn. ibie.

Hoc pariter in causâ fuit, vt suum Metropolitanum, aliosque Antistites Diuus Hugo Lincolniensis Hyerarcha admoneret, vt amicos sibi subditos seruarent, ea que etiã si, licitè fieri posset, omitterent, quæ mutuam turbare aliquomodo pacem possent, amoremque obscurare.

Primus itaque regiminis gradus in eo versatur, vt qui imperat, hilari gratoque animo excipiatur à populis, vt eorum corda sibi vsurpans, facilius ad suum flectat arbitrium.

A arbitrium; quà de causa, referente Aristotele, venustißimis viris Imperij fasces committebant Ethiopes: quòd idem ingeniosis Apibus in vsu etiam est, è quibus quæ pulchritudine cæteras præstat, cæteris etiam præcellit imperio; in morum suauitate, agendique comitate nostra pulchritudo versatur.

Hinc etiam est, vt ex aliquarum vrbium consuetudine, cum aliquis Episcopus vel sacris inaugurraretur, vel primò suam sedem possessurus accederet, quasi vt suæ benignitatis pignus aliquod daret, è Carceris supplicio captiuum aliquem absolueret; sic testatur ad Aurelianensem Præsulem scribens Iuo Carnotensis: *Insinuatum est mihi per literas, quòd clericum illum, quem in die vestri introitus secundum morem nostræ Ciuitatis de carcere liberastis, iterum carcerali custodiâ crudelitèr mancipastis.* Iuo ep. 121.

Ex aduersò autem nisi populorum amorem sibi vindicauerit Præsul, haud quaquam ad salutis iter agendum adducere eos poterit; nisi enim eor ipsi præbuerint vt eum ament, aures etiam negabunt, & obstruent, ne eum audiant; quæcunque B ipse ad eorum beneficium suggesserit, & monuerit, sinistrè habebuntur; ipsa etiam saluberrima monita suspicionem aliquam ipsis ingerent, & saltem in circumstantijs arguentur, eàque solùm de causa reijcientur, quià eum authorem habuerint: mirum enim est, quantùm in populis animi diffidentia possit, adeò vt verissimum illud è Tacito acroama sit, *Inuisum semel Principem, seu benè, seu malè facta premunt.* Tacit. hist. 16. 1.

§. I.

Potissima autem ad populorum amorem sibi conciliandum ratio, humanitas, & comitas est, iuxtà sapientissimum Rabani consilium. *Qui præsunt populis, si volunt firmum esse solium, hilaritate semper, & gratiâ vultus plenos exhibeant, nè per arrogantiam rigidi, plebis odium incurrant.* Tetrici quidam, & su- Raban. in glor. prou. 25.
C percilios viri arcendi à dignitatibus sunt; licet enim, vt Diuus Hyeronimus adnotat, sint morum integerrimi, publicum tamen odium, si solùm aspiciantur, ingenerant. D. Hyero. lib. 1. ad Iouin.

Quæ vix æquo animo ferri potest è iacturà libertatis aliena dominatio, excutitur omninò, si asperitatem quandam, & duritiem secum ipsa præseferat; egregiè Quintum fratrem Romanus de hoc Orator admonuit. *Nihil est tàm deforme, quàm ad summum imperium etiam acerbitatem naturæ adiungere.* Cice epist. 1. ad. Quin. Frat.

Hugonis Hetruriæ Ducis exemplum ad hanc rem Diuus Damianus affert; ille enim peregrinis obscurisque vestibus indutus, viatores, & hospites frequentèr sciscitabatur; quidnam de Principe eiusque regimine vagaretur: at quorsum hæc, si Christi ipsius habetur exemplum dè se Apostolos interrogantis. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* ne igitur laudibus, quibus præsens Præsul excipitur, fidat omninò Antistes; suspiciosæ illæ sunt, cùm ex adulatoribus plurimi sint, quàm paucissimi ex amicis: secretò potius inuestiget, an de suo regimine suisque moribus, malus aliquis rumor irrepserit, vt priora facta nouis emendet: quàm optimè seruatori nostro compertum erat, quid de ipso per vulgi ora serperet, Matth. 16. 14.
D adhuc tamen percontatus hoc idem Apostolos est; *scilicet vt rex Angelorum formam daret Rectoribus hominum, quatenùs, non quid in os eorum assentatoriè dicatur, attendant: sed quod eorum testimonium apud absentes habeatur, inquirant; sicque quod in se reprehensibile ex eorum famâ deprehenderint, corrigant: ad exequenda vero bona, quæ de se dicere cognouerint, auidiùs inualescant.* Hæc Damianus. D. Petr. Dam. lib. 7 epist. 12.

Inter alia autem, quibus animi suauitas ostenditur, maximum est, si beneficia, quæ citrà vllius iniuriam conferri valeant, expeditè alacritèrque contuleris.

Si comitèr populorum preces exceperis, & paratissimus ad beneficia eis inferenda fueris, vtique testaris amari, simul, & æstimari eos à te; hoc autem magneticam quandam vim habet, quâ eorum animos dulcissimè trahis, tuoque moderaris arbitrio: Angelicam hoc refert prudentiam: ità res omnes scrutatur prudens, ait Diuus Basilius, vt non magis aures, quàm animi ad eius monita

Act. 16. excipienda patefiant. *Vt audientiam animos ad auscultandum habeant paratos.* Id fuit in causâ, cur ad Ephesinum Antistitem ex Hebreo more circũcidendum Paulus Apostolus tandem indulserit; nisi circumcisus ille fuerit, inuisus populis fuisset, eiusque sermonibus aures obstruxissent: non defuere, qui hoc Paulum Apostolum vt nimis facilem obiurgarent, sed re uerâ facilitas illa prudentia fuit, & amantissima quædam industria: vt Hebræam circuncisionem aboleret, circumcidit Episcopum, & in eius sectionis mercedem retulit, vt deleræ circumcisioni Christianum baptisma succederet; audi aureum Chrysostomum. *Hæc est causa circumcidendi: non enim ferebant audire verbum ab incircumciso. Vide opus? circumcidit vt circumcisionem tollat.* A

D. Chrys. homil. 34. in act.

Subditorum igitur amor comparandus idcircò nobis est, non ad nostram voluptatem, vel formam, sed ad eorum vtilitatem; non vt ab illis laudes, & plausus, & obsequia aucupemur; hoc enim inanissimum quid esset, imò perniciosissimum; seruile quid, & mercenarium esset; in se, & in alios esset arma conuertere: animi oculum proprij caligine amoris esset inuoluere: rapina quædam, imò sacrilegium esset, quo Dei gloriam ipsi tantùm debitam violaremus; demum esset se inconstantiæ popularis auræ subijcere: illud igitur vnum è nostrâ benignitate perquiramus, nempe vt Diuinam gloriam, & populorum salutem amplificemus, vt enim egregiè Augustinus. *Homo non placet vtilitèr, nisi cum propter Deum placet, id est, vt Deus placeat, & glorificetur.* B

D. August. in ep. ad Galat. c. 1.

Hinc fiet, vt licet populo placere studeamus, in illis tamen tantùm eis adblandiemur, quæ honesta fuerint, & specie pietatis decora; sapienièr enim sacrum virum Diuus Hyeronimus admonuit. *Caue ne hominum rumusculos aucuperis: ne offensam Dei populorum laude commutes.* Cytharedus, (sic Romanus Orator) licet adstantium demulcere aures suo sonitu velit, adhùc tamen cytharæ fides ad sonitus leges moderatur, & flectit; stolidus satis, & rotundus is esset, si eò quod dissonum sonum vel non percipiat vel appetat populus, eam imparatam, & discordem tangeret; imprudentissimus Præsul ille dicendus esset, qui ad subditorum arbitrium ità se suaque temperaret, vt ad eorum tantùm amorem sibi conciliandum intentus, suorum operum decus honestatemque despiceret. *Qui fidibus vtuntur, suo, non multitudinis arbitrio, cantus numerosque moderantur. Vir sapiens, non quod sibi optimum videatur, sed quod velit vulgus exquiret?* Tullium dedi. Si Deo, legibusque Diuinis aduersa populus à nobis efflagitet, vel vt error aliquis tacentibus nobis irrepat, excludendus eius omninò amor est, eique constantèr obstandum. *Non sequeris turbam ad faciendum malum; neque in indicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies.* Illud pronunciamus, quod Iudæis obiecit Diuus Petrus, an scilicet satiùs sit populi votis adhærere, quàm Dei legibus? quàm ille aberraret Antistes, qui vt satis populo faceret, Dei iura, & religionis sacra negligeret: quòd si omnium mores induere videbatur Apostolus, *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos*, hoc vtique, Gregorio docente, ipse fecit, *Non cadendo, sed condescendendo*: vt eos ad se traheret, illud faciebat, non verò vt se simul, & alios perderet; Magisterio charitatis eruditus methamorphoses illas faciebat; quà propter nullius erroris notam illæ præferebant, nec Apostoli tantùm nomen, vel & munus in populorum detrimentum obscurabant: non ad denigrandam sponsam Ecclesiam, sed ad eam venustandam prudentissimæ illæ mutationes dirigebantur. C D

D. Hyero. epist. 1. ad Nepotian.

Cice. Tusc. in fin. & li. 5. circa fin.

Exod. 23.

1. Corint. 9.

D. Grego. 6. moral. c. 16.

Species vultusque omnes speculum repræsentat; ità tamen, vt si deformes illi fuerint, suam speculum pulchritudinem non deperdat; eorum maculas non obuelat, nec vt inspicientium genio adulctur, eorum fœditatem abscondit & minuit; quin liberè eis veritatem ostendit, vt sordes abstergant, & maculas eradant; hoc propè modo Paulus omnium vultus, omnium animos exprimens, lacrimari cum tristibus, lætari cum lætis videbatur; inter hæc tamen inconcussam Dei legem seruabat, & vni Diuinæ gloriæ gentiumque saluti insudabat.

Quin idem Apostolus apertè omnibus profitebatur, nullatenus se voluptati alienæ indulgere in eis velle, quæ Diuinam gloriam non amplificarent: cæterùm sui regiminis oneri se æquè supponerent, cum compertum satis ei esset, fieri ferè non

non posse, vt satis simul faceret hominibus, & Deo, cum huius voluntas plerumque ab eorum voluntate discordet; vt igitur Deo adhæreas, ab hominum voluptate non rarò discedas oporter; *nam si adhùc hominibus placerem, seruus Christi non essem*: qui enim simul hominum, & Dei voluntas inter se conueniant, si hæc tantùm cælestia appetenda doceat, illa vero terrena tantum affectet? Cum Paulus (tunc tamen Saulus) Christi fideles cruentâ vastitate insectabatur, perdilectus genti suæ erat, suique populi delicium, omnium amore, omnium laudibus, & plausibus efferebatur. Vix tamen ad Christi fidem vocatus miles euasit, vt omnium cachinnis, omnium calumnijs impeteretur, ipsamque in eum mortem auidissimè intérarent: Quin, cùm idem Paulus vnà cum Barnaba in Lychaonia claudicantem morbo, quo prepediebatur, absolueret, vt Deos è cœlo lapsos salutarunt, Barnabam Iouem, Paulum Mercurium appellantes; vt autem paulòpost Iudeorum blaterationibus obsessi, sciuerunt Christianæ Religionis eos assectas esse, immutato statim sermone, thura, & hostias in eorum honorem immolandas deferentes, lapidum imbre in eos immisso, vitæ ferè spiritum ademerunt. Galat. 1. 10. Act. 14. 7.

Hominum beneuolentiam si quis suo ministerio deficiens aucupetur, prodere A quodammodo est, tùm se ipsum, tùm Christi nomen; ad euitanda improborum odia, si quis ea supplicia, quæ litui virtute potest infligere, omittat, ea reijcere videtur diademata, quæ pretiosissima sortiretur in Cælo inimicorum manu elaborata: malorum præconia affectare, suum decus dedecorare est, & Christi laudes reijcere, & eam legem euertere, quam Episcopis Apostolorum Princeps tradidit, de quo in Epistola ad Sanctum Iacobum scriptâ, Sanctus Clemens discipulus simul, & successor restatur hæc statuisse: *Itaque si te mali ex fratribus propter rigorem iustitiæ odio habuerint, ex hoc quidem non læderis, sed ex huiusmodi odijs amor tibi conciliabitur Dei, & ideò satage magis, ac refuge, ne lauderis ab iniquis, & ne à pessimè agentibus diligaris; sed potius propter iustam dispensationem, & æquissimam regulam disciplinæ à Christo collaudari merearis.* D. Clemē. Ep. ad Iacob.

B Commendandum quidem videtur, vt in honestis rebus impertiendis satis subditis Episcopi faciant; verùm in eâ esse sententiâ, vt quæcunque illi petierint, vltrò permittantur, quocunque Præfecto, nedùm sacro Antistite indignum prorsus est; cùm satis innotescat, non semper honesta, sed plerumque ea ab hominibus postulari, quæ vel immoderata libido vel propria vtilitas subministrat, quibus certè adhærere non debet, qui Diuinæ tantùm voluntati obsequi tenetur, & eius genio inseruire. Accipe Nazianzenum. *Hoc vnum requiro* (In Episcopo) *Vt ex numero sit, vt alijs, inuidiæ sit, non miserationi, qui non in omnibus rebus cunctis obsequuntur, sed qui in quibusdam etiam ob rectè studium in hominum offensionem incurrunt. Alterum enim in præsens iucundissimum est, alterum in posterùm vtilissimum.* D. Naziaz. orat. 3. ad fin.

C Duos Diui Pauli sermones satis sibi primo aspectu discordes, componit sapientissimè Diuus Augustinus: hic enim significat, se non Christi seruum fore, si placeret hominibus, cùm aliàs, vt hominibus placeret, vires se omnes intendere glorietur: *Per omnia omnibus placeo*. Quid hic dissoni habes, ait Augustinus? sicut enim, qui nauim locaturus diceret, nauim ego non quæro sed patriam, hic profectò nequaquam sibi repugnaret; sic Apostolus placere omnibus studens, nec se placeret eis velle, sed Deo affirmans minimè sibi discordat, cùm hac solum de causa placere eis vellet, vt eos Deo coniungeret. *Sicut ergo non absurdè loqueretur, qui diceret: in hac opera, qua nauem quæro, non nauem quæro, sed patriam; sic Apostolus conuenienter diceret: in hac opera, qua hominibus placeo, non hominibus, sed Deo placeo: quia non hoc appeto, sed ad id refero, vt me imitentur, quos saluos fieri volo.* D. Aug. in sermon. 2. de serm. Domini in monte 1. cõ. 33.

Sic pariter Diuus Gregorius omnes in suo Pastorali adhortatur, vt operam D omnem adhibeant, ad sibi populorum vindicandum amorem, vt huius auspicio faciliùs, & dulciùs pietati eos possit obstringere; arduum enim opus est, vt se illi ducendos committant populi, qui non diligitur: totus autem in eo sit, vt non ad suam voluptatem, & vtilitatem diligatur; hoc enim quid aliud esset, quàm in Deum rebellare, & arroganti quadam tyrannide subditorum corda, quibus imperare D. Greg. 8 pastor. cap. 8.

imperare tantùm Deus debet, sui amoris potentiã sibi vsurpare: *Ne inueniatur ei, cui seruire per officium cernitur, occulta cogitationis tyrannide resultare.* Duos inde Pauli sermones afferens subdit. *Placet ergo Paulus, & non placet: quia in eo quod placere appetit, non se, sed per se hominibus placere veritatem quarit.*

Non ergò ab hominum comparandâ beneuolentiâ nos repellit Apostolus, sed ad eam inquirendam nos excitans, hoc tantùm studet, vt eam ad excelsiorem nobilioremque finem omnique sæcularium rerum sorde defœcatum referamus: tota vtilitas, quæcunque ea sit, Deum in vnum redundet: cum igitur tibi Præsul

D. Greg. D. c. 8. occurrit, ait Diuus Gregorius, qui ne subditorum sibi amorem imminuat, ad A malos arguendos segniter fertur, & publicæ rerum corruptelæ conniuet, dicendus ille meritò est Christiani nominis hostis, fidei orthodoxæ adulter, & ephæbo illi persimilis, qui sui Domini thalamum fœdaturus suæ Dominæ amorem sibi conciliat, & vt leuissimè dicam, Idolum in se ipso erexit & ad sui vnius honorem, ipsam Dei gloriam immolat, & extinguit. *Ex amore etenim suo ment Rectoris in mollitiem vertitur, quia cum peccantes subditos respicit, ne erga hunc eorum dilectio torpeat, corripere non prasumit*: è suo autem amore hoc totum exoriri ex eo maximè putet, quòd plerunque beneuolentia hæc cum Magnatibus, & proceribus blandissimè adhibeatur, cum è contrà rigor, & durities in egenos, & pauperes obarmetur. *Sed hac Rectores, qui semet ipsos diligunt, his procul dubiò exhibent, à quibus sibi nocere posse in studio gloria temporalis, timent: nam quos nil contra se valere conspiciunt, hos nimirum asperitate rigida semper correctionis premunt.*

Permultos Præsules simul coactos alloquens Diuus Bernardus, vt ad hæc perpendenda peruenit, tanti momenti, & ponderis ea duxit; tantamque perniciem B in Christianam religionem effluere, vt piâ quadam libertate vsus, facilitatem damnauerit, quam aliqui eum Magnatibus agentes adhibent, in ijs permittendis, quę

D. Bernar. in serm ad Pastores in Synd, 1. Cor. 2.10. cæteroquin omninò præcludenda illis essent. *Palpatis Principes: sustinetis enim, quod vos in seruitutem redigant, quòd deuorent, quòd accipiant, quod super vos extollentur: id circò ad velle eorum loquimini; ad velle eorum ligatis, & soluitis, ipsi sunt semiepiscopi, & semiarchydiaconi: imò vt verùm fatear supra Episcopos, supra Archydiacones, supra Presbyteros.* Pessima hæc morum sacrorum pestis ex eo d riuatur, quòd Diuina negotia nostris posthabeantur, & magnatum amor ad nostra commoda dirigatur.

Si æquitatis amantissimi homines essent, vtique eorum sententia, & voluntas cum Dei voluntate facilè conueniret; verùm quàm paucissimi sunt, qui rationis arbitrio ducti, imperium sensus ignorent: in beneficijs postulandis, æquitatem vtilitati, pietatem cupiditati postponunt; quæ preces primò videntur, cedunt in C imperia, repulsa indignationem parit, ac si eorum authoritati quid raperetur;

D. Bern. oc. cit. quid aliud autem hoc dixeris, quàm, Diuo Bernardo referente, in partem Episcopalis Principatus irrumpere: immò Episcopis ipsis se maiores afficere.

Illud vnum tantùm ipsi respiciunt, quod postulant, & commendant; at Episcopi est omnia ad iustitiæ lancem excutere, & librare, an scilicet liceat, an expe-

1. Cor. 6. 12. diat. *Quandoquidem omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*: tria enim hæc in vno quoque agendo perpendenda monet Diuus Bernardus. *An liceat, an deceat, an expediat*: nec sanè expediret, si mala aliqua secum traheret, vel vitiosis moribus viam referaret: præterquàmquod ab alijs primò imprudentioribus exemplum illud efferretur, quo probarent improbi, non esse sibi denegandum illud beneficium quod alijs fuerit impertitum.

Mirandum sanè est, quòd vt vel de crimine puniendo, vel de pia aliqua lege referuandâ agitur, plurimi illicò, patrocinatores aduolent, qui contendant, vt D eorum voluntati obsequatur, & indulgeat Præsul, conscientiæ suæ leges, Deique præcepta contemnens: si imprudentes illi fuerint, eorum imprudentiam nostrâ

D. Paulin. ep. 6 ad Seuerum. prudentia compescamus: Paulinum Nolæ Hyerarcham dabo. *Displiceamus ergò his, & gratulemur ijsdem nos displicere, quibus & Deus displicet.*

Maximè quidem compertum Præfectis omnibus esse debet, vt Deo simul, & sæculo placere non possint: hoc certè Chrysippus agnoscens suæ Reipublicæ re-

Stob. Ser. 43. gimen constantèr detrectauit, illud, vt Stobæus refert, pronuncians. *Quia si malè*

malè rexero; Dijs displicebo: sin benè, Ciuibus. Quàpropter, dùm in ijs, quæ ad nos spectant, hominibus gratificari studemus, si honestatis limites irrumpentes in sanctuarium ipsum inuaserint, vel ea postulare ausi fuerint, quæ omninò reijcienda nobis sunt; si duci à Pastore noluerint oues, easque rationes non approbauerint, quibus ad inferendam repulsam impellimur; illud vnum nobis super est, vt scilicet æquissimo animo hoc patiamur, Diuinamque semitam haud deserentes, illud meminerimus, quod ad Florentinum Præsulem Ricasolum scripsit Catharina Senensis, vt scilicet proprio amore exuamur, oporteat vt Diuinum amorem indui, seruilem timorem displicendi alijs excutiamus; corporì enim suæ
A Ecclesiæ id circò nos Deus inseruit, suæ dulcissimè sponsæ lacte nos enutriens, vt ad Sanctissimæ Crucis mensam hoc tantùm cibo vescamur Diuini honoris, & salutis animarum: certè cum se Beatæ Brigittæ Virgo Deipara videndam dedit, tres ei detexit labeculas, quibus sacerdos quidam, pro quo precabatur, laborabat; illarum autem vna in eo versabatur, quod placere magis hominibus quàm Deo ardentiùs contendebat.

Catharina Senensis litt. fol 44. & seqq.

Reuel. S. Brig. lib 4. c. 126.

§. II.

NON laudi sed dedecori vertendum est, quod de Traiano Plinius ait, dum eius amorem, & pietatem erga sibi subiectas gentes commendans, pronunciauit, amorem primò populorum, inde Numinis sibi comparasse. *Adeo tibi ni-*
B *hil amore Ciuium antiquius, vt ante a nobis, deindè à Dijs, atque ita ab illis amari velis, si à vobis ameris.*

Plin. in panegiri.

Detur hoc non Idololatræ tantum, sed Atheo, qui Cælum calcans, & terram adorans, Diuinis humana, fœda conuersione postponat: hoc autem, si in Ethnico Principe tàm indecorum erat & turpe; quam sanè maculam sacro Principi inureret?

Mercenarium seruum inter, & Pastorem discrimen hoc intercedere Diuus Bernardus docet, quòd Pastor ad gregem tuendum, Dynastarum potentiæ se fortis obiectet, & quæ iniqua videntur, audactèr illis deneget, eorumque vim in pauperum vastitatem armatam retundet impauidus; verùm mercenarius discrimina omnia euitans, eorum potentiam, & iram reformidans illis gratificetur, blandiatur. *Vnde fugit? à rectitudine iustitiæ, à defensione Ecclesiæ, à liberatione Patriæ, à tuitione pupillorum, & viduarum.*

D. Bernar. ferm ad Pastores in synod.

C Ad Ioannem Syracusanum Præsulem scribēs Diuus Gregorius eum adhortatur, vt validè, & robustè cuncta perficiens, Deum recogitet suum adiutorem, nec vllum formidini locum permittens cuiuscunque potestatem, & vires despiciat, vt sacram disciplinam tueatur: hoc autem ipsum suomet exemplo Pontifex Magnus confirmauit, quod afferre hic placet, tùm quia ad rem maximi momenti eo roborantur Antistites, tùm etiam, vt sibi illi caueant, qui admodum faciles suo patrocinio flagitiosos viros opitulari contendunt. Salonensem Præsulem Maximum Romanus Sanctus Pontifex aduocauerat, vt se de fœdis criminibus expurgaret. Præsulem commendans validissimè ad Pontificem scripsit Iulianus Scribonius, ei significans, vt leniter eius causam agens, Canonum vim asperitatem pro eius defensione retunderet; hoc autem, vt ab eo faciliùs extorqueret, Principum, populi, & Cæsarum vota, suffragiaque repræsentauit: vides hîc scopulum, quo plurimæ impactæ naues miserè colliduntur; sed reuerà Palinurum hæc habuit expertissimum, cuius ductu portum fœliciter appulit: ad Scribonium Pontifex rescri-
D bens ostendit, immanissimum, & propè inexpiabile crimen fore, si dum sæculares Principes profanarum legum vim tam sanctè, & immobilitèr seruant, sanctas Canonum leges sacri Principes negligerent, & eneruarent; *Si sæcularibus efficys ordo suus, & tradita à maioribus disciplina seruatur, quis ferat Ecclesiasticos ordines temeraria præsumptione confundi, audita negligere, & emendanda non benè remittendo postponere?* Paratissimum hinc se exhibet, ad causam liberè, rigidè, iuxtà absolutissimas iustitiæ leges agendam, ex hac ratione, *Nam si (quod absit) Ecclesiasticam*

D. Greg. lib. 6. epist. 19.

D Greg. lib 120 in epist. 2.

iustitiam sollicitudinem, vigoremque negligimus, perdit desidia disciplinam, & animabus profectò fidelium nocebit, dum talia à suis pastoribus exempla suscipiunt. Demùm, vt ea infirmaret, quæ de Principum, & populi votis ille scripserat; hæc addit aptissima Episcopis, eique simul, qui sui suffragio nominis alijs intercedunt. *Illud autem, quod scribitis, quia voluntas Palatij, & amor ab eo populi non discordes: hæc res à iustitia nos zelo non reuocat, nec intentionem nostram facit in inquirendâ veritate peccando deficere.* Demùm statuit; *Studendum ergò est fili Magnifice, vt amorem quisque Dei sibi conciliet. Nam sine Diuinâ gratia, humana dilectio, quid dicam in posterum, dum modò quoque apud nos amplius nocet.* A

Venustissimum illud est, quod è Diuo Augustino habes; plerosque scilicet in alienâ domo impunita ea crimina velle, quæ suos intrà parietes damnarent acerrimè: vocantur hi à Diuo Bernardo inuerecundi; *Inuerecundi ad petendum, ad negandum frontosi.* Non abs re hìc referam, quod olim adolescens excepi; cum enim arctioribus quibusdam legibus laxam quarumdam Monialium disciplinam quidam Episcopus obfirmasset, ad sæcularis Principis patrocinium Moniales confugientes, commendatorias Epistolas ab eo impetrarunt, quarum vi obsessus Episcopus animo cecidit, vltrò eis omnia postulata permittens: breui mortuus Episcopus, Episcopalem suam sedem Principi illi occupandam reliquit, qui Pontifice concedente eam sibi habuit; vix autem eam ingressus est, vt subitò sanctas easdem leges, quibus Monialium libertas ab extincto Antistite refrœnata fuerat, validiùs confirmaret, constantèrque seruandas eis exhiberet: ad hæc Moniales eius pedibus aduolutæ illi exposuerunt, eas esse leges, quas dum Princeps sæcularis esset, ab eis præ suâ potentiâ, & beneuolentiâ amouit, nec illis eas esse iterum obstringendas, quibus iàm amantissimè absoluerat; His ille respondit: Parcatis mihi velim dilectæ filiæ: Epistolas tantùm tunc temporis ego pro vobis impendi, nunc autem meam animam, salutemque meam impenderem, ideòque vobis illas omninò seruandas exhibeo. Sed reuerà decipiebatur iste, sibi persuadens, Epistolas tantùm se ad earum patrocinium adhibuisse: ex illo enim etiam tempore, conscientiam suam summâ iniuriâ implicabat; certè qui reprobos viros tuentur, non leuitèr se eorum criminibus onerant, & multò grauiùs, si vel testes impedierint ad veritatem confirmandam, vel audaces inuenerint ad eneruandam. B

D. Aug ad Maud. ep. 54.

Hac igitur in re, ratione, & prudentiâ temperare quisque se debet, & ea obseruans, quibus Episcopos Diuus Gregorius informauit; *Debet rector semper subtili examine bona, malaque discernere, & qua, vel quibus, quando, vel qualiter congruant, studiose cogitare.* Studeat igitur Antistes solidarum fulgore virtutum, sibi populi amorem vsurpare, liberalitèr ea concedens, quæ honestè concedenda videntur, nullamque suo exemplo morum licentiam foueat, ne viuendi corruptelam inducat; si quandò autem petita reijcere, & negare cogatur, id ille sine supercilio, & bile faciat; quin vultu ipso benignus, & lenis, tùm sermone, tùm aspectu fidem petenti faciat, quàm ægro animo ferat, facere ei satis non posse: quàm laudatus de hoc Traianus à suo Plinio fuit! *Operæ pretium est referre, quod tormentum tibi iniunxeris, ne quid amico negares:* vim quandam à sua innatâ beneuolentiâ percipiebat inferri ad ea neganda, quæ petebantur; an non igitur cruciaretur animo, dum amoris impetum sequi vltrò non posset?

D. Greg. Past. c. 1.

Plin. in pane.

Hac agendi formâ se Diuus Gregorius temperauit, cum Constantiæ Cæsarissæ studiosissimè deprecanti, vt abscissum Diui Pauli caput ad se mitteret, respondit, *Dum illa mihi desideratem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens, vestram ergà me potuissem gratiam ampliùs prouocare, maior me mœstitia tenuit, quòd illa præcipitis, quæ facere nec possum nec audeo.* Aliàs etiam eidem Augustæ fœminæ superiùs memoratum Maximum amantèr commendanti respondit, quòd sicuti sine suæ salutis discrimine tàm grauem omittere causam non licebat, sic Deum ardentèr exorabat, vt eius innocentiâ patefactâ causam posset lætissimè expedire. C

D. Greg. lib. 30. ep. 30.
D. Greg. n. 4. ep 34 propè fin.

Verùm, si ad hæc adeò benignè, & humanitèr præstita, adhùc illi animo exasperato recrudescerent, pacatissimè nos omnia patientes, gratias Deo dabimus, D

quòd

quòd nunc temporis. Christiana Religio maximè efflorescens, eas non patiatur
A angustias, quibus olim, Diuo Gregorio imperante, laborabat, adeò vt non Episcopis tantùm, sed ipsimet Pontifici, Cæsateo diademate vim inferre Principes auderent; quà propter in eàdem epistolà continere se Gregorius non potuit, quin cùm Augustà conquereretur, quòd Cæsar ei præceperit, vt Salonensem memoratum Præsulem honoraret; do eius verba. *Si Episcoparum causa mihi commissorum apud pijssimos Dominos aliorum patrocinijs dispenuntur, infælix ego in Ecclesiâ istâ quid facio?*

De amore, quo suam Ecclesiam prosequi Episcopus debet. Cap. III.

B

INnocens quoddam veneficium amor est, cuius vi nullà carminum maleficorum virtute roboratà, amati animo vis infertur, & mutua cogitur reddere amoris officia; tunc igitur Antistes populi sibi amorem procul dubiò comparabit, cùm eum, cuius amorem exoptat, & ipse priùs amauerit. Ad hoc autem, licet hanc rationem exceperis, è suo met munere arctissimo vinculo obligatur.

Multa ego quidem in præcedentis partis extremo capite attuli, examen illud discutiens, quo Pontificum conditor Christus Pontificem Petrum inauguraturus eius amorem, qui scientia Sanctorum est, subtilitèr inuestigauit, consultò tamen ad hoc caput instruendum distuli rationem.

Compertus vtique Christo Domino Petri amor erat, cùm Petri animo præsentior ipsomet Petro Christus esset, nec leuitèr ignoraret, quàm vberi largoque gemitu sua ipse errata redemerit. Quid plura? an non eius amoris vehementiam
C expertus ipse fuerat, cùm audiens in littore Magistrum adesse, moræ longioris impatiens, *Tunicâ succinxit se, & immisit se in mare*: cæteri verò in nauigio venerunt: eius vim amoris haud quaquam tota maris vehementia fluctuumque sæuientium ferocia valuit coercere, eosque ignes, quos eius animo succenderat amor, maximi elementi aqua ingesta non potuit extinguere: *aqua multa non potuerunt extinguere charitatem*; quid igitur? Audi Chrysostomum: hoc ille examine tùm Petrum tùm Episcopos omnes eius administros, certiores facere voluit, de amore quàm maximo, quo suam Ecclesiam diligebat, vt nos ad eam pari amore diligendam obstringeret. Quæ hùc vsque fecerat Petrus amoris experimenta, in ipso tantùm Christo versabantur; vt ergò limites exiliens, ad populorum amorem progrediatur, eum suo amore excitat, cùm populorum amor ab amore Dei non dixtinguatur, duosque istos inter amores fieri sine vitio possit circulus vitiosus: accipe iam eius sermonem. *Vt & Petrum, & cæteras nos edoceret, quantâ beneuolentia, & charitate ergà suam ipse Ecclesiam afficeretur: vt hac ratione, & nos quoque eiusdem Ecclesiæ studium, curamque tota anima susciperemus.* Hinc responsio patet, qua Philosophus quiescet, si diceret, id quod ex antecedenti consequitur,
D dialecticis legibus repugnare, ac si loco dicendi, amas me tu? dicturus potius esset, amas ne meum gregem? illum ergò pasce: sed validissimum enthimema Christi est, cum amare Christum nullus ingenuè possit, qui suam simul Ecclesiam suo sanguine redemptam ardentissimè non diligat, cùm nihil extra se ardentiùs eà Christus amauerit; si ergò me amas, pasce oues meas; ac si primus veluti gressus, quo ad sedem Episcopalem quis accedat, amor sit, quo primùm Christo cor suum Antistes deuouerat: & posteà, veluti per repercussionem, amor idem, vt docet Angelicus, conuertatur in gregem; hæc perpendens Chrysostomus examen idem aliàs explicans, sic habet. *Initium sumendum à proximi dilectione, vt Pastor id muneris accipiat, vnde Petro dicebat Christus. Pasce oues meas. Christum enim diligens, & gregem illius vtique diligit.*

Hinc paritèr collige amoris vehementiam, quo populos amare tenemur, & quàm

Ioan. 21. 7.

Cant. 8. 7.

D. Chrys. lib. 2. de sacerd.

D. Chrys. serm. 19. in Ioan. 21.

quàm purus & candidus omnique terrena sorde alienus amor hic exardescere debeat, cùm è purissimo fonte Diuini amoris effluens ad ipsum postea reuertatur, & in amabili sui cordis thesauro conquiescat. A

Quin, vt ad nos magis obstringendos, nostrumque inflammandum amorem conari videretur Deus, haud dixit Petro. *Pasce oues tuas, sed meas*. Si ex animo me diligis, si mea gloria tibi cordi est, gregem meum meo ipso sanguine mihi cariorem pasce; illum enim tu pascens & nutriens, me ipsum pascis & nutris: quę pro eius studio confeceris, in me refluo beneficio conuertentur; pro curis, laboribus, molestijs sumptibus, quos ad eum excolendum impenderis, æternitatis volumine, non terreno calamo, sed è Solis luce desumpto radio ego me debitorem inscribo: nulla mihi gratior hostia immolabitur, quàm amor, quo eum anxiè diligas, & fideliter seruas: meæ sunt oues & ex omnibus, quæ possideam, ditissimus thesaurus; satis hoc tibi fuerit; *Qui diligit meas oues, me diligit*, sic Chrysostomus, qui postea subdit, *nullum enim officium hoc charius est, eandem curam, quam nobis impendit, reposcit; neque prorsus alia res est, quæ perinde declaret; doceatque quis sit fidelis, & amans Christi, quàm si fratrum curam agat, proque illorum salute curam gerat*. Quàm igitur excelsum sit sacerdotium, quo Deus nos decorauit, hinc patet, cum ad opus præ omnibus pretiosum & illustre nos euexerit, nobisque meritorum immensum campum reserauerit; hinc etiam, colligas, quàm sollicitè nostro muneri inuigilaturi simus, vt commissum nobis depositum tueamur, non tanquam rem nostram, sed vt Christi patrimonium, illud animo persuasum habentes, quòd cum sacri Principes inaugurati fuimus, illa verba nobis insonuerint, quibus Saulem Samuel alloquutus est. *Ecce vnxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem*: vt pro nostra imbecillitate intelligamus, eodem cum amore & beneuolentia nos illud seruaturos, qua Christus ipse seruauit: Quasi dicat, sic Gregorius, *hæreditatem suam tuam fecit, vide vt in ea aliter non te geras*: non alio planè modo quàm eo, quem Præceptor Diuinus exemplo suo reliquit. B

D. Chrysostom.

Quid igitur mirum, si in hebræo idiomate Pastores vocentur *Rhoęim*, hoc est *amatores*: totum enim eorum munus in amore versatur, & quoniam, vt Aristoteles docet, *amare est velle bene*. contendant potissimùm, vt sint populis adiumento. Charitas hæc, quæ fœcunda operibus sit, Episcoporum propria est; quandoquidem, vt Diuus Thomas docet, cum tria in Episcopali ordine distinguantur; muneris sublimitas, & populorum obsequium, *Vnum principale & finale, scilicet Episcopalis operatio, per quam vtilitati proximorum intenditur, secundum illud Io: vltimo; pasce oues meas*. Consideratè igitur & maturè ad Tymotheum scribens Diuus Paulus asserit; *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, vides, vt statim ad solum opus sermonem suum obstrinxerit; *nec enim*, si duæ aliæ partes respiciantur, sine suæ salutis discrimine desiderari Episcopatus potest, ut in prima hujus operis parte docuimus, tum nihil aliud quàm opus præferat Episcopatus *opus bonum*: amoris opus sit, necesse est, cùm nihil bonitatis characterem sine amore fortiatur; qua de causa egregiè ab Augustino appellatus fuit. *Necessitas charitatis*, ac si ex amore tantum & charitatem populorum se illi supponere quisque debeat, & è studio, quo humanæ Societati seruire & consulere exoptamus. C

D. Paulus ad Timoth.

Tres igitur dotes, quæ colluceere præ cœteris debent in Principibus, docente Diuo Athanasio Episcoporum omnium illustrissimo, primarium meretur locum. *Mutuus affectus & amor erga homines quæ & Deo insunt*: ac si subditorum amor, tam vegetus, tam candidus, tam potens sit; vt Diuinum amorem imitetur; sicut enim amor, quo nos prosequitur, non sistit in animo sed versatur in opera; non otiatur, sed in perenni beneficiorum effusione adlaborat, sic noster erga subditos amor emicare debet in operâ: audi Gregorium; *Probatio dilectionis, exhibitio est operis*. D

Hinc fuit, vt Pontificium diadema non prius Petro concesserit Christus Dominus. quàm sui flammam maximè ęstuantis amoris ostenderet; ac si diceret amor, quo ab amicis diligor, non segnis est, non iners, non otiosus, ad magna succenditur; inter labores & ęrumnas haud torpescit; si ergo me diligis, Episcopale

pale munus excipe, quo nullum laboriosius, nullum molestius: ex Ambrosio.
A hæc habes sic loquente. *Ideò commisit Christus Petro pascere gregem suum, & Domini facere voluntatem, quia charitatem eius agnoscit: qui enim diligit ex voluntate, facit quæ sibi sunt imperata, qui timet, ex necessitate.* D. Ambros in Psalm. 118.

Cum cædi Hebræum virum Moyses adolescens inspexit, præ immenso amore quo patrium nomen diligebat, in Aegiptium occisorem irrumpens, læthali discrimine cum absoluit; duos inde alios Hæbreos inueniens de re quadam asperè discrepantes, ad concordiam inter eos statuendam, ex illis alterum obiurgauit: iniquè hic obiurgationem ferens ait. *Quis constituit te Principem, & Iudicem super nos?* vt maximè ineptum & tardum damnathunc Hebræum D. Chrisostomus: ex ipsis enim operibus adeò beneuolis, & humanis agnoscere satis ipse poterat, Principem suum esse Moysem, non quidem nomine, sed munere. *Insipientissimè dicebat ad illum Hebræus quidam; quis te constituit Principem super nos? quid dicis? opera vides, & de nomine controuertis? quemadmodum, si quis viso medico, qui optimè secet, & infirmum corpus adiuuet, dicat quis te constituit medicum &* D. Cryfosth. hom 15. in 2. ad Corinth.
B *secare iussit?* Pastor vtique & Princeps dicendus iure ille est, qui ad aliorum beneficia, tùm animo, tùm dextrâ paratissimus accurrit: ex aduerso autem, qui huiusmodi amore destitutus frigescit, qui vel vt proprio genio indulgeat, vel vt proprium amorem foueat, vel è naturali aliquâ corporis compositione, charitate illâ non æstuat, alienam salutem non eàdem librat mensurâ, qua suam, & ad alios adiuuandos, si necessitas vrgeat, vel leuissima pericula reformidat, indignus omninò est, qui infulatus eluceat; satis ipse à Diuino amore alienum se præber, cuius amor socius semper hominum amori est; recedat ab Episcopali sede vir iste, ne sine charitate munus charitatis amplectatur; *Ideoque eam nondum adeptus periculosissimè promouetur, quantumlibet alijs videatur pollere virtutibus.* D. Bernar. super cant. ad fin.

In hoc ipso quàm sibi discordent Seruus mercenarius, & verus Pastor, intelligere fas est è mente Diui Gregorij: vterque gregi præest, sed iste ex eius amore,
C ille è suo commodo; & cum è fine opera diuersitatem accipiant, maximè diuersa, imò aduersa horum opera sint, necesse est, cum ille pro fine suum lucrum statuat, hic verò lucrum animarum. *Non pastor, sed mercenarius vocatur, qui non præ amore intimo oues dominicas, sed ad temporales mercedes pascit: mercenarius quippe est, qui quidem locum pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit:* hæc Gregorius. Hom. 14. in Euangel.

§. I.

NON immeritò elapsis retrò temporibus Patres vocabantur Episcopi, vt nempè significarent, amore quodam paterno subiectos ab eis populos amari; cùm enim suæ Ecclesiæ, quæ mater fidelium in eâ regione commorantium est, sponsus Antistes existat, hinc fit, vt in filios eos pater agnoscat, & ipse à filijs agnoscatur in Patrem. Quæ autem suauitas est, quâ filios Pater amat & iuuat? quàm laboriosè ipsis inseruit, quàm facilis eorum vel gaudia, vel
D molestias excipit, & in partem eorum accedit, quibus vel tristantur, vel hilarescunt? an non ad eorum beneficia totus industrius semper euigilat? si autem naturæ vim gratiæ virtus exuperat, an non major ille amor futurus sit, quo spirituales filios dilecturi nos sumus, quàm ille, quo suos filios corporeos sui parentes prosequuntur? nulla quidem res est, ait Chrysostomus, quâ fideliùs veri Principes agnòscantur: *Nihil eum, qui imperium gerit, æquè indicat, vt amor atque indulgentia erga eos, quibus præest: nam & Patrem non modò sobolis creatio facit, sed etiam post creationem amor; quod si vbi natura est, tantus amor requiritur, quanto magis vbi gratia?* vt autem ad filiorum commodum sua omnia bona Principes dirigunt, sic statuendum nobis est, non alia de ratione, ad sacrum hunc Principatum nos à Deo elatos, quàm, vt nosmet ipsos obliti, propriamque quietem alieno labori posthabentes, populorum tantùm beneficio D. Chrysostom. in serm. 1. in ad Corinth. init. moral.

& vtilitati viuamus: docuit hæc Apostolus ità pronuncians, *Omnis namque*
Hebr. 5. 1. *Pontifex ex hominibus assumptus*, non pro se ipso, *sed pro hominibus constituitur* A
in ijs quæ sunt ad Deum: in hoc igitur gloria nostra versetur, eximiumque collatum nobis à Deo beneficium veneremur: hinc suam fœlicitatem eriuari quisque existimet, nec ex opum luxu, vel nominis honorificentiâ, sed è solâ
D. August. io Reg. c. 11. alias 33. credat charitate beari; quàm benè Augustinus: *Ipse qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente fœlicem*.

Maius quid proferam! amorem paterno dulciorem & ardentiorem exigere Deus videtur à nobis; matrum instar præcipit, vt eos amemus; nec enim ad Moysem tantùm, sed ad nos etiam ea Dei verba referuntur. *Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum*: sanè doctè simul & ingenuè Diuus Chrysostomus profitetur ab Episcoporum amore, Patrum eorumdem amorem longè
D. Chrysost. homil. 2. in ad tim. superari. *Oportet naturales patres dilectione, & inflammati vi amoris transcendere*: cum enim adeò laboriosum & asperum nostrum ministerium existat, ingens & enixus amor esse prorsus debet, cuius vi aspera emollescant, labores B placeant, spinæ floreant; vnus enim amor est, qui prodigia dulci quadam po-
D. August. ser. 10. post Epiph. ex-or. 18. tentiâ operatur. *Omnia sæua & grauia, facilia & propè nihil facit amor*; sic Augustinus.

Agnosce hic misterium, quod in præcepto Aaroni, hoc est Episcoporum exemplari, commisso latebat: is enim prohibebatur *ne sancta sanctorum*, ingrederetur, præterquàm sacris vestimentis indutus; inter hæc autem illud, quod super humeros gerebat & antè pectus, *rationale* dictum, tribuum nomina insculpta gemmis præferebat: *omnia in figuris contingebant illis*. his Deus significauit, quòd
1. Cor. 10. 6. si vt decet, sacerdotium nostris humeris impositum gestare velimus, & nostrorum populorum quieti vigilias nostras deuouere, eorumque saluti nostra posthabere discrimina, ad pectus etiam, materni virtute amoris, eos præferamus oportet.

Vt autem validissimè hoc idem exprimamus, Pastoris metaphoram prosequamur; quam aptissimè Petrum Christus examinans in medium eduxit: vt enim C sapientissimè Alexandrinus Clemens asseruit, Armentarij Pastoris arte Principatus regimen tàm enucleatè describitur, quàm clarè in venatoriâ exercitatione bellum exprimitur: ipsemet inclytus & potentissimus Cyrus, Xeno-
Clem. Alex. lib. 1. strom. phonte teste, hoc idem asseruit hac dicendi formâ: *& eius oratio memoriæ prodita est, cum diceret similia esse opera boni Pastoris, & boni Regis: nam & Pa-*
Xenof. l. 8. *storem decet id præstare, vt pecora habeant fælicitèr, & his vti (si tamen pecudum est fælicitas), & Regem identidem decet vrbes, atque homines fælices facere, & ijs similiter vti*; hine pariter est, ait Hebræus Philo, vt regno proludere viderentur armentorum Pastores, & Pastores antiquitùs populorum Principes dictos, quo etiam nomine Agamemnonem donauit Homerus, ad eius probitatem commendandam, amoremque celebrandum, quo sibi subditas gentes excolebat.

Verùm luxuriante nunc temporis titulorum vanitate, & effrœni licentiâ Principium superbiâ se porrigente, cum ea solum placeant nomina, quæ Diuinum quid referunt, clarissimum Pastoris nomen sacris tantùm Principibus, cæteris dedignantibus, accommodatur; & meritò, quid enim aptiùs vitâ Pastoris D exprimitur, quàm sacri regiminis forma? assiduam prope gregem præsentiam perpende, vigilantiam ad eiusdem beneficium, pascua quibus eum enutrit, curam, quâ ne palantes & erroneæ oues vagentur, auxilia quibus ægræ & imbecilles sunt adiuuandæ, sollicitudinem ne aggrediantur à lupis, rationem quam
Isai. 40. 11. de illis redditurì Domino sumus, demùm munus, quo illius vices explemus, de quo, cum Pastorum omnium Pastor sit, vaticinatus Isaias fuit; *Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, & fœtas ipse pascebat*: oues igitur suas exquiret, fouebit, enutriet, & si opus fuerit, vel brachio vel humeris gestabit incolumes; adeò vt sacris Pastoribus aptari il-
4. Reg. 2. 13 lud valeat, quod sub alterius metaphoræ velo Eliæ dixit Eliseus. *Pater mi, pater mi currus Israel, & auriga eius*: ita vt eos sinu suo quos gubernat, præferat,

feras, & humeris fulciat, eorum labes errorésque dissimulans, & commiserans: Drog. de Sacr. Dom. passionis.
A ad quæ verba continere se non valet Drogo Hostiensis, quin in ista erumpat. *O vox affectuosa! portas, regis, sustines, & gubernas*: quâ eâdem sententiâ, eadem D. Gregorius interpretatur. D. Greg. l. 1. in Ezech. ho. 11.

Vlterius pergit Angelicus docens, multo artiùs animarum, quàm pecorum Pastores obstringi: labores enimuerò improbos immanesque cruciatus pro sui gregis custodiâ hi patiuntur, vt è verbis Iacob Labano dictis constat: *Nocte ac die gelu vrgebar & æstu*: sed tandem intrà laboriosæ vitæ limites hæ molestiæ circumscribuntur, cum ad gregis salutem vitæ subire discrimina non teneantur; verùm vbi de animarum Pastoribus agitur, annon si necessitas postulet, vel inter millena salutis & vitæ discrimina suis ouibus inseruire tenetur? hoc certè illo Christi sermone significatur, *Bonus Pastor ponit animam suam, id est vitam corporalem pro ouibus suis*, vt Diuus Thomas explicat: sic pariter diuus Cyrillus Christi amorem recogitans, quo nos redempturus cruentæ morti se tradidit, ait. D. Thom. super Ioan. c. 10. lect. 3. Gens. 31. Gens 31. 40. Ioan. 10. v. D. Cyrill. l. 3. in Ioan. c. 1.

B *Ergo eius exemplo, quicunque bonus Pastor debet pro ouium salute animam suam ponere, & propria vita pati dispendium, potius quàm oues suæ pereant*, quod idem ad Eugenium Pontificem scribens, Diuus Bernardus validè insinuauit. D. Bernard. ep. 137.

Huiusmodi autem virorum, qui ad gregem seruandum sui purpurâ sanguinis eum colorarunt, & ad subditorum vtilitatem in amoris arâ se victimas vltrò immolarunt, feracissima fuit Christiana Religio; absque suarum ouium comitatu Cælum hi assequi noluerunt, & pro illis vitæ lucem amittentes, æternam beatitatis lucem suo sanguine geminarunt; vberiùs hæc Rupertus Abbas suppediret: *aspersa sunt ouilia sanguine Pastorum: maduerunt campi, cruentata sunt pascua, ditatum est Cælum animabus, quas Pastores pro ouibus posuerunt*. Ruper. in c. 10. Ioan.

Quis ergo tantum ministerium explere satis posset, nisi amor, *qui si amor est, magna operatur*, leues & amabiles labores ipsos redderet? excurreret onera tàm immania humana infirmitas, nisi charitatis igne succensa, ad illa ferenda se componeret, & recentissimum semper robur indueret: Triumphos certe, quos D. Gregor
C de lupis immanibus referunt frequentissimè Pastores Episcopi, quis tribuere amori recuset? *Nam maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Ioan. 15. 13

Prudenter igitur sapientum omnium Maximus ad molestiarum aculeos retundendos, quibus tantum sacerdotium exasperatur, rationes duas nobis præfert, quarum prima est, vt amantissimè nostrum gregem diligamus, altera verò, ne vitæ huius breuitatem obliti Cælum spectare recusemus, quo laboribus nostris augusta Corona præstabitur. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui*: hîc labor, industria, & vigilantia in grege seruando indicatur, *tuosque greges considera*: ex hæbrea loquendi formâ habetur, *& applica cor tuum ad greges*; animi tui delicium in tuo grege versetur, ad eius fœlicitatem amor tuus infudet, toto corde totisque visceribus eum amplectere & foue; perbreuis etenim labor hic erit, sed æterna beatitas. *Non enim habebitis iugitèr potestatem, sed corona tribuetur in generatione & generationem*: hæc autem verba ad populorum Pastores dirigi Venerabilis Beda docuit, qui tamen vnà cum Hugone Carthusiano, & alijs vulgatæ nostræ adhæret. *Pastori dicitur Ecclesia, diligenter adhibe curam eis, quibus* Prou. 27. 23 D. c. 27. 24 Beda & alij ibidem.
D *te præesse contingerit*.

. Quin, vt mea fert opinio, quamuis nullum habeam qui hæc docuerit, fieri potest, vt ex hoc Salomonis sermone Apostolorum Princeps ea verba ad Episcopos instruendos directa desumpserit. *Pascite, qui in vobis est gregem Dei, prouidentes, non coactè, sed spontaneè, secundum Deum, non turpis lucri gratia, sed voluntariè*: hoc est vnius ratione amoris, qui primò feratur in Deum, & è Deo sine vlla admiratione referatur in gregem: æternam tantùm hic amor coronam affectet, quam stellis radiantem Diuina Charitas elaborat. *Et cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ Coronam*. 1. Petr. 5. 2.

Coronam hanc, primæuæ ætatis Episcopi tàm auidè appetebant, vt ac si fornacem charitatis corde reconderent, non ad oues tantùm sibi commissas ardentissimè incumberent, sed exæstuante in omnes amore, omnium bona, om-

D. Hyeron. epist. 9. nium salutem requirerent, ac si vniuersalis hic amor, pensio quædam Episcopalis muneris esset: De his Diuus Hyeronimus. *Pro officio Sacerdotij, omnes Christianos filiorum loco diligimus; & profectus eorum nostra est gloria.* A

Quin viuentes adhùc Coronam istam assequimur; quandoquidem prætérquàm quòd huius amoris vi, populorum obseruantiam & venerationem facilè Antistes imperat, famam insuper vigentem nomini suo comparat, & comparatam amplificat; hinc Diuus Chrysostomus. *Nihil tàm clarum facit gerentem magistratum, atque dilectionis studium erga subditos.* Patet igitur paternum hunc Episcoporum amorem tria illa bona præ alijs pretiosissima ingenti cum lucro producere, vtile, delectabile, & honestum. (D. Chrysost. hom. 15 in 2. ad Corinth.)

Exempla ad eandem sententiam confirmandam afferuntur. Cap. IV.

B

PRINCEPS simul & Episcopus in lege scriptâ Moyses fuit, & cum suo fratre Aaron maximus sacerdos, *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius*, sic Regius Psaltes testatur, & concordi suffragio Diuus Gregorius Nazianzenus & Augustinus affirmant: quin eius prodigiosa facinora describens Philo, sic suum opus absoluit. *Hæc est vita, hic exitus Moysis, Regis, legislatoris, Pontificis, & prophetæ:* populorum Pastor enunciatus fuit, cum mandante Deo audijt; *Porta eos in sinu tuo*, & multò clariùs cum ad Hebræos è captiuitate Pharaonis educendos, & ad promissam terram eosdem adducendos electus ipse fuit, vt constaret, in hoc tantùm Episcopi ministerium versati, nempe vt populos è captiuitate Dæmonis liberet, & promissum cælum eis impertiat; iure igitur meritò tanquam omnium Hyerarcharum Idea, à Diuo Petro Venerabili, & Thomâ de Villanouâ Moyses præficitur: licet hic innumera ingentiaque beneficia, quibus suum populum cumulauit, pessimo ingrati animi vitio ab Hebræis viris obrui cognosceret; ad hùc tamen, cum è nefariâ vituli aurei adoratione in Hebræam gentem Numen vidit iustissimè obarmatum, amoris dulcissimi vi eò raptus fuit, vt eligendum Deo daret, vel populo parcere, vel ipsum perdere, *aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti:* propriæ salutis pretio salutem populo comparauit. Tantâ ille charitatis copiâ ditescebat (sic Rupertus Abbas), vt ad eam metiendam tenuis quæuis alia copia videatur: amoris vi, qua populum diligebat, cælestis illi gloria desipiebat, & sine socio populo ipsa Cæli dulcedo amarescebat; amantissimus sui gregis Pastor ab eius diuidi societate recusabat; an non deliratio hæc videtur? quis vnquam adeò desipuit, vt cæleстem à se gloriam reiectaret? quis adeò prodigus, vt veluti per iocum æternæ beatitatis patrimonium dilapidaret? *Quid dicis? cælum contemnis? expugni petis?* Quid si perdatur populus, tu te serua? amoris leges ignoras; sic pro Moyse aureus idem Ioannes respondet. *Vtique inquit, diligo siquidem illos licet iniustè egerint, & quid patior? amor enim est.* Paulò anteà parùm abfuit, quin insanientis illius gentis ferociâ, lapidibus Moyses obrueretur, & tamen ne illa breui pereat, æternùm ipse perire eligit: vnum hoc charitatis prodigium cætera alia Moysis prodigia obscurauit, & ex amore magis videtur ipse commendandus, quàm è domitis elementis, naturàque ferè totâ suæ potestati subactâ: accipe verba Chrysostomi: *Moyses multa & magna operatus est miracula, sed nullum tàm magnum eum fecit, vt beata illa vox, quam ad Deum habuit: aut dimitte eis hanc noxam &c.* Populo alteri, qui amantior & obsequentior sit, præficere eum Deus vult, recusat tamen Moyses, amoremque totum ergà sibi iam traditum populum deuouet & absumit; egregium hic documentum præbetur Episcopis, ne ex vno grege ad alium transferri meditentur: flagitiosissimus omnium populorum Hebræus est, innocentissimus omnium est Moyses: quid? vt flagitiosis parcatur, sua innocentia puniatur: ad eum ergò concinno sermone conuersus aureus Ioannes. *Nihil peccasti & cur particeps desideras esse supplicij?* C D

(Psal. 98. D. Nazian. 6, sub init. D. Aug. q. 23. in leuit. Phi. lib. 3. de vit. Moys. ad fin. Num. 11, 12 exod. 32. 31 Exod. 32. 31 Ruper. abb. ibid. D. Chrysost. homil. 7. in ephes. D. Chrysost. hom. 25. in 1. ad Corinth. D. Chrysost. vbi supra.)

cur

cur pœna coniunctus? cur tribulationi socius? hinc respondentem cum exprimens
A pergit. *Quam iucunditatem, quid beneficij, cum alij vniuntur, sentire possum? nec fructum mea commoditatis agnosco, cum teneantur alij laceratione supplicij.*

Quis vnquam genitor tàm absoluto amore exarsit? pareè nimis & auarè de eo loquutus Abulensis mihi videtur asserens, *quòd censebatur tanquam pater & mater populi, quia erat Prælatus, & populus ille adhùc erat rudis.*

In medium iam gentium Apostolum & Episcopum Paulum proferamus: suauissimè & ipse Corinthios diligebat, eòque feruentior amor erat, quò mutuus eorum amor erga ipsum deficiebat, adhùc tamen ad eorum vtilitatem labores, curas, ærumnas, itinera, paratissimus suscipiebat; nec his acquiescens suammet vitam pro illis impendendam offert; eisque Cæli gloriam empturus, suppliciorum, carcerum, cruciatuum, mortis ipsius pretium a se soluendum non reformidat. *Ego autem libentissimè impendam, & super impendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens minus diligar:* vulgaris amor est qui, nisi fuerit mutuus, extinguitur: ad ingrati animi vitium, veluti ad maleficæ auræ afflatum amoris 1. Corinth. 12. 13.
B vnda exarescit: auram tamen hanc Pauli charitatis vicit oceanus: nullam ipse sibi è suo amore vtilitatem, nullam mercedem appetebat, suique oblitus in Deum tantùm optabat, vt amor omnium collimaret.

Tenue quid hoc ipsum Paulo fuit: infimum ferè visum in amore fuit, quod alijs supremum videtur: Moysem & ipse æmulatus optauit pro sibi commissis populis æternùm perdi, vt Hebræos & ipse cælo donaret, donandum sibi cælum vltrò repudiauit. *Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*: hoc illi in votis erat, vt si fieri posset sibi destinatam beatitatis coronam heroico amoris excessu, non sibi, sed illis largiretur, non innocentiam reijciebat, sed debitam suæ innocentiæ mercedem, non sanctitatem, at gloriam. Rom. 9. 3.

Quæ nam igitur dicendi copia, quænam inexhaustæ capacitas mentis valeat Pauli charitatem pro dignitate commendare? *Omni pelago latior, omni flammâ vehementior erat hæc dilectio, ac nulla illam pro dignitate dictabis oratio*, hæc in d. cap 9. Rom.
C Chrysostomus.

Ego ipse (sic emphatico quodam loquendi æstu) ego ipse, qui vas electionis a Deo fui nuncupatus, electorum societatem detrecto, dummodò mei loco meos videam fratres electos, tot tantaque mihi diademata intexta, fratribus meis libens cedo: iterum profero Chrysostomum: *Ego ipse qui omnium magister sum effectus, qui officia meritaque infinita coegi, qui coronas infinitas expecto*: ego qui sonorè pronunciaui, nulla me vnquam vi vel cælesti, vel infernà, à Christi amore separandum, ab eius præsentiâ & gaudio seiungi desidero, populorum salutem tam impensè diligens, vt eam beatifico Dei conspectui præhabere non dubitem. *Ego ipse quem nec mors, nec vita, nec præsentia, nec futura, nec qualibet alia creatura separare poterat a charitate Dei, libentissimè pro Iudæorum salute ab ipso separarer: suum in eos amorem ac desiderium declarans.* Explicantem dedi Theodoretum. Theod. ibidem.

Vides hîc, ait Chrysostomus, vt Moyses & Paulus non omnes tantùm cruciatus & maxima huius vitæ supplicia magnanimâ voluntate deuorarint, sed è Dei, quem vnicè diligebant, dilectione, supra cælestes orbes & supra Apostolos
D animum erigentes, terrena hæc omnia despexerint, diuinæque gloriæ nullam rationem habentes, enixissimè optarint, vt ab ipsa beatitate arcerentur, cælestisque ipsis gloria præcluderetur? Quid ad hæc Codri, Leonidæ, Agesilai, quid Horatij, Decij, Curtij, Mucij, quorum nomina, eò quod pro suarum salutem gentium spiritum generosè deuouerint, scriptorum calamis elata superbiunt & in theatro sæculorum pompam faciunt sui? nos Paulum damus, qui, ac si mortem pro alijs oppetere leuissimum quid esset, æternâ ipsammet mortem occurrit, vt suos æternà eàdem morte Iudeos absoluat. *Reliqui omnes periculis se in præsenti vix obiecerunt: Paulus autem futuram etiam gloriam, gloriæ proximi posthabuit.* D. Chrysost. vbi supra.

Optimè autem, quem huc vsque explicantem attulimus Chrysostomum, eàdem exarsisse charitate quà Paulum patet; cùm enim ad suum populum pro concio-

concione diceret, & ea Apostoli verba explicans quibus asserit, vigilantissimos de suo grege fore Episcopos, vt potè qui arctissimam sunt de eo rationem reddituri, non ignorans ingentem ex his horrorem omnibus incuti, nec desiderari plures, qui tantum pondus sibi nolunt imponi, vel impositum formidolosè detrectent, ad excelsa charitatis fastigia se efferens ait. *Videtur quibusdam hoc esse terribile; me autem vobis perditis hoc non mouet, vtinam seruaremini vos, & dans ego pro vobis rationem, audiam vos quidem seruari, me autem officium non per omnia impleße? non enim cura est, vt per me seruemini, sed solum vt seruemini:* ne autem cogitarent exaggeratè hæc à se pronunciati, & oratoriâ hyperbole tumescere, subdit. *Nescitis vim spiritualium in parturitione dolorum, quàm mallit sexcentties defatigari, qui talem partum enititur, quàm vnum ex his qui nati sunt, videre perditum, & corruptum.* O animum enimuerò amantissimum & Apostolicæ charitati conformem! O verum non Pauli tantùm, sed Christi imitatorem? quid igitur mirum, si matris instar, subditorum ærumnas, & gemitus adeò commiseraretur, vt libentissimè ad eos illis minuendos, in se ipsum eos attraxisset, seque miserum faciens, beare subditos potuisset; ipsamet diademata suis laboribus in cælesti regiâ designata largitus illis vltrò fuisset, ad omnium indigentiam redactus præterquàm charitatis; sed audire ipsum liceat. *Vtinam posset fieri, vt ego pro vobis omnibus benemererer, & meritorum brauia vos caperetis. sicut igitur mater filium febricitantem cernens, dolenti & ardenti assistens, ægrotanti dicit filio: vtinam fili febrem ego suscipere possem, & in me flammam attrahere: sic profectò, vt ego dico nunc, vtinam possibile esset, me pro vobis laborantem omnibus rectè agere.*

A

D. Chry. fost. homil. 44. in act.

B

D. Chrysost. homil. 3. ad Pop.

Quin, cùm amandandus proximè in exilium esset, concione in templum aduocatâ, professus è superiori loco est, ne leuem quidem sibi formidinem iniici ex illâ fluctuum grassantium asperitate, procellosaque pelagi insanientis rabie illi naufragium intentante; omnia hæc à se contemni, & Principum omnium ob armatam potentiam, quasi tenuissimas aranearum telas magnanimè despicari, adeò vt, licet tanta turbarum violentia in eum conspiraret, corpore quidem ab eis seiungeretur, animo tamen præsens, semperque intimus illis fuisset. *Non enim nos a vobis poterit diuellere: quos enim Christus coniunxit, homo non separabit.* neque his vir amantissimus acquieuit, ac si non satis suam amoris flammam explicasset, postquàm enim clarissimè illis pronunciasset, se in eis suam coronam habere, suos ciues, suos fratres, suos filios, sua viscera, lucem suam, ipsaque luce clariores & chariores; prosequitur, *Ego quidem à vobis nec morte diuellar. Ego millies pro vobis immolari paratus sum. Nec gratia mihi in hoc est; sed debitum reddo: Bonus enim Pastor animam suam dat pro ouibus suis.*

C

Fœlices sanè populos illos qui huiusmodi Præsules sortiuntur!

Chrysostomo proximus in hac suarum gentium dilectione Diuus Cyprianus tàm sollicitè & anxiè eas diligebat, vt in partem calamitatum & ærumnarum, quibus illæ premebantur, animo sauciatus accederet: do eius verba. *Doleo fratres, doleo vobiscum, nec mihi adleniendos dolores integritas propria, & sanitas priuata blanditur, quandò plus Pastor in gregis sui vulnere vulneratur. Cum singulis pectus meum populo mœroris & funeris pondera luctuosa paticipo; cum plangentibus plangam.*

D. Chrysost. serm. Delapsis post.init.

D

Tam altè hæc eadem paterna dilectio Ambrosij animo adhæserat, vt in populis amandis eodem ferueret amore, quo si eos coniugio sulcepisset, exarsisset. *Non minus vos diligo quos per Euangelium genui, quàm si coniugio suscepissem:* rationem superiùs à me allatam inde suggerit. *Non enim vehementior ad diligendum est natura, quàm gratia.*

D. Ambr. de offic.

Magistrum Ambrosium præcelluit etiam discipulus Augustinus; instar enim matris, quæ vnicam filiam in populo suo haberet, studium omne, vires, curas omnes in eâ excolendâ, ornandâ, venustandâ, impendebat, vt tota concinna, elegans, sordibus omnibus, maculisque erasis & abstersis instar pulcherrimæ Estheris coram suo Assuero sponso regni dominium acceptura assideret. *Me putate esse matrem animarum vestrarum, & ita vos velle componere (sicut mater filiam*

D. August. homil. 26.

liam propriis manibus componit & ornat) vt in vobis nec macula, nec ruga possit
A *ante tribunal æterni Iudicis apparere; animabus vestris non solùm ornamenta, sed etiam medicamenta desiderans prouidere; studeo dissita consuere, & conscissa sarcire; vulnerata curare; abhorrere sordida, reparare perdita, & ea quæ sunt integra spiritualibus margaritis ornare.* Sic de se Præsul amantissimus.

Quid de amore validissimo dixerim, quo suum gregem deperibat Nolanus Antistes Paulinus? hic post erogatam suæ diœcesis egenis ingentem pecuniæ summam, venalem pro illis se ipsum etiam dedit; suæ vitæ pretio subditum sibi caput redemit, eumque eatenis Mauricis erepturus, se Barbarorum manibus captiuum fecit.

Illustre pariter sacri amoris argumentum fuit illud, quod de Diuo Martino refertur; cælestibus enim coronis recipiendis proximus, & imminenti à morte iam dandus immortalitatis triumpho, cùm Diuinam gloriam cælestium spirituum sociuus delibaret, in amantissimas illas erupit voces. *Domine si populo tuo adhùc sum necessarius, non recuso laborem.* vides, vt pari ferè amore cælestem B gloriam haberet ac populum, eò quià populum amans, Diuinam ipsam gloriam amaret? Sur. in eius in eius vita. S. Martin.

Admirari tantùm, non imitari nobis illud licet, quod de Marcellino Auconitano Hierarchà Diuus Gregorius refert; cum enim flammarum debacchantium vi, potissima vrbis illius pars redacta fuisset in cineres, & maiore se impetu adhùc incendio porrigente, reliqua vrbs integram sibi timeret vastitatem; Antistes optimus, qui præ podagrà claudicans famulorum succollantium operà vtebatur, nullam sibi superesse spem agnoscens, qua serpens flamma, & torrentis exvndantis instar effrænata coerceri posset, conuersus ad famulos ait. *Contra ignem me ponite.* Eum igitur illi locauerunt, vbi ferocior ignis vehementia grassabatur; ad hæc ignis, ac si ratione præstaret, reuerentia tanti Præsulis tactus, retrocessit, *Ac si reflexionis suæ impetu exclamaret, Episcopum transire non posse*; atque ità obseruantissimus stetit ignis, & furens flamma quiescens, vrbem exC tremà formidine liberauit? An non fidei imperium in elementa hîc vides, ipsamque prorsus vim haberi ab amore, quà Deus olim superbiam maris edomuit, *vsque hùc venies, & non procedes amplius, & hîc confringes sumentes fluctus tuos.* D. Greg. l. 1. Dialog. cap. 6. Iob. 38. 11

Verùm innumeros præteritæ ætatis Antistites hac in re clarissimos omittens, ad recentiores decet vt accedamus, ne recens hæc ætas impar veteri videatur, suosque vt proferat Diuinæ charitatis administros. An non egregiè Apostolorum amorem Diuus Carolus expressit, cuius ea sui gregis dilectio fuit, vt Vaticanam Aulam, Ecclesiasticæ ditionis regimen Principum Christianorum negotia, et Patrui Pontificis Pij præsentiam, alteriusque Pij postmodum successoris ei postposuerit, illud ingenuè pronuncians, nolle se quacunque ratione à sui gregis custodià Pontificio imperio sibi commissà, se subducere. Quoniam autem heroica gesta, quibus pestilentiæ tempore suam patefecit amantissimam charitatem, tùm egenis suamet domus ornamenta, suumquemet sericum conopœum impertiens, tùm vitam suam frequentissimè deuouens, vt lue infectis vitam æternam afferret, tùm supplicia voluntaria ad diuinam vltionem emolliendam
D suscipiens, illustria adeò omnibus sunt, vt luce ipsà sint clariora, vlteriùs non vagabor, illudque tantùm certus asseram, rediuiuum in eo Pauli animum exarsisse.

Nec illud omiserim, quod dum teterrimà lue Bononiensis vrbs laboràret, Beatus etiam Nicolaus Cardinalis Albergatus & Episcopus, amatissimum se vbique pastorem exhibuit, cum malignè satis exceptus a suis ciuibus, eorum iniurias beneficà dilectione rependeret.

Beatus Thomas à Villanoua tùm lachrimis vberrimis alienas ærumnas commiserans, tùm vitiosos plurium lapsus in seipso castigans, tùm subditos suos corde magis quàm humeris gestans, tùm vitam ipsam ad eorùm vtilitatem impendendam lætus obijciens, suam Apostolicam charitatem comprobauit. Manzin. Principe Eccl. l. 3.

Extremis demùm hisce temporibus Gebennen. Præsul Franciscus Salesius, non tantùm Giard nella sua vita l. 5 c. 5.

tantùm in se ipso genuinam Apostolici Pastoris idæam expressit, ad animarum
salutem vires omnes, curas, labores dirigens, ipsoque mortis discrimine occur- A
rens; sed ad aliorum documentum, aliam etiam calamo designabat, nisi tot curis
implicitus & absumptus, citiùs quàm parerat, fato concessisset: Frequentissima
eius sententia erat, Dei amorem, amoremque populi veluti eodem fætu partos
gemellos esse,eundemque sortitos horoscopum, adeò vt ex his alio languescente,
langueat & alter oporteat, eademque valetudine, quâ viget alius, alter etiam
adolescat, nec fieri vmquam posse, ne, amatis populis, Deus etiam ametur.

De Animarum Zelo.
Cap. V.

CHaritatis apex, de quo hùc vsque verba fecimus, in animarum Zelo ver- B
satur; christianæ virtutis solium, & inter animi dotes solis instar inter sy-
dera irradiat. Episcopalis demùm characteris clarissimum decus & ornamentum
est: ad huius virtutis exercitationem nullo quamuis absque discrimine cuius-
Eccl. 17.12 cumque conditionis homines excitentur à Deo iuxta cuilque vires & munus,
nam vnicuique mandauit Deus de proximo suo: nam iuxta mentem Diui Leonis,
D.Leo.Ser. de S. Laurentino. nec sibi bonus ille est, qui non fuerit alijs bonus: Adhùc tamen potiori quâdam
lege deuinciuntur ad eum Antistites, vt potè qui regendis populis præficiantur
à Deo, suisque ouibus custodiendis: Sacerdotium nostrum, nostra dignitas, no-
stri labores hùc dirigendi,& ad hunc scopum collimandi:Quapropter venustâ hac
definitione Episcopalem dignitatem Theophanes illustrauit, *Sacerdotium est di-*
Teop. Ep.3 *uina Scientia, & opificium longè clarissimum, cuius finis est hominem efficere Deum*
secundum gratiam, & imagini Dei conformem. Quâ de causâ in Petro suam Re-
ligionem, in Moyse Synagogam condidit Deus, postquàm ambo præ alijs sui
Zeli præstantiam patefecerint, huius Zeli vi, totâ Principum, Tyrannorumque C
potentiâ reluctante, Primi Antistites Christianam Religionem vbique terrarum
disseminarunt, & incremento prope admirabili amplificarunt, adeò vt referre
D.Ambr.l. 5.ff. de off. præ Virg. ad hæc ea Diui Ambrosij verba possimus, *Zelo vindicatur Hierusalem, zelo Ec-*
clesia congregatur.

Doctissimum Vlpianum interroges velim, in quo potissimùm Magistratus
illius, qui præ suâ vigilantiâ Præfectus vigilum vocabatur, prouincia versaretur?
Duabus definiri rebus munus illud expeditè respondebit, hoc est, primò vt vi-
L.3.off de off. præf. Vig. gilaret, ne, cum detrimento vrbis,alicui domui flamma inijceretur, secundò, vt
fugientes è Dominorum ædibus seruos inspiceret, inspectosque sequeretur &
ad Dominos reduceret; quàm aptè his Episcopi vigilantia describitur, qui sui
zeli ardore flagitiorum flammas extinguat, erroresque perdat, suam domum &
Diœcesim vitiantes, Deique seruos, qui iugo Christi seruatoris excusso, per lu-
bricas sæculi vias à viâ pietatis aufugiunt, retineat, suoque conditori Deo res-
tituat. Nec potissimum tantum Episcopi opus, at vnicum dicendus est zelus iste,
adeò vt iuxtà Diui Ambrosij mentem, non aliâ de causâ Petro suarum ouium re-
gimen commendaturus Christus, eius amorem librauerit non vulgarem & te- D
nuem, sed maximum, & numeris omnibus absolutum, quàm vt nos edoceret, ab
animarum Pastore æque simul quàdam velut hæreditate capiendum Christi mu-
D.Ambros. 11. 10. In Luc. nus & eiusdem zelum; *Sed Dominus non dubitabat, qui interrogabat, non vt*
disceret, sed vt doceret, quòd ad eleuandos in Cœlum amoris sui velut Vicarium re-
linquebat, hæc Ambrosius.

Nec aliâ de ratione voluit,vt vix Episcopali potestate traditâ,rete ad dextrum
nauigij latus iaceretur in mare, tantamquam piscium copiam capere, quanta vix
retium robore sustineretur, nisi vt compertum nobis esset, quòd qui populis
Io. 28. 82. diuino amore expiscandis non studet, frustra Pastoris ministerium vsurpat: *Vt*
D. Cyrillus ibidem. *ostendat illum esse verum Pastorem, qui ad Dominum animas ducit*. Sic Diuus Cy-
S. Her. ibid rillus Alexandrinus Antistes. Illud etiam subdit Diuus Hieronimus, ab Euangelij
scripto-

scriptore ad centum quinquaginta tres pisces iuxtà numerum generum piscium, A quæ in maris alueo iuxta philosophorum opinionem pariuntur, piscationem illam describi, vt ostenderet, ab Apostolis Diuini sermonis robore, suisque exantlatis laboribus, omnes humani generis species, obscuros, illustres, inopes, diuites, *& omne genus humanum* in Christiani nominis expansum rete fuisse comprehensum.

Alios vtique supplere potest defectus hic zelus, labes etiam alias, quibus infirmitas humana sordescit, potest excusare, sed si in Episcopo defuerit, nulla alia virtus eius defectū compensauerit; haud quaquam satis est ait, Magn. Gregorius, vt ipse *sit conuersatione magnus, eloquio præcipuus, præ omnibus contemplatione suspensus* hæc priuatum quemque hominem supra cæteros illustrarent, sed insuper exigitur, vt præ omnibus *sic proximorum sollicitudinem habeat, vt ad æternam vitam lucra animarum quærat.* Ad hoc ipsum nos excitat Diuus Basilius: *Pastor es? palambulum pecus, & erraticum conuertito: quod conquassatum est, & contritum colligato: quod ægrotum sanato.* D. Greg. l. 1. in Regū. D. Basil. in Deuteron. c. 15.

B Christus idem Dominus, singula cuius gesta heroici huius zeli argumenta nobis præbuerunt, non sine magno mysterio, Lazari ægritudine acceptâ illuc non accedit, quin morte eius rursus auditâ trium dierum spatio steterit, tandem ad eum vitæ reddendum profectus, longe à sepulchro sistens, cum Martha sermones intexit; hæc spectans Diuus Petrus Chrysologus admirationem suam sic profert, *Qui venerat pro Lazaro, quid occupatur in Martha.* Sed accipe responsionem: antequam mirandum illud prodigium nostræ salutis Assertor patraret, licet ex eo clarissimam sibi gloriā compararet, voluit de fidei mysterijs Martham erudire. *Credis hoc?* vt Præsulibus suis administris ostenderet, in animarum salute suum vnicum versari negotium, ad quod explendum, quodcumque aliud opus sunt omissuri, licet ad mirandam mortuorum anastasim peruenirent; Hæc de nostro Sacerdotio Nazianzi Hierarcha Gregorius contemplatus his affatur; *hic est spiritualis omnis Præfecturæ imperijque finis, vbique priuatâ vtilitate neglectâ,* C *commodis aliorum consulere.* Ioan. 11. D. Pet. Ch. sol. serm. d. c. 11. 26 D. Greg. Nazia. orat

Ad Paulinum etiam Diuus Hieronymus scribens ait, *si officium vis exercere presbyteri: si Episcopatus te vel opus vel honor fortè delectat, viue in vrbibus & Castellis, & aliorum salutem fac lucrum animæ tuæ.* Mercatura nostra hæc est, nostra lucra in hoc exigenda: quin vt ea lucra, quæ in animarum salute fieri gaudet Deus, diuidat nobis, in hoc velut emporium nos aduocauit; quis enim illud eiusdem Hieronymi nesciat; *salus enim creaturæ lucrum est Creatoris.* D. Hier. in Ep. 13. D. Her. in c. 15 Hier. sub. initio.

Hinc, teste Tertulliano à primis vsque Christianæ Religionis crepundijs in vasis ipsis ad Sacerdotum vsum destinatis, mos erat, vt coloribus Pastoris instar deuiam ouem suprà humeros ferentis Christus describeretur, vt ex eo Pastores omnes sacri addiscerent, quid sibi esset pro suo munere faciendum: Ad hanc eandem rem, docente Diuo Isidoro Pelusiota Pallium spectetur non sericum sed laneum, quo Archiepiscoporum, & aliquorum Episcoporum humeri onerantur & honorantur; deperditam enim exprimit ouem, quam a Christo Saluatore quæsitam & inuentam, suis impositam humeris peramanter ipse ad ouile reduxit! *Episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam* D *habitu, illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni Pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit*, hactenus ille. Tertull. l. d. Præscr. c. 7. D. Pelus. l. 1. epist. 136.

Qui huiusmodi zelo non exarserit, frustrà magnum Pastoris nomen obiectat; titulum, characterem, potestatem Episcopi vtique habebit, sed re vera verus Pastor non erit, at mercenarius. Proh Deus immortalis, ait Diuus Gregorius, quantam cladem Christianis ouibus Lupus Stygius infert? Ad libidinem hunc, alium ad auaritam trahit, hunc superbia implet, furore illum inflammat, inuidia alium cruciat, ad fraudes & doles plures obarmat. *Sed contra hæc mercenarius nullo zelo accenditur, nullo feruore dilectionis excitatur: quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur.* D. Greg. Hom. 14 in Euang.

Maius quid quàm cogitasset, indicauit Xenophon pronuncians, venationem esse *Deorum inuentum*, cùm venatione non auium, sed animarum maximè delectetur Xenoph de Venat.

Procop. in I Regũ c. 19. Deus adeò vt Procopius dixerit, *quod varia Domini sunt retia*: ad idem igitur ministerium iuxtà ea, quæ per Hieremiam futuræ religioni promiserat, nos ipse A accersiuit. Hieron. 16. *Mittam eis multos venatores, & venabuntur eos, de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.* In his venatoribus iuxta Sanctorum Orig. in hier ibi Ambr. in psal. 118. vers. 6. Aug tract. 10. de vtil. ieiu. c. 19. Idem Hier. in id. 38. 40. Augustini, Ambrosij, & Hieronimi mentem exprimuntur Apostoli, Episcopi, alijque Sacri viri, qui animas vbique venantur, vt eas è superbiæ montibus, è collibus voluptatum, & vitiorum speculibus amouentes, ad Dei gloriam acquisitas adducant; in eadem sententia Diuus Basilius est, qui ad nos conuersus hæc habet; *Attende igitur multâ cum diligentiâ ne fortè fugiat te præda, ut efferatos per improbitatem, verbo veritatis connictos Saluatori offeras*: hoc autem eum D Basil. in Deut. c. 15. sine ingenti labore, studioque absolutissimo præstari à nullo valeat, quis non agnoscat, opus hoc esse ardentissimæ dilectionis, qua de causâ amorem vocauit Plato. in Conuiu. Plato *Sagacem Venatorem*? Si ergo tot exantlant labores, tot viarum & tempestatum asperrima incommoda deuorant venatores, & iuxta Romani Oratoris Cic. Tusc. 2 verba *pernoctant Venatores in niue, in montibus, vri se patiuntur*; ad animas Deo B conquirendas, quid faciendum nobis est? quid in decretoria mundi totius die dicturi erimus, cùm ferarum Venatores nobis a Deo obijcientur, qui ad tenues & non rarò sordidas feras plus curarum & laborum insumpserunt, quàm nos ad nostrum filiorum animas conquirendas?

Suam sponsam Ecclesiam seruandam nobis tradidit Christus, eius candorem nostræ fidei custodiendum commisit, ne stygio ab hoste violaretur; ad nos igitur spectat, vt eius venustas immaculata seruetur; oculatissimo Argo oculatiores, non Nimpham terrestrem vt ille, sed celestem sponsam lumine inconniuenti spectemus, omnem torporem voluptatum sollicitè reijcientes, habes hæc ab D. Amb. in psal 88. ser. 38. Ambrosio; *Zelum habere debet Sacerdos, qui incorruptam seruare studet Ecclesiam.*

§. I. C

NOnnullorum Antistitum socordiam iure meritò Diuus Gregorius Nazianzenus fugillabat, qui eâ ratione, ne discrimen aliquo modo subirent, vt apud vitiatos populos reuerentiam famamque deperderent, effeni vitiorum licentiæ habenas dedere eum ingenti nostræ fidei detrimento, ad quam statuendam famam simul & vitam deperdidit Deus: vt igitur inter Christi exempla, eorumque opera, quantum discrimen intercedat ostenderet, ait: *Illa cupiditatis* D. Gregor. Nazianzen. orat. ad Patres. *figmenta sunt, hæc spiritus documenta.*

Hac in re, vt philosophicè loquar, *ad hominem* Diuus Bonauentura argumentatur: Quanam ratione, sic ipse, persuasum tibi habes, à sponso te diligi, suique amici loco te haberi, ni suam ab adulterij sordibus seruas sponsam, quam tuæ D. Bonauen. in Pharetrar. diui amoris pag. 2. c. 1. fidei nixus ipse tibi commendauit? vel si in fornicationis fœditate lapsa præ infirmitate est, quare fit, vt ad eam abluendam & depurandam studium omne non præstes?

Quod vel ex ignorantiâ vel ex imprudentiâ delinquat Antistes, æquo animo D ferri vtrique potest: negotiorum quâ premitur copiâ, aliquando fit, vt non omnia reuocari ad consilium possint; ad huiusmodi mentis lapsus prompta nimis & prona humana imbecillitas est; verùm, vt indecorè dormitans in zelo tepescat & torpeat, hoc enim vero excusari nullatenus potest, & veluti lethali vul- D. Bern. nere tam sanctam sauciat dignitatem; accipe Bernardum, *non est paris periculi scientia subrepi, & zelum dormire; illud excusat ignorantia; hoc negligentia excusabile facit.*

Horrore totus perfundor, cùm Epistolam à Diuo Ioanne, ex mandato Pasto- A poc. c. 1. & deinceps Perer. cap 2 disp. Aleat. & lapid. ibid. rum omnium maximè ad Ephesinum Antistitem scriptam mentem peruoluo: is autem (si Perelio, alijsque danda fides sit) Diuus Thimotheus erat. Miram eius patientiam ibi commendat, labores exantlatos extollit, constantiam deprædicat quâ inimicorum conatibus & pugnis obstiterit, quâ eorum impudentiam dete-

xerit

xerit & retuderit, qui se populis Apostolos venditabant, quà de mùm sordes Nico-
A laitarum fortissimè oppugnauerat, sed in eum inuehitur, quòd in populorum zelo
à sui religione officij declinasset. *Sed habeo aduersum te, quòd charitatem tuam primam reliquisti.* Quadraginta iam annorum interuallo iuxtà leges illi ab Apo- d.c. 2. 4.
stolo descriptas, Ecclesiæ illi magna iam vtilitate præfuerat Timotheus, &
egregia maximè opera ad eiusdem incrementa perfecerat; verum ex ethnicorum
obstinatâ contumacia, Iudæorumque assiduo ferè certamine, vel ex imbecillitate, vel ex prudentiâ, elanguit animo, eiusque zelus remissus aliquatenus est;
hac de causâ minis tam ingentibus impetitus ille est, vt vel æneum pectus exterreat; *memor esto itaque, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac:* d.c. 2. 5.
sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Deus immortalis! à tam horrendo tonitru cuiusnam viscera placidè conquiescent? Episcopo morum integritate, laborum copiâ animi fortitudine, sermonis excellentia, totque relatis profligatorum scelerum triumphis clarissimo,
eò tantùm, quia primæuus zeli ardor videretur in eo immutatus, tot minæ tamq;
B ingentes inferuntur, vel scilicet vt cælestis gloriæ præmio pijs præsulibus designato spolietur, vt Beda & Ambrosius opinantur, vel vt Episcopali dignitate
abdicetur, vt Aimon, Rupertus, Riccardus, Diuus Thomas, Carthusianus, &
Ribera docent, vel vt inter certamina & turbas deferatur, & populorum iniurijs appetatur, vt Diuus Victorinus Martyr, Andreas, Cæsarius, Alleazar &
Cornelius à Lapide arbitrantur. Quid porrò faciliùs in Episcopum potest irrepere, quàm remissio quædam & in suâ prouinciâ fungendâ socordia? facillimum sanè hoc est, vel ex humani animi inconstantiâ vel è difficultatibus, quæ
in alienis vitiosis moribus corrigendis vbertim egerminant, vel quia, cum in nobis peregrina quodammodo sit Diuina virtus, non semper nostræ vitiatæ naturæ
imbecillitateque humanâ stimulos ingerere licet, vt per inuias & abruptas virtutum vias libero cursu feratur, vel quià nostræ vires facilè languescunt in pugnis
& ad arma semper in hostes tractanda, impar est manus humana: in sæculi Aegeo
C præpostero eutlu nauigando quis vmquam non declinauit? hæc tamen omnia excusationi apta, facere ad Dei Tribunal non possunt, quin ex Ephesino Episcopo
aut dolor exigatur aut pœna: quid de me miserrimo cogitari fas sit, qui ne prima
ipsa zeli elementa addidici, quàm audax ego fuerim, si triumphis & palmis
vacuus coronas Apostolicis viris largiendas optauerim? quàm ego indecorè in
hac sacrâ sede præficior; si Timotheus è leui aliquo in Episcopali zelo defectu
amouendus videatur? Quid autem est, vt populorum duritie inobedientiàque
ego conquerar, si in meæ socordiæ pœnam hoc mihi irrogetur? *Alias mouebo candelabrum tuum*; hoc est ad Lyrani mentem *Obedientia subtraham subditos tuos*;
Quàm iustè me turbæ obsident, & aculei rerum inexpectatè contingentium me
vexant, & feriunt? *mouebo candelabrum tuum*, hoc est ex Andreæ Cæsarei sententiâ, *Ecclesiam tuam in fluctus atque tempestates conijciam.* Illi enim, qui mendacis Ariadnæ filo hoc est humanæ prudentiæ ex labyrintheis ambagibus, quibus
nostrum munus inuoluitur, emergere contendit & studet, suæque vt consulat
quieti, à debito labore deflectit, quæ iustior, quæ aptior pœna potest inferri,
quàm irequietis eum curis implicari, & nouis semper procellarum motibus fa-
D tigari, adeò vt Diuinæ Prouidentiæ legibus fiat, vt in suæ negligentiæ pœnam,
non suâ tantum quiete spolietur, sed ingruentibus semper fluctibus, & procellis
quatiatur?

Miseram enim verò Præsulem sortem! hi enim, vel in animatum salute socordes fuerint, vel solliciti, vbique premuntur angustijs, vbique difficultatum aculeos patiuntur? è diuino admonitu tepida Timothei mens recaluit & primæuum, quo implebatur, ardorem reuersus, in æthnicos Dianam colentes
tantâ fortitudine irrupit, vt eorum odio actus sui purpurâ sanguinis cælestem sibi
lauream colorauerit: Vtinam ex his ego aliquâ in re proficerem! at quoniam
perennis quædam pugna vita hæc est, pugnandum satius duco non ad pœnam,
sed ad coronam; Animarum igitur pijssimis flammis accendamur, ea documenta
amplectentes, quibus Ioannem Antistitem Diuus Gregorius insormauit hoc

D. Greg. ep. 8. lib. 4. ftylo: *Animarum lucrum Deo noſtro tota mentis intentione ferre feſtinate; nomen nos Paſtoris ad quietem, ſed ad laborem ſuſcepiſſe cognoſcite.* A

Iſai. 6. 5. 70. Interp. Ne ijs Chriſtiani populi fraudentur, quæ Iſaiæ ratis ore ſpopondit Deus, noſtrum eſt; *Ad Vbera portabimini*; Septuaginta Interpretes legunt, *Paruuli eius in humeris portabuntur.* Quo nam pacto cùm humeris vbera concordant? accipite myſterium: Epiſcopos Deus mittere volebat, qui nulli parcentes labori, paternâque charitate ſollicit ſui gregis ſaluti vacarent, deuiaſque oues, Paſtorem Cæleſtem imitati ſuis impoſitas humeris ad ouile referrent; hoc certè fecerunt, qui nos in hoc eodem munere præceſſere, & eo lumine, quod nunc temporis per ſummum decus irradiat, Chriſti Religionem illuſtrarunt. Auertat Deus, vt nos finem tàm excelſi magiſtratus obliti, eorumque veſtigijs aduerſantes, ad fluxa hæc & euanida incumbamus, populoſque noſtro amori ſubiectos deſeramus; ſi hæc præſtiterimus, quàm aptiſſimè in nos obiurgatio illa vibrabitur; quâm olim Romanus Orator ex lege Reipublicæ toti pernicioſa Senatores percuſſit. Cic. Philip. 1. *Idcirco ne nos Populus Romanus conſulares fecit, vt in altiſſimo, & ampliſſimo gradu dignitatis locati, Rempublicam pro nihilo haberemus?* B

§. 11.

PRæterea, ad quæ è noſtri muneris lege tenemur, alia adhùc plura nobis occurrunt, quibus ad diuinum eiuſmodi enutriendum zelum excitamur; primum ex his ſibi vindicat locum ingens illa gloria, quæ ex hominum ſalute refluit: quòd ſi Caſſiodorus, (mentiar, ni hoc ipſum è Iamblico apud Stobæum tantus author exceperit) regiam felicitatem, & Principale decus collocanit in impetitâ ſuis gentibus fęlicitate: *quid tam regium, quàm feciſſe felicem*, & ipſe pariter Demoſthenes in tam magnificâ triumphorum & palmarum copiâ quibus Alexandri nomen erat orbi vniuerſo clariſſimum, nihil magnificentius & glorioſius inuenit, quàm calamitoſis viris ſubueniſſe, *nihil in fortunâ tuâ maius habes, quam vt poſſis; nihil melius, quàm vt ſeruare, & benefacere velis*: quæ profectò gloria, quæ dignitas redundabit ex æternâ beatitate hominibus elargita? ſi eum, qui ciuem in bello à cæde ſeruaſſent, Ciuicâ Coronâ Romani decorabant, *ob ciuem ſeruatum* quæ licet querna eſſet, pluris quàm aurea vel gemmea æſtimabatur, eò quòd, vt Feſtus ait, eſſet *Virtutis inſigne clariſſimum*, adeò vt quàm plures eſſent, qui ad eam ſibi præcingendam diſcrimen quodcumque ſubirent, & ſi apud Capitolinum frequens Scipioni Affricano erat illa ſententia, *Malle ſe vnum Ciuem ſeruare, quàm mille hoſtes occidere*: quem profectò gloriæ apicem non attinget, quale decus, quæ præconia non aſſequetur Epiſcopus, qui non vnum Ciuem, ſed centenos & millenos æterno ab interitu ſeruat, nec humano ab hoſte, ſed è phalangibus ſtygijs florentiſſimas palmas reportarit? C

Caſſid. l. 3. ep. 9. Stobæſer 44. Demoſth. ad Alexand. Feſtus. Capitol. in Ant. Pio.

Plin. l. 1. c. 37. De Hippocrate refert Plinius, quòd cùm eo tempore, quo tota Græcia teterrimâ lue laboraret, ad ægrotos curãdos è ſuâ litterariâ paleſtrâ diſcipulos omnes per illas Prouincias deſtinaſſet, tam glorioſam ſibi famam peperit, vt iiſdem honoribus, quibus olim Hercules, coleretur. Alios tamen honores, triumphos alios mereretur Antiſtes ille, qui terrarum vniuerſitati vitiorum peſte laboranti, opem allaturus, ſuam prius & ſuorum inde adminiſtrorum operam non ad corpora, ſed ad animas ſeruandas impendit; humanæ ſalutis Aduocatum & Patronum ſe ipſe præſtat, quo quidem titulo neſcio an alius afferri poſſit illuſtrior. D Saluianus Maſſilienſis Hierarcha audiatur; Saluianus 17. de Gub. *Illud magnæ ac ſingularis eſt mentis, non ſolùm ipſum labe non pollui; ſed prouidere etiam, ne vnquam alij polluantur: procurator enim eſt quodammodo ſalutis humanæ, qui non tantùm id agit, vt ipſe bonus ſit; ſed efficere hoc nititur, vt alij mali eſſe deſiſtant.* Angelicum ſane munus hoc eſt, & cæleſtibus mentibus ſe parem ſtatuere, quibus amantiſſimo à numine hominum ſalus commendatur. Hebr. 1. 14. *Non ne omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis?* ſic Apoſtolus; adeo

adeo vt lllberè Diuus Ambrofius pronunciarit, quòd fi in hominum falute cufto- [D. Ambr. in pfal. 128,] A dienda cęleftes illi miniftri tepefcerent & dormitarent, fuum decus fuamque tàm illuftrem excellentiã in pœnam negligentiæ deperderent. Do eius verba. *Angeli quoque fine zelo nihil funt, & fubftantiam fuam ommittunt, nifi eam zeli ardore fuftentent*: quia verò eàdem menfurâ terreftres quidam Angeli Hierarchæ funt, adeo vt ad feptem Afiæ minoris Epifcopos fcripturus Diuus Ioannes non alio eos titulo quàm Angelorum falutauerit; an non fine zeli lumine ipfi etiam nihil [Apocal. c. 2] erunt, & dignitatis fuæ ammittent prærogatiuam: fi quis enim fplendorem ferat Epifcopi, fed ignem non ferat, quo fanctè exardeat, non bonos, at malos angelos imitari videtur, & ipfi lucifero adhærere eft, quem fimili ioco Diuus Bernardus inceffit; *Tu quidem habuifti mifer lucem, fed ardorem non habuifti; bonum erat tibi, fi ignifer magis effes quam lucifer, nec tam immoderato appetitu lucendi vt eras frigidus, ipfe frigidam quoque eligeres regionem*: [D. Bern fer d verb. Ifai.] Aquilonarem hic regionem defignat, in qua ex Ifaiæ Oraculo folium ille fuum nequiffimus Spiritus ftatuere moliebatur. [Ifai. 14. 15.]

B His etiam accedat, quòd nulla alia in re placere magis Deo poffumus, eiufque vltricem iracundiam placare, quàm fi ad animarum lucra laboremus, propter quas vniuerfa condidit Deus, & noftrum corpus affumens, fui pretium fanguinis inter cruciatus effudit: *Nihil fic placet Deo, nihil fic placat Deum quomodo zelus animarum*, fic Ricchardus. [Riccard. victor. Beniamin minor.] Dei Thefaurus Dei Regnum animæ funt: nulla hoftia, nulla victima gratior & pretiofior quàm zelus ei immolatur ex ineftimabili amore, quo eas profequitur, vt ait Diuus Gregorius; *Nullum omnipotenti Deo tale facrificium, quale eft zelus animarum*. [D. Gregor. homil. 18. fuper Ezech]

His etiam vberiùs amplificandis Diuus Hieronymus in illis lamentationibus contemplandis immoratur, quas fatidico fpiritu imbutus de Hierofolymitanæ vrbis vaftitate diffudit; Sanctuarium ibi recogitat barbaricâ vi prophanatum, [D. Hieron. in præmio lament.] celeberrimum templum igne confumptum, Arcam, Cherubim, Propitiatorium legis Diuinæ tabulas fœdiffimè fordidatas; quis ad hæc latè defcripta vberimis C temperet à lachrymis? [Hier. prop.] Adhuc tamen ad maiores validiorefque querelas ex eo tantum excitandi fumus, quòd Chrifti fidelium animæ, quibus fanctius & grandius Dei templum ineft, ftygiorum fpirituum prauitate fœdiores & enormiores efficiuntur, *quoniam anima hominis Chriftiani multis gentibus nobilior, multifq; vrbibus pretiofior*.

Quapropter licet innumera beneficia, quibus nofter animus diuinæ bonitati obftringitur, in noftro minifterio laudentur, dignitas, character, poteftas, authoritas, fupra cæteros excellentia, populorum obferuantia, commoda, cenfus, omnibus tamen alijs longè præcellit, quòd animarum regimen nobis commiferit, & habenas dederit, quibus eos ab effræni vitiorum curfu reducere valeamus; facientem de hoc mihi fidem do Ricchardum. *Nefcio an poffit hæc gratia interim maiorem aliquam Deus homini conferre, quàm vt eius minifterio peruerfi homines in melius immutentur*. [Ricard.]

§. III.

D

Tertia ex his ratio elicitur, quæ in mercede verfatur, qua labores ad animarum cultum impenfos coronare ftatuit Deus: viuentes adhuc illam delibamus non ex ingenti tantum lætitiâ, quâ perfundimur fegetem fpectantes è noftris fatis fudoribus erumpentem, fed etiam ex eo, quod Deum præ fuâ bonitate nobis obftringamus ad ea nobis impertienda, quæ illos decent, quorum ftudio ad curam falutis flagitiofi viri reuocantur; ad hac rem peracutè, vt folet, Diuus Petrus Chrifologus, parabolam à Diuo Luca accomodat, illius ad cuius ædes, cum amicum hofpes adiret importunâ noctis horâ ad amicum fuum acceffit ad dapes petendas, quibus hofpitem efurientem exciperet: fieri vtique non poterat (fic ipfe philofophatur) vt non ab eo amico, qui Chriftum exprimebat, quæcumque impetraret, qui ad alium enutriendum, tanto ftudio, & labore vtebatur.

D. Petrus Chrysol. ser. 19. batur. *Non potuit non impetrare quæ voluit, qui vt reciperet hospitem, hospitem reficeret; totam sibi requiem denegauit.*

Ad aspectum tamen pretij, quo donandi in cælesti regia Episcopi sunt (de quo in extremo huius operis capite fusius agemus) cuncta hæc alia euanescunt: temperare tamen calamũ hic mihi non licet, quin leuitèr significem, quòd si pro tenui dape egeno suppiditatæ, merces æterna promittitur, si ad temporaneam inopiam amouendam solium paratur in Cælo, quæ merces illi danda, quo diademate præcingendus ille erit, qui pijssimis dapibus enutrit animas, spiritus necessitatẽ erigit, & sui Cõditoris imagines seruare contendit? Hæc enim maior elemosina est quàm illa: imò maior quàm decem millia talentorum, & quàm hic mundus vniuersus quantus vndique oculis innotescit, sic Chrysostomus: Quis iam ergo ad hæc totus pijssimo zelo non æstuaret? quis non ad quoscumque subeundos labores non animum erigeret viresque aduocaret? quis ad tantum opus vltrò non properaret, in quo non Midæ diuitias, non auream Cræsi fortunam nobis licet acquirere, sed de Diuinâ gloriâ amplificanda agitur, eaque mercede, quæ omnium vniuersi diuitiarum mercedem superaret.

D. Chrys. orat. 3. aduers. Iudæ. 15.

Tam munifico splendidoque Domino inseruimus, & tam ad labores vel tenuissimos remunerandos propenso, vt vel ipsa pedum vestigia, vel ipsâ pænè dixerim verba, quibus ad animarum commodum vtitur, ea remuneraturus enumeret. Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum proprium laborem; Præmio donabitur laborans non vt seruus vel operarius, sed vt amicus & gratiosus, quin etiam vt socius & mundi Redemptoris coadiutor iuxtà illud Apostoli *Dei enim sumus coadiutores.* in verbis sistit Origines, & ad Hierarchás conuersus, certiores nos facit, tot futuras in cælesti aulâ coronas quot animas illuc adduxerimus: eorum gloriæ participes nos pariter erimus, eorumque triumphis nos etiam gestiemus. *Si ergo talis fuerit Sacerdos, & talis fuerit doctrina tua, & sermo tuus; pars tibi dabitur eorum, quos correxeris, vt illorum meritum tua merces sit, & illorum salus tua gloria:* Dies mensesque, quos in terrenis hisce operibus explicandis absumemus, in irritum cadent, vacuique prorsus existent; illud enim dumtaxat tempus vtile nobis existet, & quæstuosum, quod in ijs impendemus, quæ ad animarum lucrum & commodum pro nostri muneris dignitate referuntur: qua propter sic pergit Origines. *Non se varijs & superfluis curis implicent: sed sciant, se in nullo alio partem habituros apud Deum, nisi in eo, quod offertur pro peccatis; id est, quod à viâ peccati conuerterint peccatores.*

1. Corint. 3. 8.

Origen.

Nec nos indonatos Augusta Virgo dimittet ex ingenti animarum dilectione, pro quarum salute filius Deus vitam vnâ cum sanguine fudit: quà propter cùm pro Licopensi Antistite suas semel preces Diua Brigitta offerret, precanti Brigittæ Virgo Deipara promisit, nunquam ab eius patrocinio se discessuram, & ad extrema vsque vitæ morientis momenta ei adfuturam, donec Deo Spiritum suum afferret, dummòdo animarum studio se deuouens ad flagitiosos viros è sceletibus reuocandos laboriosus incumberet.

D. Brigitta l. 3. reuel. cap. 13.

Aueitat Deus, vt nostra hæc ætas eum patiatur. Antistitum defectum, quo S. Gregorij Nazianzeni ætas laborabat; tres, vt ille aiebat, aquarum species fluunt; subterraneæ aliæ, quæ numquam luci se dantes ignotâ omnibus via præterfluunt, aliæ non tàm occultæ sunt vt murmur aliquod non edant, quo spondere videntur se tandem aliquando emersuras; promissa tamen nunquam implent, & nunquam emergunt; aliæ tandem, quæ parefactâ sibi per campos viâ benefico cursu labuntur & pererrant; sic pariter inter sacros Pastores nonnulli dantur, qui quidem & animarum studio flagrant, sed pietatem istam & hunc amorem suo tantùm pectore circumscribunt; ardentiores alij animo sunt, & cupiditatibus suis maiora permittunt incrementa virtutum, sed in desiderijs tantùm sistentes opera prætermittunt; quàm accommodata his sunt ea verba, quibus Isaiam vatem Rex Ezechias allocutus fuit. *Venerunt fily vsque ad partum, & vires non habet parturiens.* Alij demum vires exercentes, obstacula effriegunt, vt ad ipsum opus accedant; Pietatis fætum, parturientium instar, retinere nequeunt, & vt satis muneri suo faciant, ad aliorum vtilitates totos se porri-

4 Reg. 19. 3

A porrigunt explicantque, ex his profectò Diuus Gregorius erat, cùm tamen præ suâ piâ humilitate illis tantùm se connumerarj exoptaret ea proferens, quæ mihi potius proferenda merito essent; *Quo in numero vtinam ipse collocarer; ac si qui mecum laudabili audacià præditi, piam doctrinam profiteri non vereantur.* Greg. Nazianz. orat. 32.

Operosum in Episcopo Zelum fore, sed etiam prudentem. Cap. VI.

B NIMIS sanè desiperet Antistes, si suas expelere partes arbitraretur, dignumque se tùm munere ipso, tùm muneris præmio facere, zelum præstans, qui operosus non esset; in cæli emporio inutilium cupiditatum pecunia non probatur; exercere vires oportet, & operosâ voluntate omnes illas opportunitates amplexari, quæ ad opus adducunt; de illo maximè cruciati, quod eam in exercendis operibus fidem non experiamur, quæ sacerdotium nostrum deceret.

Porrò vtinam eo nostra etiam pectora Diuini zeli igne æustarent, quo innumeri propè Episcopi, quorum nomine illustris est Christiana Religio, exarserunt. Sapientissimè Diuus Hieronymus admonuit, vnicuique scilicet in eo gradu, munere & ordine quo fungitur, objiciendos eos esse, qui exempla clarissima reliquerunt, vt eorum vestigia gressu simili sequerentur. *Habet vnumquodque propositum principes suos, Romani Duces*, sic ille, Camillos, Fabritios Regulos, Scipiones imitentur Duces: Pythagoræ, Socrati, Platoni, Aristoteli ad hæreant Philosophi: D.Hieron. Epist. 13. ad Paulin.
C Homerum, Virgilium, Menandrum, & Terentium Poetæ; Thucididem Sallustium, Herodotum, & Liuium æmulentur Historici; Gracchos, Lysiam, Demosthenem & Tullium Oratores habeant in exemplar, Et vt ad nostra veniamus; *Episcopi & Presbyteri habeant in Exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes, habere nitantur & meritum.* Nullus fuit Antistes, cuius nomine sacra litterarum monumenta resplendeant, qui in hac in re non fuerit eximius, viamque nobis hanc aperuerit, vt sequi eius vestigia valeamus.

Hinc fiet, ne vnquam dormitemus, & inani aspectu nostrorum populorum clades & excidia videamus, zeli huius stimulis eorum exempla prosequi excitabimur, in quos aspero dicendi genere vates Sanctissimus assurgebat; *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi: canes muti non valentes latrare*: Stygis lupis lacerandas Domini oues impauidi non deseremus; quin adolescentem Dauid imitati, ex vrsorū leonumque faucibus eas fortiter eruemus; vt sollieiti & vigiles audiamus, quodcumque discrimen inibimus; corporis somnum excutiemus, ne præmiorum loco pænas experiamur, & ne hostium palmas nostrâ socordiâ augeamus, apprimè ea scientes, quæ S. Ephrem pronunciauit. *Non exi-* Isai 56. 10.
D *gum sibi damnum conciliat Pastor, qui extra ouile dormit ouium: Somnolentia enim Pastorum, luporum est gaudium*; longè ab illis excubitoribus discedemus, qui per summam incogitantiam ad hostilem aggressum in Vrbem nostræ fidei commissam, ne datâ quidem voce eam tuentur. Cânes muti & insidi non erimus, quin tùm clàm tùm palam circumlatrantes, prædones & eorum insidias abigemus: Quàm magna vigilantia illa est, quâ ad suos custodiendos Dominos canes excellunt! *Vnde & tu disce vocem tuam exercere pro Christo, quando ouile Ecclesiæ incursant lupi graues*: Sic Ambrosius. Diu. Ephr. trac. de timore Dei Tom: 7. D. Amb. 6 Examo c. 4.

Ad huius zeli flammas comperrum nobis fiat, non ad quietem Episcopalem sedem dari, sed ad pugnam, & Dauidicæ turri persimilem esse, de qua Virgo illa amantissima in sacro Epithalamio ait; *Mille Clypei pendent ex ea: omnis armatura fortium*; gaudet ille bellicosis nostris sudoribus, & si necessitas postulauerit ipso sanguine irrigari: quid ne igitur inter otia & delitias eneruatus corrumpatur. Cantu. 4. 4.

D. Isid. Pelus. tur. *Illud sciat, quòd si quis ad hunc Thronum euehatur, id circo instituitur, vt legitimè certet, non autem, vt circa periculum in luxu, & delicijs versetur.* hæc Pelusiota. A

Zeli huius magisterio docebimur, quot & quanta sint, quæ pro pecoribus seruandis Pastores patiuntur, quorum vnus aiebat. *Die noctuque æstu vrebar & gelu; fugiebatque somnus ab oculis meis.* Genes. 31. 40. Et comparationem quamdam nobis instituet, inter abiectissima corporum armenta & pretiosissimum Christi gregem, vt eâ comparatione propositâ labores & curas alacriùs suscipiamus, ad eum fideliter suscipiendum; hoc sanè argumento, vt dicunt, *à minori ad maius* nos Diuus Damasus Pontifex excitabat. *Si ergo sic laboret & vigilat, qui pascit oues Laban; quanto labore, quantisque vigilijs debet intendere, qui pascit oues Dei:* D. Damas. Epist. 4. quin nullam intercedere aptam comparationem docet Nazianzenus Magister; non rarò enim ad quercum & fagi vmbram Pastores assident, vt fistulæ & tubæ sonitu amatorijs cantionibus immensi vim æstus & laboris eludant, cùm è contra populorum Pastoribus nulla vmquam vel tenuis detur quies, & labores laboribus intolerandâ ferè mole superaddantur. D. Gregor. Naz. orat. 1. B

Quòd si non commentitio at vero zelo ille æstuauerit, magnum illum Pastorem imitatus, cuius ea vox fuit, *quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* 2. Corint. 11. 29. alienas & ipse calamitates patietur, & accedat in partem sui populi ærumnarum. Amantis Episcopi hoc esse mores, Mediolani Antistes pronunciauit; *In omnibus sacerdos periclitatur, in omnibus reis angitur: quod enim alij patiuntur, ipse sustinet, & iterum liberatur, cum alij, qui tenentur periculis, liberantur.* D. Ambr. de obitu Trodi

In sacros Chamæleontes, & felicissimos Protheos eiusdem zeli vi immutabimur, & ad opem subditis nostris ferendam iuxtà varias opportunitates, varias species induemus; Inmundi proscænio, tunc placidi videbimur, nunc asperi; nunc Medici vices agemus, nunc Pastoris, alibi iudices erimus, alibi Parentes, adeo vt illud cum Apostolo vsurpare possimus *Spectaculum*, vel vt Diuus Hieronymus legit, *Theatrum facti sumus mundo*; De Paulo certe Diuus idem Hieronymus asserit, quòd erat *in histrionum similitudinem factus*. D. Corint. D. Hieron. aduer. Iouin D. Hier. in in Epist. ad Galat. C

Hic denique zelus efficiet, vt effrænem vitiorum licentiam spectantes, iisque coronis, quibus præcingenda sola virtus esset, superbum coronari flagitium, ex imo nostri pectoris vberimos gemitus educamus: nec illacrimati abibimus peruoluentes animo, quanta sit piorum sace rdotum inopia, quàm infelicitet paræcijs & populis præficiantur ineptissimi viri suis rebus, & tantùm commodis profanis addicti, adeò vt, si eos dato sacerdotio spoliemus, melior alter nobis occurrere non possit, qui eius crimina & ignauiam altiori virtute compenset: hoc ipsum deflebat Hilarius Antistes Sanctissimus his verbis; *quantus nobis dolor est, cum vnum ex Dei populo effici videmus sæculi ministrum, & operarium Diaboli & vias mortis & moteriam gehennæ*? & de hæreticis loquens Diuus Augustinus io easdē quærelas erumpebat. D. Hilar. in psal. 118. D. August. l. 1. contra Gauden. c. 21.

Quin, cùm ingentes animarum fructus è laboribus nostris egerminantes aspexerimus, maiori robore confirmabimur, & ad alia lucra propensiores sacrâ quadam auaritiâ properabimus nunquam acquiescentes, quoad errorum scabie vacuum penitus gregem habuerimus; magno ab Antistite hac in re habes exemplum, cuius ea vox fuit. *Nemo mihi dicat, quod multi correcti sunt: hoc non est quòd quaritur; sed vt omnes: quousque hoc non videro respirare non possum.* Proh Deus! quali igne æstuabat hic zelus, ad huius apicem quis vmquam Seraphim pennis destitutus aduolauerit? D. Chrisost. homil. 13. ad pop. D

§. I.

VErùm inter ærumnas, quibus humana vita miserrimè scatet, nulla sanè alia periculosior est, quàm proximitas quædam, quâ sibi finitimè iunguntur vitia & virtutes, honesta & in honesta, parua & optima: nihil adeò perpolitum

litum pepetit natura, quod simul aliqua ex parte non vitietur; nullâ venustas A adeò coruscat, quam defectus aliquis non obscuret, nulla demum soliditas habetur, quæ trepido pariter motu non laboret; ipsa quis nesciat etiam sydera esse maculosa? Næuis & maculis sol ipse signatur: adeò verum est, vel optima è malo eui adhærescant, vitiari.

Sol virtutum Zelus, tam pretiosa, tam diuina dos animi, vt superiùs explicauimus, nisi ad Sanctuarij stateram in pondere suo se accomodet, facillimè discedit in vitium: nisi prudens fuerit, zelus non est; Duas alas sacri regiminis esse putes prudentiam & zelum, quibus applicatis è Tartarei milui vnguibus facilè Christiana præda eripitur: vnam ex his, si tantùm applices, non ad volatum assurgis, at properas ad præcipitium; audi Bernardum; *& ruit citiùs, qui vnà tantùm ala volare contendit; & quò magis attollitur, peius colliditur.* Iracundus zelus non est, non vehemens, non impotens, vel imprudens; maximè compositus & lenis est; si irascatur non, personam at crimen insectatur, &, vt cum Plinio loquar, assueuit ipse insectari vitia non homines. Zeli Simiam B eam Guglielmus Parisiensis appellat, quæ vel rigore nimio, vel furore connectitur, si personam eam dempseris, sub quâ latet zelus, è vi quam infert, non ad corrigendos, at ad confundendos mores, parebit immoderatum animi æstum esse, vitiosam cupiditatem, vltionem effrænam, & prauam impotentiam; illi suffragaberis qui ad Musæ Lyram cecinit. D.Bernard. serm.4.sup. verba Isai vidi Dñm. Plin. Epist. lib.1.

Sæpe scelus Cælum, sæpe velamine texit.
Cui zelus cœlum non est, non facit ille scelus.

Extremum & immedicabile malum personatus hic zelus est, quo sacrum regimen contabescit; cum persuasum sibi Pastor habet soli Deo studere, neque ad alium scopum quàm ad animarum salutem collimare, & sub hac opinione mendaci, sibi ipsi studet, suàque se sinit immoderatâ cupiditate transuersum agi; tunc enim verò difficilimè curandus morbus videtur, eò quòd ex ipso errore honestatem, & meritum colligere arbitratur; *qui errat, quò magis progreditur,* C *eò magis errat: profectus eius, defectus est*; sic habes a sapientissimo Seneca: sub medicinæ nomine zelus hic veneoum affert, & malagma reliquens, quo vulneri acerbitatem emolliat, tàm duro nexu illud exarcebat, vt penè nullum relinquat remedio locum; sed à Diuo Gregorio hoc ipsum audi Episcopos informante. *Sed sæpe deterius frangitur, cum fractum incautè colligatur, ita vt grauiùs scissuram sentiat, si hunc immoderatiùs ligamenta constringant*; perniciosa sunt hęc beneficia,& sub prætextu ferendæ valetudinis morbum exacuunt & amplificant, *Eâdem industria etiam per beneficia fallentes medicinarum, quæ magis lædunt iuuando*, Tertulliani sunt verba: An Diuini Pastoris obiurgationes euitare hi valeant? *quod infirmum non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis*: Regere qui se ipsum ignorat, alienos moderari mores audet? culpam emendat, non culpa sed virtus: manus, quæ non rationi & prudentiæ, sed furori & cupiditati, regiminis habenas tractendas concedit, excludenda à pricipatu est, nec malum extinguit at irritat. Ex aduerso autem, vt idem Gregorius pergit; *Illa sollicitudo Præpositorum vtilis est, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor sibi nihil vindicat.* Senec. Tertull lib. de Anima c.46. Eccle.34.4 D. Greg. Past.c.

D Vnicâ tantum voce complexus quanta fuit ille vir sapientissimus! è Regibus Galliarum vnus eum postulauit, vt ad probatissimum Regimen instituendum leges aliquas, rectamque regendi normam conscriberet: paruit ille, folioque papyraceo arrepto, prolixâ polticarum monitionum serie omissâ, vocem hanc tantùm, *Modus*, inscripsit; quo ille prudentissimè ostendit totam absoluti Regiminis disciplinam in eo tantum versari, quòd modum mensuramque quamdã seruet, seque inter prudentiæ fines moderatè circumscribat: hic profectò, ait Seneca, licet identidem verbera cogatur infligere, *non noces sed medetur specie nocendi.* Senec.lib.1 de ira.c.2.

Ad prudentem & moderatum hunc zelum normam nobis Princeps Apostolorum designauit his verbis; *obsecro: Pascite, qui in vobis est, gregem Dei; prouidentes non coactè, sed spontanée secundum Deum: non turpis lucri gloriâ, sed* 1.Petr.5.2.

voluntariè. Neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Vides vt in primamet voce; quamuis vt Pontifex imperiosam vocem loco legis posset inserere, adhuc tamen temperanter se gerens, humiliter obsecrat nos instruens, quantâ moderatione & lenitate cum populis nobis subiectis agere debeamus: hâc eadem loquendi formâ vsum etiam Diuum Paulum ad Galatas & Corinthios scribentem, Diuus Hieronymus obseruat. *Fratres obsecro vos*; qui etiam ad nos admonendos superaddit; *Qua quidem & nos ad humilitatem prouocant, & supercilium decutiunt Episcoporum, qui velut in aliquâ sublimi specula constituti, vix dignantur videre mortales, & alloqui conseruos suos.* Prudentem hi zelum seruare isti non valent; cum potius se prophanos Principes non sacros Pastores; & populorum seruos agnoscant; meminerint hi iuxtà Diui Petri sententiam, non suum, sed Dei gregem esse, adeoque tractandos populos, vt Cælestis Pater familias filios, quibus præficimur, non vt in eos dominium sed amorem exerceamus: quamuis autem nunc temporis non amplius populorum suffragio eligantur Episcopi, gerere tamen ita isti se debent, vt si vnusquisque subditorum eis eligendis vltrò adhæsisset, adeo vt de nostrâ etiam hac ætate vsurpare illud Diuus Hieronymus possit. *Rex nolentibus præest, Episcopus volentibus: ille terrore subycitur, hic seruituti donatur: ille corpora custodit ad mortem, hic animas seruat ad vitam*: quapròpter ad eandem moderationem nos Diuus Petrus excitans pergit; *neque vt Dominantes in Cleris*, hoc est non Dominos, at parentes nos esse, nostrumque zelum non è dominantis imperio, sed ex amantis impetu diriuandum: vt virtutis vias filius calcet, optat quidem pater, sed oppositâ etiam manu per eam illum adducit: eius quidem errata reprobat, sed dulci quodam rigore ea corripit, & si quandóque ferulam tractare cogatur, non ideo tamen exuit paternum amorem & nomen; hæc nobis adhibenda forma est. Quin etiam, vt superbum Dominorum nomen ne quidem agnoscamus, Christus ipse nos admonuit eâ sententia, *qui maior est vestrûm, erit minister vester*; quamobrem ad Eugenium Pontificem, & in eo ad omnes Episcopos scribens Diuus Bernardus ait; *si ergo tu, & tibi vsurpare aude; aut dominans Apostolatum, aut Apostolicum dominatum. Ab alterutro prohiberis; si vtrumque habere voles, perdes vtrumque.* Forma Apostolica hæc est; dominatio interdicitur, indicitur ministratio; Ad eandem moderationem & prudentiam adhibendam Princeps Apostolorum verba etiam illa vsurpat; *prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum*: quibus satis indicatur, adeò ex amore intimo zelum nostrum componendum vt non violentia & asperitate, sed lenitate & patientiâ, & quod magis est nostrę probitatis exemplo ad nostram obseruantiam subditas gentes alliciamus: aptissima ad hoc probandum ratio sit, quâ Seneca vtitur: quia scilicet indomiti ferocisque instar equi humanus animus fortiùs & alacriùs iter faciendum assumit, si Ducem habuerit quem sequatur, quàm si adhibitâ vi freni trahatur: facilius ipse suadenti adhæret quàm cogenti, & blandius palpantis manus, quàm verberantis nutus prosequitur. *Contumax est animus humanus, in contrarium, atque arduum nitens, faciliusque sequitur quam ducitur.* Si ad aliam partem præ violentia trahatur arbor, statim ad aliam reducit se, sic equidem res in Episcopo se habet, ait Nanzianzenus, qui ad populos sibi attrahendos, violenter eos agitat, statutum sibi finem non assequens, haud quaquàm reprobos ad vitæ viam conuertet; si vero voluntati expugnandæ primùm studens, aureos beneuolentiæ laqueos adhibuerit, facillimè illam sibi deuinciet, & ad suum arbitrium flectet; *Ac proinde vel maximè id lex nostra & legislator noster*; idest S. Petrus in sermone, quem præ manibus habemus; *sanxit, vt grex non coactè, sed spontaneè ac libenti animo pascatur*: hæc igitur lex nobis à Deo præscribitur, quâ Diuus Petrus Christianæ Religionis lapis primarius contendit, vt charitatem imitati, quâ suum zelum Christus temperauit, zelûm quidem etiam nostrum dulci beneuolentiæ purpurâ coloremus, & præ oculis Deum semper habentes, qui sacerdotij nobis commissi rationem a nobis exiget, sectatores suos diuinâ quâdam dilectione prosequamur; *prouidentes non coactè sed spontaneè secundum Deum.*

Marginalia: A; D. Hier. in c. 4. & ad Galat. 12.; Corint. 5. 2.; B; D. Hieron. Epist.; Math. 20. 26; D. Bernard. l. 2. de consi.; C; Senec.; D Nazianz. in Apolog.; D

Episco-

Episcopalis ignem zeli non alio nutriendum oleo quàm misericordiæ docer D Thomas de regimine Princ.
A ægregie Doctor Angelicus; ficut autem vulgati oleo deficiente ad lampadem combutendam lumen feretur, sic misericordiæ oleo deficiente, Princeps ipse consumitur: quod validiùs de Episcopo dici potest, cuius dominium p'uribus arctatur legibus, quibus absoluitur sæcularis Principatus; præterquàm quòd imprudens adeo, & cerebrosus zelus tùm animi quietem, tùm nominis famam destrueret, & viperæ fœtum imitatus, charitatis viscera, è quibus prodijt, immaniter laceraret. Quoniam autem Diui Bernardini ætate frequentissimus erat D Bernard serm. 25. in Cant.
huiusmodi zelus immoderatus & vehemens, tùm inter lithurgos, tùm Religiosos inter cætus, idcircò opportunitatem arripiens ex vberum dulcedine, quam suæ sponsæ Ecclesiæ Christus porrigebat, in Præsules omnes validissimè inuectus est, qui tàm aduersâ viâ Christi premenda vestigia deserebant. *Studeant hoc Prælati, qui sibi commissis semper volunt esse formidini, vtilitati rarò: erudimini qui iudicatis terram. Discite, subditorum matres vos esse debere, non dominos: studete magis amari quàm metui; & si interdùm seueritate opus est, paterna sit non*
B *tyrannica. Matres fouendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Mansuescite, ponite feritatem, suspendite verbera, producite vbera: pectora lacte pinguescant, non typho turgeant.* Hactenus Bernardus.

§. II.

QVænàm tàm inhospita, dissitaque gens fuit, cuius aures absolutissima Eliæ sanctitas buccinante famâ non occuparentur? Quanta populorum salutis cupiditate is æstuaret, quis ignorat? vehemens adeo & immodicus eius zelus erat, vt æquo furore in peccata & peccantes sæuiret, adeò vt inter alia Deum ipsum amantissimum obstrinxerit, ne consuera roris, & imbrium irrigatione 3.Reg.17.5
aridum telluris sinum recrearet; quâ propter, vt duram adeò mentem emolliret
C Deus, torrentem ipsum arefecit, quo sitientis oris ardorem ipse idem reficiebat, & coruum prohibuit, ne consuetam ad eum dapem panis afferret; his tamèn haud quaquàm obduratum ille animum commutauit, nec tot innocentium gemitus vberrimo imbre ex omnium oculis efluentes exorare eius animum potuerunt, vt à propositâ sententiâ declinaret, & sui zeli impleffet & satiasset famem, quinquaginta supra quadrigentos Baal sacerdotes suammet manu iugulans, & trucidans; fœmineum inde Iezabellis furorem effugiens, cùm montis fastigium attigisset, rogatus à Deo fuit, *quid hic agis Elias?* cui ipse, *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum; quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel.* Cùm postea ad zelum moderandum rursus eum Deus instruere vellet, maximum omninm beneficiorum, quibus humana tenuitas donari possit à Deo, se in eum collaturum promisit, hoc est vt Deum obiter aspectaret, violentus ad hæc turbo, & procellosus ventus erupit, ad cuius sæuitiem & robur, non ipsæ tantum arbores contremiscerent, sed ipsa etiam aspera montium culmina trepidarent; verum *non in spiritu Dominus*: hinc immanissimus terræ motus ipsum etiam montem dissecans 3.Reg.19.2
& quatiens; *sed non in commotione Dominus*: igneus inde globus exarsit, quo
D cuncta æstuarent; sed non in igne Dominus: post huiusmodi confragosa & sonora, suam Sanctissimi zeli premens sedem accessit. *Deus in sibilo auræ tenuis*, & addunt septuaginta & *ibi Dominus*. Hæc Deus ostendit, vt tandem Elias addisceret, humanum zelum, vt Deo placet, non concitatum, non impotentem, at lenem & moderatum futurum; Dei spiritum in benignitate & suauitate versari, non inter turbinum & flammarum fragores, non in procellarum commotione, sed in blandientis auræ silentio: accipe D. Hirenæum; *docebatur Propheta turbatior & concitatior ad vindictam mitius agere*, egregiè etiam Tertulianus; *Sedit in* D Hier. lib 4. contra hær c. 37. Tertull. de patient. c. 15
Throno Spiritus eius mitissimi & mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet, sed est tenera serenitatis apertus, & simplex; quem tertiò vides Elias: nam vbi Deus, ibi & alumna eius, patientia scilicet.

Adhuc tamen contumaciter obdurescente Vatis animo, ab hominibus eum euelle-

euellere decreuit Deus, ibique eum locare, vbi ab eorum criminibus alienum haberet aspectum: igneo igitur curru, cuius simbolo eius igneus zelus designatur, raptus in Cælum fuit, ac si ad aurei Ioannis mentem sic eum alloqueretur: *Tu autem, inquit, valde seuerus es, & peccatores ob zeli nimietatem ferre non vales: idcirco ascende quasi in cælum, vbi impeccabiles contubernales habeas.* A

D. Ioann. Chrisost. hom. IIII.

Ipsius etiam Ionæ zelus à Dei zelo non leuiter dissonabat: vt Niniuæ ciuitas funditus vastaretur ipse cupiebat, eique iam Deo mandante, vaticinatus exeidium fuit: euentum inspecturus ad hæderæ vmbram assidebat, cum Deus ad Ipsum etiam instruendum vermi vorandam prius hederam dedit, radijs inde solis eum percutiendum, & australi aurâ ventilandum, vt viuendi tædio affectus mortem affectaret; ad hæc Deus, *tu doles supra hæderam in quâ non laborasti, neque fecisti vt cresceret, quæ sub vnâ nocte perijt; & Ego non parcam Niniuæ ciuitati magnæ, in quâ sunt plusquam centum millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam, & iumenta multa?* Prudens & Diuinus zelus hic designatur, quo studendum nobis est, vt terreamus potius quàm feriamus, vt peccantium potius dolore quàm supplicio gaudeamus: à prudentiâ certè & temperantia Zelus nunquam abscedit; quapropter sic Ionæ verba facientem Deum exprimit Diuus Ephremus: *Cucurbita tibi nunc loco magistri efficitur, ex qua sapientiam, & prudentiam addisce, ac quanta sit vis diuina clementia. Tu parcis cucurbitæ, & ego ciuitati: tugurium tuum sit speculum ciuitatis.* B

Ionæ 4.

Ionæ 4. 10.

D. Ephrem. ser. de Iona

Ipse etiam humanæ salutis assertor Ioannem & Iacobum Apostolos ex Zeli intemperantia semel increpuit, eò quòd pluuium ignem labi exoptarent è Cælo, vt Samariæ vrbem, quæ eis hospitium denegauerat, perditam inter flammas aspicerent: quàm longè ab Eliæ sententiâ Dei magisterium est! *Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* O admirandam Diuini zeli disciplinam! O quàm accomodata & apta, vt ad eam se Præsules componant, & populorum non exeidia quærant, at salutem, *& vos ergo cuius spiritus signati estis, eius & acta sectemini?* Sic Beda: facilius benignitate quàm asperitate capiuntur, & corripiuntur populi: pallium viatori abstrahere ventus non potuit licet concitatissimus & impetu horrendo furens, quin ad eius impetum arctiùs illud ipse sibi deuinxit; cum è contra blandè eum suâ luce sol amplectens & taugens facillimè ab eo pallij prædam eripuit; experti hoc sanè Samaritani fuerunt, ad nos omnes, vt Mediolanensis Antistes docet, admonendos; *Quòd Discipulos increpauit, qui ignem super eos descendere gestiebant, qui non receperant Christum; ostenditur nobis, non semper in eos, qui peccauerunt, vindicandum: quia nonnumquam amplius sibi prodest clementia ad patientiam, lapso ad correctionem. Denique Samaritani citius crediderunt, à quibus hic ignis arcetur.* C

4. Regû 10.

Beda in Luca 10. 52.

D. Ambr. lib. 7. in Lucam.

Id ipsum abundè Diuo Carpo Cretensi Antisti Diuinus Magister insinuauit; ad omnium Præsulum vtilitatem: hic, narrante Diuo Dyonisio, tàm molestè ac acerbè tulit, quòd Christianum virum corruperit Ethnicus, vt immoderato zelo, Deum impensè exoraret, vt vtrumque fulmine percussum absumeret; ad ad hæc mentis oculis miserrimos illos aspexit, iam se in hiantem voraginem dare præcipites immanisimis anguibus lacerandos, quos etiam ipse suâ manu promptissimus impellebat; ruituris illis manum benignissimè porrigebat Christus è tanto eos discrimine erepturus; hinc ad Carpum conuersus ait; *Iam percute aduersum me: paratus enim sum etiam iterum pro saluandis hominibus pati:* Ad hæc tàm vtiliter Carpus in suâ temperandâ immodicâ iraeundiâ profuit, vt ad Christi zelum se componens, nullum laborem, nullā molestiam nullum angorem quamuis asperrimum, & sæuissimum detrectaret, ad populorum vtilitatem, quos adeo cognouerat esse numini pretiosos. D

D. Dyonis. Ep. 8. ad Demop.

Demùm Luciferi Calaritani Antistites miserandum exitum absque lachrymis memorare non datur: hic quàm plurimis sedis Apostolicæ legationibus perfunctus, post propugnatam tùm sermone tùm calamo Orthodoxam Religionem, proque eâ seruandâ suâ multis cruciatibus confectus, tùm etiam in exilium emandatus, imprudentis zeli impotentiâ corruptus & correptus adeò fuit, vt in ea

in eâ opinione pertinaciter inhærens quòd scilicet abdicandi Episcopali digni-
A tate essent, qui ab hæreticis decepti, falsæ Ariminensi synodo defecissent, ab Romana Religione miserrimus abscesserit, quam illi humillimè post obitas pœnas requirebant, & amplexabantur: meritò igitur Cardinalis Baronius pronunciauit, vtinam vt Eliæ zelo feliciter ille succendebatur, sic etiam ea percepisset, quæ vati eidem significata fuere; *non in Spiritu vehementi Dominus, non in commotione*. Illud sanè accommodarissimum Præsulibus illis, qui zelo intemperanti & impotenti populis præsunt, est, quod de Diuo Paulo, sed tunc Saulo Diuus Petrus Chrisologus memorauit, quòd *per legis zelum legem impugnabat, & in Deum, Dei amore peccabat*. Baron. ann. 36. D. Chrysol. ser. 7.

Ne igitur & nos in tanti Societatem erroris accedamus verum zelum à commentitio & mendaci discernamus: ex amore ille profluit, & errata damnans errantes miseratur & diligit, mendax autem, qui, Apostolo scribente, *non est secundum scientiam*, siluestris quidam zelus est, quem impatientia concipit, & proprius amor parit; vitiosa semper ea ira est, quæ non seruam se esse meminerit: Rom. 10.
B ad rationis & prudentiæ obsequium & imperium exercere illa se debet, si iugo seruitutis excusso Dominam se voluerit instituere, quam laudem, quòd præmium ipsa mereatur, cùm potius damnanda & vituperanda videatur. Illustrem virum & Cæsareæ Aulæ administrum egregiè de hoc Gregorius semper & vbique Magnus instruxit hoc stylo: *Ira enim in vindictam malorum sequi debet rationem animi non praire, vt quasi ancilla iustitia post tergum veniat, & non lasciuia, ante faciem prorumpat*. D. Greg. lib. 8. epist. 51.

De Diuini Cultus Zelo.
Cap. VII.

C AD absolutam cognitionem habendam, an verè cor nostrum Diuinus amor insederit, Lydius velut lapis sit zelus, quo eius honorem diligamus. Ex amore zelus enascitur, cuius, ad Aquinatis mentem, munus potissimum est, ea omnia amouere & expellere, quæ Diuinæ voluntari obstant, Diuinumque honorem obscurant, adeò vt non aliâ dicendi formâ, minatus cuidam fuerit Deus suum erga eum amorem extinguendum, quàm his verbis, *Aufertur zelus meus à te*, quod maximum est omnium suppliciorum. Quapropter eâ mensurâ, quâ Diuinus amor nostrum pectus impleuerit, Diuini honoris studium in nobis exardescet; In diuino amore frigescere censendus erit Antistes ille, quem nullus Diuini honoris pius ignis accendet. Ad Cæsareum aulicum Diuus Augustinus scribens verba ea perpendit, quibus Reges & Principes vates Purpuratus admonuit *Seruite Domino in timore*. Sicut autem, sic tantus Magister, in magno huius vniuersitatis proscænio geminas partes Princeps agit, hominis scilicet & Principis, sic duplici etiam modo obsequium Deo referre tenetur, vt homo ea seruans, quæ Dei voluntatem impleant, vt Princeps ea prohibens, quæ Diuinum honorem extenuant, eiusque gloriam inficiunt; eo quidem modo, quo Iosias D. Thomas 2. 2. q. 28. art. 4. c. Ezech. 16. 4. 2. D. August. 50 ad boni. 10. 2. Psal. 2.
D & Ezechias tâm studiose diuinæ gloriæ addicti sacrilega templa diruerunt, flammisque absumenda dederunt nemora superstitiosis ritibus à prædecessoribus Regibus immolata. *In hoc ergo seruiunt Domino Reges; cum ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere nisi Reges.* quamobrem non abs refuit Constantini pronunciatum, quòd scilicet Ecclesiæ Antistes Imperator etiam esset, sed extra Ecclesiam: si autem ad hoc peragendum sæculare sceptrum tenetur, quid de Episcopali, & Sacro lituo dicendum nobis erit? Si prophanus Princeps, cuius regiminis scopus ciuilis fœlicitas est, si Dei honorem neglexerit, deficere ab eius fide fœdè videtur, quânam excusatione se Antistes ille propugnauerit, qui sui sacerdotij vi ad æternam beatitatem gentes tenetur adducere? Si Diuino honori augendo vigilaturus est temporaneus Dominus, quem aliò abstrahunt tot inuoluta politicæ gubernationis negotia, quantò in eodem studio vigilantior, & operiosior

rosior futurus Antistes, quem, ad Dei amplificandum cultum summmet munus obstringit? quantâ contentione & dilectione ea omnia eliminare videbitur, quę Diuinam gloriam minuunt & obscurant? A

D. August. trac. 10. in Ioan. 10. 9. Psal. 58. 10. Ab huiusmodi autem zelo exercendo nullum è Christi fidelibus cuiusque conditionis fuerit, idem Augustinus exclusit, ac si non Regis & hominis personam referens Dauid pronunciasset, *zelus domus tuæ comedit me, adeoque ipse explicat. Vnusquisque Christianus in membris Christi è zelo domus Dei comedat.* tùm paulopost, *fac quidquid potes cum personâ, quam portas.*

Ingens ex his verbis pondus sacris viris imponitur: si namque priuatis quibuscumque viris iuxtà eorum habitudinem tantum studij & affectionis inesse debet in diuino honore submouendo, quàm ocultus, quàm operosus, quàm ingeniosus fuerit Antistes oporteat, vt huiusmodi zelo prospiciat, qui adeò suo ministerio conformatur, vt ad eius comparationem quicumque priuatus vir eximi ab eo videatur: Quàm autem absolutus ille zelus est, quo Deus nos ignoscere exoptat? immensus adeò & intensus zelus fuerit, vt prope nostrum corpus absumat! *Zelus domus tuæ comedit me.* ita vt sicuti Dapes, quibus ad vitæ alimentum vescimur, in vitam ipsam nostram nostamq; substantiam conuertuntur, sic propè cùm à diuino zelo comedamur, ita in eum commutemur, vt in nobis zelus ipse viuat, & zelus ipse nos simus: nostrū igitur honorē, nostra commoda obliti, nihil aliud animo reuoluamus, quàm Diuinæ gloriæ amplificandæ studium, pro nostrarum virium imbecillitate Diuinâ virtute corroboratâ, tantum laboremus, vt licet magnus labor fuerit, in re tamen tantâ semper nobis exiguus videatur: B

D. August. vbi supra. quinam Diuino ore comedatur quæris, ait Augustinus? *qui omnia, quæ fortè ibi videt peruersa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit,* & si perficere suum opus haud licet, *si emendare non potest, tolerat, gemit.*

Tria hinc colliguntur, quæ Diuinus zelus operetur in nobis, mestitiam scilicet, sanctam indignationem & laborem: maiorem certe Regio vati dolorem inferebat despicientia, quâ Diuinam legem nefarij homines prosequebantur, quàm tot cruentæ fraudes, & doli, quibus suam vitam appetebant; quare non C

Ps 181 139 Hiere. 23. 9 sine gemitu testatur, *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

Validiori, tristiorique dicendi formâ suum animi angorem eadem de causa effundebat Hieremias his verbis *Contritum est cor meum, contremuerunt omnia ossa mea: factus sum quasi ebrius,* tantarum animi perturbationum fontem inde explicat; *quia adulteris plena est terra:* vides ne, vt zeli vi consumptus in ipsummet zelum esset immutatus?

Supremi Sacerdotis aptissimum ad hoc roborandum mihi videbatur exemplum; hic enim ad cladis acceptæ nuncium, & ad suorum filiorum mortem, licet intime animo cruciatus, adhuc tamen vitam seruauit, vt tamen Dei arcam accepit in Philistinorum potestate esse captiuam, tàm acerbo, asperoque dolore fuit correptus vt intercluso repente spiritu, sede retrosum actâ, vi-

1. Reg. 4. 18 d. c. 4. 19. & infra. tam præceps absoluerit, *Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sede retrorsum iuxtà ostium, & fractis ceruicibus mortuus est.* Heli tamen omisso, suæ nurus zelus orationem meam trahit ad se. Infelicem sane fæminam, quæ plurimis simul infaustis acceptis nuncijs partus doloribus cruciata, mortisque agone percussa, calamitates omnes magnanimè ac fortiter sustulit, sed ad contumelias, quibus Dei arca ab Idololatris capta fædebatur, tàm ingens acerbusque fuit angor, vt dolores omnes alios absumpserit; iactura, quam de coniuge, de socto alijsq; consanguineis fecerat, leuis illi videbatur præ Arcæ captiuitate; hac tantùm tanquam læthali ictu vulnerata tristissima concidit, ex oculis lachrymas, ex ore singultus effundens; hæc tantum fuit in causa, vt eum masculum eius esse fætum ei significarent, lætitiam nullam nullum solamen acceperit, illud semper præ D

1. Reg. 4. 25. labijs habens; *Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei.* Vale sæculum, mundi magnificentia, gloriæ splendor, gemmarum delitiæ, thesauri, obsequia, principatus, filij, vita valete: in pretio vos ego habebam, cum Dei arcam eâ, quâ par erat reuerentiâ, meus populus excolebat: nunc verò cùm eius gloria

in lu-

in ludibria immutatur, eiusque sanctitas tàm prophano dedecore obscuratur,
A exosa molestaque mihi sunt omnia, quandoquidem *translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei*, quibus vocibus cælestis instar cychni dulcissimè emodulata in finum Abrahæ euolauit. Tàm illustris & delicatæ fœminæ zelus validissimus, ni fallor, erit ad aliquorum Præsulum tabescentem zelum pleniùs inflammandum: erubescent ad illum aliqui, quibus molestior est leuis aliqua in temporaneo censu iactura, quàm grauissimæ calamitates, quibus sua Ecclesia quatiatur. Vt tamen aliqua etiam è nostris afferam ad Gustatium Antistitem Epiphaniensem accedo; tàm aspero cruciatus dolore hic fuit, vt prophanis superstitionibus violatam sacram ædem aspexit, vt subito vita deficiente spiritum exhalauerit. Fœlicissimam sanè mortem, quæ immortali vitæ dedit exordium; dolorem beatissimum, è quo gaudium æternitatis emersit? Cùm enim à Diuinæ gloriæ zelo mors ista prouenerit, Deum obstrinxit, vt in eius mercedem gloriam immortalem largiretur: quapropter, vt habes apud Ezechielem, Angelo
B sacerdotalibus indumentis ornato præceptum fuit, vt signo Tau, quò diuina beneuolentia designatur, illi notarentur, qui de criminibus Deum dehonorantibus indignantur & plorant. *Signa Tau super frontes virorum gementium*, explicat sic ea Hieronymus, *super frontes gementium & dolentium super abhominationibus, quæ fiebant.* Ezech 9. D. Hier. ibi

§. I.

PIA etiam & honesta quædam indignatio, quæ in diuinæ legis violatores ignescit, quàm egregiè in clarissimo legislatore Moyse perlucet! vehementissimum amorem, quo Dux iste populum suum deperibat, quis sine admiratione peruoluat? Vt enim æstuantem in eum diuinam iracundiam tranquillaret, suam ferè salutem neglexit: miserationem in alios exercens sæuire in se ipsum visus
C est; vix tamen beneficium impetrauerat, & sui populi amori fecerat satis, vt illicò diuino zelo totus ignesceret, adeò vt Leuitas sibi associans viginti tria hominum milia præ cæteris flagitiosissima cruentâ internecione deleuerit. Audi Gregorium; *Pensemus ergo, quibus visceribus eundem populum amauit, pro cuius vita de libro vitæ deleri se petit; sed tamen iste, qui tanto eius populi amore constringitur, contra eius culpas pensemus quanto zelo rectitudinis accendatur*, & paulò pòst, *vtrobique legatus fortis, vtrobique mediator admirabilis: causam populi apud Deum precibus; causam Dei apud populum gladijs allegauit.* Quînam mansuetissimus Moyses, totusque ad lenitatem compositus sæuire in se ipsum valuit, tantàque animi duritie populi excidium strictò ferro inferre? ne tamen mireris, ait Theodoretus: è prolixo consortio, quo cum Deo in fastigio montis familiariter egerat, tàm validus in eius pectore Diuini amoris ignis efferbuit, vt Diuinum honorem dehonoratum aspiciens, *amatorio furore supra modum percitus*, propriam etiàm ignorauerit naturam. Quin, vt Rupertus Abbas perpendit, præces ipsæ, quibus ad populi beneficium numen orauerat, ad Dei seruandum honorem referebantur; cùm enim ex Abrahæ semine iuxta Dei promissionem esset
D Deus nasciturus, deleri vtique populus hæbreus non poterat, quin diuina etiam promissio deficeret, diuinique dignitas verbi aliquâ ex parte obscuraretur; nil igitur mirum, si æquè ac Moyses Sanctissimus Noe preces nullas ad humani generis salutem effuderit, immittendam aquarum eluuionem impediens; Diuinitatis enim honor & gloria, ad cuius fastigium omnia Sanctis à viris diriguntur, comune illud suplicium vtiq; exigebat, & ad humanam sobolem restaurandam, satis superque erant illi pauci, quos superstites Arca seruauerat

D. Gregor. l. 10. Moral. c. 8.

Theodor. in 33. Exod.

Rup. Abbas l. devec. ver. dec. c. 19.

Memoranda etiam præ suâ nobilitate videtur sancta illa indignatio, quam diuini zeli igne conceptam Phinees è suo corde diffudit; vno eodemque vulnere Zambri Simeonis Tribus Principem hic occidit, & Madianitarum Principis filiam, quæ publico flagitio pietatem violabat; optimè autem innotuit huiusmodi Phinees zelum ex eis fuisse, quibus suauissimè viscera deuorantur; quemcumque num. 25.

cumque enim timorem, quem ex occisorum potentiâ principum concipere po- A
terat, ex animo Phinees eliminauit; quàpropter egregium illud facinus tàm
Deo arrisit, vt in eius mercedem furorem exuerit, lu mque, quâ populum ab-
sumebat, benignus expelleret, *Dixitque Dominus ad Moysem: Phinees, filius*
Nu 25. 11. *Eleazari, filij Aaron Sacerdotis, auertit iram meam à filijs Israel, quia zelo meo*
commotus est contra eos, vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Quàm bene
Ioan.Papa. his Diui Ioannis Pontificis sententiâ breuis quidem & grauis confirmatur, *Ze-*
lus purgat facinus.

Cùm Phinees zelo Mathatiæ zelus conferendus videtur; cùm enim tristis simul
& magnanimus flagitiosissimi Regis Antiochi administrum oppugnaret, eò quòd
ad Idolorum cultum hebræos adactâ vi compelleret; cùm suâ de sede emergere
hebræum aspiceret, & prophanum ad altare procedere; fœdissima thura Idolis
immolaturum, stricto gladio hebræum illum appetens, simulque Regium fa-
mulum pares suo furori victimas eos immolauit. *Vidit Mathatias; & doluit, &*
1.Mat.2.24 *contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius secundum iudicium legis: &* B
insiliens trucidauit eum super aram: sed & virum, quem Rex Antiochus miserat,
qui cogebat immolare, occidit ipso tempore, & aram destruxit.

Verùm quidem est, haud fas Christianis viris esse ad huiusmodi facinora se
obarmare, nisi vbi legitimus iudex haberi non posset, magnumque discrimen
publicè diuinus honor subiret, aliaque plura occurrerent; quâ sententiâ excipiẽda
sunt, quæ exagerata tumidâque loquendi formâ Diuus Chrysostomus pronun-
S. Chysost. hom. 1. ad pop. ad finem. ciauit, quod nempè, si quis suis auribus blasphæmum excipiat, illico cum ore
corripiat; ni tamen eum facta correptio exerceat, veniatur ad verbera, & alapis
inflictis fœtidum os obstruentes, blasphæmias arceamus; *Si enim Regem terræ*
blasphemantes punire opportet; multo magis Deum contumelia afficientes; quòd si
vt ipse subdit, in percussorem blasphæmus insurgens eum occiderit, Martyrii
laureâ coronatus in Cælum properatet. *Martyrium tibi hoc est, quoniam & Io-*
annes martyr fuit.

Verùm quis non obstupuerit, Christum eundem amoris fontem & lenitatis Ma- C
gistrum aspiciens? vt mansuetudinem nostris insereret animis lapsus ipse de
Cælo fuit, suæque placiditatis amantissimus, agni instar dedit se carnificum tor-
torumque rabie lacerandum: vt tamen Dei Domum dehonoratam aspexit, ex
Agno in Leonem immutatus, templi inexstatores verberibus inflictis ræiecit,
eorumque expansa mercimonia indignatus auertit: ab eius autem amantissimâ
indole furor iste iàm discedebat, vt insanisse eum quã plures arbitrarentur, *quoniã*
in furorem versus est, ipsique eius consanguinei ad eum tenendum processerint,
Marcl. 3. 2. & si opus fuerit, vt dementem vinciendum; *exierunt sui tenere eum.*

Ad laborem iàm accedamus, quem inexhaustum nostris viribus Diuinus ze-
lus insinuat, eâque de causâ sanctissimam hanc animi dotem, igni Diuinus Spi-
ritus comparauit, *Et surrexit Elias Propheta quasi ignis: idest, ardens zelo Dei,*
Ezech. 48. Lyranus explicat; sicut enim calidum illud Elementum nunquam otiatur, vel
Lyr. ibid. torpet, aut quiescit, suumque calorem beneficâ largitate omnibus impertitur, sic
diuinus zelus cùm nostrum animus occupauerit; quietem nescit & torporem,
& ad alia semper in Dei honorem agenda consurgens, fatigationem expellit,
alios semper ad Dei obsequium conatur adducere, & sicut ignis rubiginem me- D
tallis aufert, eosque, quos frigus cruciat, fouet & recreat, sic scelerum rubi-
ginem ab improbis viris excutit zelus, & vel extinctam vel torpescentem pieta-
tem inflammat & excitat.

Pauli animum hic ignis absumpserat, hic eius in flammis exundabat; adeò vt
in ignem fere immutatus huius Elementi agilitatem tàm infeliciter induerit,
vt totum ferè orbem peragrarit, vitiorum spinas comburens, scelerum scoriam
auferens, & corda gentium mundans; quamobrem iure meritò eum Ioannes
aureus commendans ait. *Qui terram videlicet ac mare, Græciam simulque Bar-*
D. Chrys. *bariam, omnemque prorsus, quanta sub Cælo est, regionem, quasi volitans circum-*
hom. 2. de *iuit; non simpliciter labore, velut in vacuum itinera percurrens; sed peccatorum*
laudibus S.Pauli. *spinas pariter euellens, & verbum seminans vbique pietatis, fugans errores, veri-*
tatem

A *tatem reducens, ex hominibus angelos faciens quinimò ipsos homines quasi ex Dæmonibus in angelos prævalens.*

Athanasios, Cyprianos, Chrysostomos, Basilios, Gregorios, Ambrosios, Augustinos, cæterosque alios & millenos Sanctissimos Præsules diuinus ille ignis ad egregia facinora excitauit: imparem enim suæ virtuti campum hi æstimantes vrbes, & Diœceses eis commissas, tùm scriptis operibus tùm concionibus habitis, tùm Concilijs diuinæ gloriæ adlaborarunt, animoque impauido, & nusquam defatigato quosuis labores, quæuis pericula subierunt ad Christianam fidem disseminandam, ad venenosas hæreses extinguendas, ad pietatem vbique fouendam.

Antiquis igitur omissis, quàm feruidus & succensus in Caroli Borromęi animo Diuini zeli ignis fuit. Ad Diuinam enim gloriam augendam centimanus Briareus visus est in omnibus operosus, & in difficultatibus asperrimis dissoluendis Alcide ipso validior; quæ pericula non ille subiuit, vt de scelerum monstris triumpharet? quænàm Italiæ ora fuit, quam ipse vel suâ, vel alienâ operâ suæ charitatis effuso incendio non inflammaret? Quantâ vigilantiâ & vi contendit ipse, vt per totam Christiani orbis vniuersitatem ad veterem pietatis legem mores reuocarentur? hâc de causâ studiosissimus ipse fuit, vt Tridentinum Concilium tandem absolueretur, exemploque primùm à se petito adduceretur ad opus; hâc etiam de causâ Pium Quintum de duobus obsequentissimè admonuit, ne scilicet vnquam Conuentus, qui dicitur Episcoporum deficeret, ad quem non tantùm eorum contentiones spectarent, sed etiam ea omnia, quæ ad optimum populorum regimen conducerent, vt ea inde, rebus apprime cognitis, statueret quæ honestissima essent, & Christianæ Religioni illustrandæ maximè opportuna; illud etiam indicauit, quòd per omnes Prouincias Apostolici visitatores mitterentur, qui de Episcoporum moribus, & de Cleri disciplinâ certiores se facerent, & potissimùm etiam in ijs euigilarent, quæ ad Tridentinam Synodum seruandam, & inconcussam retinendam referuntur, vt Pontificiâ potestate, quæ imbecillia sunt confirmentur, quæ dubia, declarentur; his sane obstringerentur Præsules ad ea facienda, quæ tùm suæ dignitati decora, tùm populorum saluti essent vtilissima.

§. II.

NOS profectò miserrimos, qui in eam ætatem deuenimus, qua sanctus hic ignis contepuit, vel fortè defecit! Vtinam in me hæc scribentem, & in alios Præsules D. Ioannis Chrysosthomi querela opportunè non recidat: totū scilicet nostrum zelum ad hoc tantùm accendi, vt debitus nostræ dignitati nostroque nomini honor afferatur; cùm tamen ea, quæ ad Diuinum honorem spectant, per summam iniuriam negligantur: *Episcopus si debitum honoris non acceperit à Presbytero, aut Presbiter si non acceperit à Diacono, aut Diaconus à Lectore, irascitur, & perturbatur: si autem viderit Episcopus Presbyterum, aut Presbyter Diaconum, circa obsequium Ecclesiæ non permanentem, aut alias peccantem in Deum, neque irascitur ei, neque curat: quia omnes quidem de suo honore solliciti sunt; de honore autem Dei nullus.* hæc ille. D. Chrys. super Matt.

D Satis formidinis mihi est (compertus hoc ego assero) quòd hàc ætate vel zelus iuxtà Hugonis Cardinalis sententiam, zelantes omnes comederit, cum superstes ex eis adhùc nullus videatur, *sed omnes quærunt quæ sua sunt*; vel quòd nos zelum ipsum comederimus, adeò vt in nos ipsos immutatus, diuinus non sit, at humanus; nec ad cælestes, at terrenas leges se componat. Hoc igitur in causâ est, ait idem Chrysosthomus, vt aculeatissimis curis nos obsideri Deus permittat, eaque nobis beneficia deneget, quæ cætetoquin largissimè impertiret; eo planè modo, quod igni planè essent, qui à Principe ij populi deserantur, qui sui Regij nominis honori non studerent, eò quòd non eum diligerent: facilè namque zelus ibi succenditur, vbi amor ignescit. Ibidem etiam aureum illud Hugo. Cardin. in Ps. lib. 8. D. Chrys. Hom. 3. ad pop.

acroama aureus orator exarauit, quo velnti calcare, excitare se Præsules deberent: *Sufficit unus homo zelo fidei succensus totum corrigere populum.* Magnam A
vtique admirationem, quod de Bethsamitis narratur, affert: hi namque aspicientes, à Philisthæis ad eorum regiones Dei Arcam, quam septem mensium spacio sibi retinuerant, remitti; summo gaudio gestientes eam exceperunt, illamque quàm plurimis victimis & hostijs immolatis honorarunt: sed vide, quàm
1. Reg. 6. 13 & 19. ipsi remunerationem collegerint; *Percussit autem de viris Bethsamitibus, eò quòd vidissent Arcam Domini, & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Proh Deum immortalem! Ità ne igitur? ex obsequijs, quibus Arcam & diuinitatem populus ille cumulauerat, ferocitèr sæuientem luem in se deriuauit? ne tamen, ait Theodoretus irascaris; iure meritò hæc illis pœna
Theod. q. 34. in Regum. infligitur, eò quòd Diuinum honorem negligentes, ad pericula & incommoda euitanda, nequidem euaginarunt gladios, ad sibi Arcam Diuinam recuperandam; sed plurium interuallo mensium captiuam relinquentes, tunc solùm eam receperunt, cùm ipsi hostes vltrò eam remiserunt. Verba Theodoreti profero. B
Procop. in 1. Reg. 6, 19. *Populus fuit castigatus, ut qui noluerit pro Arcâ adire periculum, & septem menses eam reliquerit apud alienigenas, & pro eâ bellum non susceperit.* Quòd idem indicauit Procopius, hac scilicet clade fuisse percussum, quià nullus pro Arcâ subire periculum voluit. Quo igitur supplicio cruciandi ij Antistites erunt, qui Diuini zeli igne tepescentes ad sua commoda coaceruanda tantùm feruent, eosque labores, quos ad suum munus explendum, in pietate amplificandâ, & euellendis erroribus deberent impendere, in sui nominis famâ illustrandâ, rebusque suis augendis absumunt?

Rubore totus suffundor, quotiescumque egregium illud, recolo, quod de Metello superstitiosæ Romæ Pontifice Maximo memoratur: Templum Vestæ flammis deuoratj hic aspiciens, propriam salutem oblitus, totusque ad mendacissimi nominis, & numinis honorem intentus, medijs se flammis dedit, latèque omnia depascentes ignes securus intrauit, vt Palladium seruaret; seruauit vtique, licèt
Val. max. l. 1. 35 de pallad. Plin. l. 8. c. 5 Senc. lib. 4. controu. flammarum vi oculorum orbitatem acceperit. hinc orator Seneca: *Habes Vesta duplex Pontificis tui meritum seruauit sacra, nec vidit.* Quidnàm mihi in decretoriâ iudicandi orbis die respondere ad hæc licuerit? quid faciendum, cùm ad Aethnici huius sacerdotis aspectum ipse subijciar, meamque socordiam & in veræ Religionis cultu desidiam damnabit & arguet? quàm longè mihi est, vt ad sacrarum ædium incolumitatem, vitæ discrimen occurram? Perquàm necessarius Episcopis zelus est: nisi in eo præstiteris, crimen erit, nec eius mediocritatem assequi, flagitium, eodem carere, sacrilegium: *bonus zelus & utilis*
D. Amb. in Psalm. 158, sec. 18. *in sacerdote præcipuè negligens ne remissus sit (unde vulgò dicitur, qui non zelat, non amat) zelus Dei vita est.* Sic Ambrosius.

Beneficentissimus autem Deus, qui suamet beneficia in suis famulis remuneratur, eis honorandis studet, qui eum honorant, & gloriæ eorum adlaborat,
Exod. 34. 26 qui Diuinæ gloriæ insudant; satis hoc Leuitæ testentur, qui Moysis Ducis zelum imitati, in aurei vituli adoratores ferrum magnanimè strinxerunt, consanguineis ipsis & affinibus non parcentes, illud opere exercentes, quòd postea verbo Diuus Ambrosius docuit: *Zelum qui habent, omnes sibi inimicos suos putant, qui sunt hostes Dei, quamuis Patrem, fratres, socios, omnibus dicit, hostes facti* D
D. Ambr. in psal. 117. serm. 18. *sunt mihi;* Sicut Dauid ait: hi enim amplam à Deo mercedem, gloriosam prærogatiuam à Deo receperunt, qua eis tantùm licebat vt Deo victimas & thymiama offerrent, *Ponent thimiama in furore tuo, & holocaustum super altare tuo.*
Deut. 33. 10 Iustissimè à Deo factum, ait Hebræus Philo, vt qui ad Dei tuendum honorem generosiores & promptiores fuerunt, chariores etiam sibique alijs proximiores ad ministros Deus elegerit.

Demùm hóc idem testetur Phinees, quem, eiusque posteros hàc eàdem de
Phil. 9 de vita Moys. causâ supremo sacerdotio Deus decorauit; mandante Moysi Deo, vt suo ei nomine significaret, *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tàm ipsi, quàm semini eius*
Num. 25. 10 *pactum sacerdotij sempiternum: quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israel.* Quid autem aliud duo hæc præmia ostendunt, nisi connexionem

quan-

quandam intercedere inter diuini honoris zelum, nostramque dignitatem, quæ
A potissimum ad cultum Dei spectat, & sacra.

Post opus præmium illis Deus impertiuit, sed ante ipsum opus sacerdotij munus nobis imposuit, vt ad ipsum opus excitaret; sui zeli mercedem Phinees tulit in infulis, quibus eum Deus redimiuit; nos autem, qui eisdem infulis coronamur, ad eundem zelum aduocamur, cùm æquè ac Phinees vsurpare illud possimus: *indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum coronâ*. Ex Isai 6. 12. hebræo fonte, cui Septuaginta adhærent, Vatablus, & Pagninus: *tamquam sponsum sacerdotauit ne mitra, quasi sponsum sacerdotij portans coronam*.

Vtinam Diuini eius zeli particulam nobis aliquis largiretur, quò tàm efluentèr Sanctus Thimoteus Ephesinus Antistes ditescebat; hic enim, vt Chrysosthomus perpendit, licet stomacho æger et imbecilli, Diui Pauli socius vbique terrarum fuit, nunc Corinthi, nunc in suâ Diœcesi, tùm per incerta & procellosa marium, tùm per ardua abruptaque Terrarum, vt vbique gentium Christianæ trophœa
B Crucis erigeret. *Tantùm valet in Deum zelus; tàm leues efficit alas*.

Quàm facilis ad audiendos populos futurus Antistes sit. Cap. VIII.

POTENTISSIMVM simul & innocentissimum maleficium, quo ad Principis obsequium & amorem poppli obstringuntur, facilitas est, qua ipsi audiuntur, & dexteritas qua expendiũ tur; nullâ aliâ virtute tàm populis placet Princeps, tàm dulcitèr à Principe populi capiuntur; nihil enim illis gratius, nihil magis exoptatum, nihil iucundius, quàm imperantis aures paratissimas habere, ad
C calamitates, querelas, & sua desideria excipienda, simul & expedienda. *Solet enim dexteritas atque benignitas morum in alteri dignitatis gradu facilè omnium animos sibi reddere obnoxios*; Sic Gregorius: acerbissimum hoc populis est, quodque in suos Præfectos odium ingens, & indignationem extimulat, quòd nempè Delphici oraculi instar lateat inuisus omnibus, omnibus inaccessus: tunc enim iure quòd in nos ipsi habent, eos spoliamus, & tantum thesaurum eis auferentes, contumeliosi sumus in eos: ex aduersò si benignas, & faciles aures eis porrexerimus, maximum solatium hauriunt, & singularitèr delectantur; quàpropter, dummodo alitèr non possint, amore actisque gratijs nomen nostrum prosequuntur, ij potissimùm, qui præ suâ inopiâ neglectos inuisosque se arbitrantur: Quàpropter licet rationes aliæ nostroque muneri accommodatæ deessent, eo tantùm titulo facilitatem hanc induere oporteret, è voluptate scilicet, quâ perfundemur ex amore populorum nostro regimini plaudentium. Romanus certè Orator, Rhetoricæ, & Politicæ facultatis magister maximus documentum hoc in suâ Prouinciâ sibi à Republicâ commissâ seruandum dedit: *facillimos esse aditus ad te: patere aures tuas querelis omnium, nullius inopiam ac sollici-*
D *tudinem, non modo vlli populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem tuâ, & cubiculo exclusam tuo*. Cuius vestigia pressit Seneca Neronem suum instruens, antè quam hic vulpinam exuens pellem indueret leoninam. *Esto sermone affabilis, accessuque facilis, vultu, qui maximè populos demeretur, amabilis*. Plausibilis adeò & popularis hæc virtus est, vt proborum simul & improborum vota impleat, aliarumque virtutum defectum satis abundè compenset, magisque illustret, ornet, & perficiat eas quæ possidentur: In Antigono Principe compertum hoc habeas. Filius hic magni Demetrij vitijs omnibus affluebat, superbiâ, ambitione, ferociâ, libidine, auaritiâ, cò tamen quià perbenignus erat in audiendis populis, eisque paratissima responsa vultu semper amabili reddendo, ad eius vitia ealigabant populi, eiusque Principatui lætissimè feruebant.

Greg. lib. 6 vbi de Andron.

Cic. Epist. ad Q. Fr.

Senec. 1. de Clementiâ.

Verùm, licèt, vt aptiores ad salutem animarum comparandam, Deique glo-

riam promouendam efficiamur, placere populis tenemur, eisque nos amabiles exhibere; adhùc tamen potissima ratio, qua ad nostrum colloquium cæteros admitere debemus, in eò versatur, vt nostri sacerdotij leges expleamus. A
Patres nos sumus, quî nàm ergo fieri potest vt tardi ac difficiles simus, vt nostris aditum filijs præbeamus? an non ingentem illis doloris materiam suppeditabimus, si tempore saltem opportuno sexcenta eis opponantur obstacula, quibus à nostro colloquio repellantur, suasque necessitates aperire suo Parenti prohibeantur? An non vltrò effluerent ex eis lachrymæ, si cùm solamen illis & iucunditatem afferre possimus, vel audiendo, vel expediendo, in extremi palatij cubiculis ignaui latebimus, vnumque hoc ipsi responsum à cubiculario referant; Abite, accessus non datur.

Non charitatem tantùm at iustitiam lædimus, ni subditis nostris, & potissimùm pauperibus faciles aures præbuerimus; hi enim, quò magis alijs exosi videntur, eò chariores Episcopo suo, scilicet Parenti & Pastori futuri sunt, cum in eis lateat eadem Christi persona; Diuinus spiritus ista nos docuit; *Declina pauperi sine tristitiâ aurem tuam*; vox illa, *Declina*, iuxtà Hebræam loquendi B
formam facilitatem & benignitatem significat, quâ sumus alios excepturi: *redde debitum tuum, fungere officio tuo, & responde ei pacificâ in mansuetudine*: Sic habes à Tygurinâ, abiectissimis viris ista debemus; quis à debiti huius solutione se retrahat? an exemptionem aliquam cælesti diplomate habemus? graue hoc onus à nostrâ dignitate seiungi nullatenùs potest; desipere igitur dicendus ille est, qui tàm illustri dignitate diues, ab hoc soluendo onere se auertit, & sacerdotio tumidus, laborem detrectat: Corporati Dei discipuli sumus & administri, qui expeditior, & promptior ad Centurionis seruum sanandum, quàm ad Reguli filium accessit; & iàm egregia exempla nobis reliquit benignitatis omnibus vel abiectis & indignis impertitæ, vt planè tàm paterno ministerio nos indignos omnibus exhibeamus, si nostrum exemplar imitari dedignantes, eiusque à vestigijs alieni, vias contrarias prosequemur: eruditè igitur Origenes ait. *Principes Ecclesiarum imitari debent Christum accessibilem, & mulieribus loquentem, &* C
discipulis pedes lauantem; vt ipsi similiter faciant fratribus. Audacter dictum alicui forte videbitur, sed de re verâ accommodatissimum ad rem nostram Arnoldi Abbatis effatum est; postquàm enim præclarissimas boni latronis virtutes sui pennicillo ingenij perpolitè colorasset, & contrà Philosophum, cuius lex est, *quòd nemo repente fit summus*, ostendisset maximum in Crucis ligno repente fuisse: *ibi orat, ibi adorat, multa simul pietatis officia complectitur; credit & timet, compungitur & pænitet, confitetur, & prædicat, amat considerat, & orat*: Cælesti gloriæ proximum eum agnoscit, æternique capacem Imperij: Petrum tamen ibi non videt, qui vt Ecclesiæ præfectus ad eum accedat, & beatitatis fores clauibus sibi commissis aperiat. *Ne irascaris Princeps Apostolorum (tibi dico Petre) cui claues Regni Cælorum commissæ sunt & certè tamen iuxta Crucem non video; territus lates, nec tibi Apostolicâ auctoritate vteris, vbi ad tunicem fixis iuxtà Crucibus priuata miscent colloquia Saluotor, & peccator, absens, erat & ministery tui claues, (quòd pace tuà dixerim) modo non præfers*. Ex istâ Petri absentiâ quidnam factum? Christus ipse cælestis autor imperij Petri defectum suppleuit. *Supplet vicem suam summus Sacerdos, apertisque feris antiquis, latro primitiæ derelictorum introducitur (aperiente Christo) in Regnum Cælorum*. Hæc profectò nos D
agimus; si difficilem se & prope inuisum egenis afflictisque viris Episcopus præflat, si geminatis repulsis eos detrectamus audire, vices Episcopi supplebit Christus Pontifex, & egenorum querelas, vota, lachrymas excipiet è Cælo Deus, eorum necessitatibus consulet: de his enim Diuus Iacobus Apostolus scripsit: *Et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit*. Ferreo quidem calamo suorum administrorum socordiam signat, ad rigidam rationem reddendam eos postea vocaturus; si namque sacerdotij onera implere recusabant, & paternam dilectionem populis exhibere, Patris nomen & munus impositum suscipere non debebant. Illud hîc apprimè narrandum videtur, quòd de Demetrio Plutarchus, de Philippo Macedone referunt alij: huic enim ambulanti per vrbem proximè

Orig. tract. 2. in Matt.

Arist.

Arnold. de septem verbis à Christo in Cruce prolatis in verbo latronem.

ximè accessit inuitâ militum custodiâ quædam fœmina, eius iustitiam in re suâ
A implorans: Respondenti Regi, eam tunc temporis audiri non posse, audacter
illa rursus dixit: *proindè nec Rex quidem esse velis;* quibus verbis errorem ipse
suum agnoscens, ne amplius in re tàm graui obiurgari à fœminà posset, huma-
nissimè eam excepit audiuitque; nec absimile de Adriano Cæsare memoratur.
Quid nam ab eiusmodi fœminâ de Episcopis dicendum, qui cum populis Paren-
tum & Pastorum loco sint, se pares omnibus facere debent, paratissimum sem-
per omnibus aditum explicare, ne dicam ipsimet Episcopo præoccupandas esse
populorum necessitates, opportunis medelis adhibitis. Sacra ministeria non
tàm ad decorem, quàm ad laborem conferri superiùs affirmauimus, non ad do-
minatum, sed ad famulatum, non ad pompam non ad Præfecturam, sed ad ob-
sequium & ad alienam beatitatem: paritatem eam, quàm inter homines na-
tura collocauit, arctiùs à sacris Principibus seruandam esse quis nesciat? mu-
nera lythurgis collata, non tumorem & fastum in ipsis foueant, sed humanitatem
& amorem.

B Præ cæteris in populis audiendis patientia nostra colluceat; eorum ineptias
qui absurda postulant & spectant, non iracundè reijciamus oportet, sed excipia-
mus vel hilaritèr, vel patentèr: immoderatas querelarum egestiones, prolixas
molestasque aliorum narrationes, inurbanos aliorum mores æquo animo fera-
mus: *Sapientibus & insipientibus debitores sumus:* quâ in re potissimum Pruden- Rom.1.14.
tiæ munus versatur: intempestiuam in iracundiam erumpere, imprudentiæ quis
non vertat? quis leuem in eo non arguat animum, cuius stomachum mouent
causidicorum vel ineptiæ, vel cantilenæ? patientèr alios ferre non posse, suæque
intemperanti affectioni seruire patet ex hoc: ex quo quis nesciat miserandum
Pausaniæ exitum, Thucidide teste, deriuatum, & in Athenienses suorum fautorum Thucid.l.1.
studia se conuertisse.

In eo igitur contendamus vt laudemur, de quo Corinthios ironicè Apostolus 2. Cor. 11.
commendauit: *libentèr enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes:* In re- 19.
C sponsionibus reddendis humanitatem, & comitatem abhibentes, quæ si facili-
tati accessus associetur, mirum quantùm existimationis & famæ in Præsulem re-
ferunt, animosque populorum deuinciant.

E commendarionibus hoc patet, quibus aliquotum Principum hac in re illu-
strium fama celebratur. De Miltiade Patritius refert, cuicumque licet vulgari, Fr Patric. l.
& abiecto viro facilem dedisse accessum: De Artaxerxe Plutarchus, non tantùm 7. de Regno
ad sui alloquium cunctos admisisse, sed vt sua vxor idem hoc faceret, voluit vt
aperto curru incederet, subditorum postulata faciliùs exceptura: De Agesilao
Xenophon, omnibus semper aures dedisse, *& quod impensè gaudebat, cum celer-* Xenoph. in
rimè desiderys adeuntium se satisfacturum esse cerneret. Illud sanè, quòd inter vita Agesi-
aulæ tumultus, & bellorum motus Cæsareum diadema Augusti fronti imposuit, lai.
impositumque firmauit, facilitas hæc fuit, quâ omnibus sui copiam liberè præsta-
bat, adeo vt, Suetonio referente, iocatus quendam fuerit, qui præ Cæsareæ Ma- Tranquil. c.
iestatis reuerentiâ, supplicem libellum cum tremore corporis porrigebat, dicens, 53. Plin. l. 8
eum à se metum ostendi, quem habuisset si panem porrigeret Elephanti. c. 5.

Illustre hac in re præconium illud fuit, quo Pompeium Romanus Orator de-
D corauit. *Iam verò ita faciles aditus ad eum priuatorum, tam libere querimoniæ de
aliorum iniurys esse dicuntur; vt is qui dignitate principibus excellit, facilitate par
infimis esse videatur.* Alexandrum Seuerum Lampridius refert, tantam comi-
tatem ergà ipsam viliorem populi plebem ostendisse, & tàm benigno hilarique
vultu excepisse, vt derisus ex hoc ab aliquibus fuerit, quos ille vt tumidos, &
insolentes regio animo abhorrebat: *in colloquys etiam humillimorum ciuilissi-* Lamprid. in
mus erat; detestatus eos, qui eam voluptatem humanitatis, quasi seruantes fasti- Alex. sen.
gium Principis, sibi inuiderent. Inter populorum negocia mori Vespasianus vo-
luit, asserens hoc potissimum esse Principis munus: Titum eius filium præterire
liceat, qui è suâ in omnes effusâ benignitate generis humani delicium vocaba-
tur: Traianum omitto, qui de suâ omnibus impertitâ affabilitate à nonnullis
damnatus, illud egregium Dioni respondit, dignumque quòd aureo charactere
in om-

Plin. in Panegir. in omnium Principum & Præsulum animis inscribatur: *talem præstabo me Imperatorem priuatis, qualem optarem ipse priuatus*; nec tantùm in palatio, sed in publicis plateis & vijs, liberalis adeò suas aures omnium sermonibus, & postulatis reserabat, vt de eo suus Orator scripserit: *Liberum est, ingrediente per publicum Principe, subsistere, occurrere, comitari, praterire. Ambulas inter nos, non quasi contingat, & copiam tui, non vt imputes, facis. Haret lateri tuo quisquis accesserit, finemque sermoni suus cuique pudor, non tua superbia facit.* Cuicumque patebant ablato sipario eius cubicula, placidè audiebantur omnes, & celeritèr expediebantur, nec eius responsa vti nos est, morosa adeò erant, vt vel ex oraculi tripode, vel è Sybillæ cortinâ resonare viderentur; illud idcircò Plinius addidit: *nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora: audiuntur statim & dimittuntur statim.* Proh Dei fidem! si vel famæ latrocinio, vel auræ popularis fame tantam hac in re operam Aethnici Principes dederunt; quid nobis præstandum non Aethnicis, at sacris vitis, non prophanis Principibus at Pastoribus Deo deuotis? quid nobis faciendum est, qui absolutissimæ virtuti studemus, nec temporaneam, & euanidam, sed indefecturam solidamque gloriam aucupamur? A

D. August. l. 6 Confess. c. 3. Nullus in Diui Ambrosij palatio, fidem Diuo Augustino faciente, vel ianitor, vel cubicularius aderat: in aulâ omnibus eum adeuntibus patebat, benignitate, & lenitate decorus, quauis die, quauis horâ omnium excipiebat querelas & preces, omnibus solamen, consilium, opem afferebat; tàm autem aptè humanitatem suam appositâ grauitate temperabat, vt simul & Dominus & Pater haberetur; inter plurima, quibus Athanasium Episcoporum absolutam idæam, pertarum Infulati nominis decus, & acerrimum Christianæ militiæ Ducem Diuus Nazianzenus Antistes commendauit, non extremum sibi locum vindicauit, eius excellentia & humilitas, eius præstantia, qua tàm cæteris eminebat, & amabilitas, quâ patem se omnibus faciebat; do eius verba; *Athanasius vitâ quidem sublimis erat, verùm animo humilis, atque eâ quidem virtute, vt nemo ad eam aspirare posset; caterùm eâ comitate, vt ad eius congressum facilis omnibus aditus pateret.* B

D. Gregor. Nazianzen. orat. 28. de laude Athã. C

In eius vit. E recentioribus Bononiensis Antistes Cardinalis Albergatus, opportunis horis sua cubicula omnibus reserabat, abducto velo, admissionalibus remotis, omnibusque cuiuscumque conditionis humanissimè exceptis. Diuus etiam Carolus licet in ijs, quæ ad sacram disciplinam restaurandam, se diutissimè detineret, tot tamen inter labores, animique irrequietas cogitationes, trium & quatuor horarum spacio in singulos dies ad sui colloquium omnes admittebat; præter quàm quòd etiam per vrbem deambulans alios audiebat; quâ de causâ pedes vltrò incedebat, vt copiam sui sermonis ab undantiùs faceret. Verùm antequàm, quæ præ manibus habeo, absoluam, callidum stratagema, quo ad aliquos decipiendos Antistites, humani generis hostis vtitur, placet aperire; in lucis enim Angelum se commutans, ad preces, vel ad studia litterarum, vel ad solitudinis amorem eorum mentes excitat, adeò vt tempus audiendis populis impertitum, inutiliter insumptum videatur, & cum à suâ quiete ad opus reuocantur, immaniter se cruciatos existimant: hos ego, si qui sunt, humillimè obtestor, & deprecor, vt meminerint, non ad voluptatem nostram, sed ad aliorum vtilitatem sacras nobis infulas esse impositas, vt superiùs docuimus, & furtum esse populis nostris illatum, quietem illam quærere, qua in priuatâ vitâ gaudemus: In decretorio mortis articulo nequaquam exiget à nobis Deus, quantùm nam temporis in diuinis indagandis impenderimus; sed quàm vigiles, constantesque fuerimus ad populorum vtilitatem elaborandam. Suffragium in hoc habes à Diuo Bernardo, quo nullus vnquam solitudinis, & recursus ad diuina reuoluenda mysteria amantior: Cælestibus semper intentus ad Deum precandi opus exercuit, laudauit; & liberè tamen Episcopos alloquens professus est. *Is, qui alijs præest in solitudine, numquam vel rarò secure vacat sibi, dum semper timet sui penuriam facere subditis, & non placere Deo, quod communi vtilitati propriam præfert quietem & contemplationis dulcedinem.* Honesta ea sunt opera, quæ proprio muneri conformantur. Quis Magdalenæ munus honestius & Sanctius Marthæ opere ignoret? D

D. Bernard. ser. 53. init. in Cantic.

ret? si tamen, qui ad opera è suo fine vocantur, in illo voluerint dulcitèr
A immorari, honestatis iubar amittunt, & nisi prudentiæ legibus ducantur, à debitâ rectitudine discedunt: illud Philosophi acroama Diuus Thomas ad aliam rem perpendit. *Indigenti melius est ditari, quam philosophari*, quamuis hoc sit semper meliùs: sic etiam melius Antistiti est, ad subditorum opem suam operam collocare, quàm ad rerum meditationem cælestium, licet hanc meliorem illâ esse nullus ignoret: pro Deo Deum relinquere hoc ipsum est & ad necessaria explenda, vltronea omittenda iure merito sunt: quin frequentissimè vberiora ea sunt, quæ ex operibus, quàm quæ ex meditatione colligimus; inter opera enim ea virtutum perfectio exercetur, quam inter preces & studia speculamur: quæ ibi cogitamus, hîc facimus: quis autem nesciat, quòd excelsioris meriti sit, voluntatem propriam subijcere, opem egenis, mærentibus solamen, dubijs veritatem afferre; quàm inter preces & litteras ociari, deliciari? *Regnum Celorum vim patitur*. Ex hac nostræ voluntatis victoriâ, ex tàm nobis molesto certamine immortale nobis diadema paratur; præterquàm quòd, cùm vt nostro muneri va-
B cemus, Diuinas preces omittimus, earum mercedem non amittimus; subditis virtutis exemplum dantes, non tarò ad pietatis disciplinam eos duplici cum lucro perducimus: habes hæc a Diuo Gregorio: *Sepe tamen occupationem tolerantibus non determinata, sed maiora veniunt lucra, quia dum eis vacare, vt appetunt non licet, rapere alios, quibus admisceantur libet*. De illis hic ego sermonem non habeo, qui difficiles & morosos audiendis populis se præstant, vt vel ludis, cantibus, alijsque id generis pleniùs vacent, vel vt familiaria negocia diligentiùs & diutiùs tractent, tùm quià nullum ex Episcopis credo fore tantâ sui muneris obliuione captum, tùm etiam quia ex his, quæ scripsimus, suo satis ingenio argumentum *à maioritate rationis* instituet;

Aristot. 3. Top. c. 2. D. Th. 2. 2. q. 32. art. 3. c.

Math. 1. 12.

D. Gregor. l. 5. moral. c 3.

Illud etiam procul est à meâ cogitatione, quòd scilicet tùm Præsul sui ipsius obliuiscatur, tùm subditi modestiam & temperantiam omnem excutiant: Vt alienæ saluti prospiciamus elaborandum vtique nobis, mandante Deo est; nostra
C tamen salus non ideò est negligenda. Qui aliorum accessum lætissimè excipiebat Diuus Carolus, antequàm matutino tempore sacram rem faceret, nullum admittebat nisi vrgentissima ratio postularet: quod idem nocturno quoque tempore faciendum mihi æquè videtur: sibi enim noctis horas seruare potest Antistes vel ad negocia præteritâ die decreta expedienda, vel ad alia pro die proximâ præparanda, cùm diurnum tempus ad accessus habendos sufficiens æstimetur; & *sufficit diei malitia sua*. Ad ea tamen statuenda, quæ nullam patiuntur temporis moram, præsertim si ad salutem animarum conducat, quouis tempore, quâuis horâ licet nocturnæ quieti destinatâ, promptus & vigil Antistes sit, opportuna remedia præstiturus.

Math. 6. 34

Finem huic capiti apponere licet recentissimâ narratione ab Authore Hispano relatâ. Dum probatissimæ famæ Antistes pluribus audiendis adstaret, vulgari & plebeio viro impatientèr se ad eius aspectum afferente, prohibere non potuit, quin ille validè conquestus de prolixâ morâ, quâ suum negotium in longius tempus trahebatur, supplicem libellum in tenuissima fragmenta discerpserit, discerptumque humi relinquens abierit gressu concitatissimo iracundus: Precantis
D viri, licet proteruè se efferentis, angorem ægerrimè tulit Antistes pijssimus, fragmentisque libelli discerpti suâ manu collectis, tàm industrio labore in eis componendis, & emarginandis operam dedit, vt tùm precantis nomen, tùm negotij vis optimè ei innotesceret; tùm eo accersito, excusationeque allatâ suæ tardiratis, eum dimisit, qui ad tantam lenitatem erubescens, postulatam excipiens de suâ impudentiâ veniam, abijt. Ad hoc tàm illustre patientiæ & humilitatis documentum proficient, reor, omnes Antistites.

Sub-

Subditos dignos ab Episcopo esse honorandos. Cap. IX. A

ILLVSTRIS in Hispania Dynasta interrogatus, quânam arte, popularis auræ arbitrium tàm fœliciter sibi comparauerit, vt delicium populi videretur, respondit. *Pileo & Crumenâ*, honore omnes prosequens, & cùm necessitas tulerit ad eorum opem accurrens: Præsules & Præfecti egregium in hoc habent documentum; cùm enim honor non tantùm sit amoris pignus, sed etiam meriti præmium, & cùm naturali vnusquisque feratur amore, vt ab alijs diligatur, & honore dignus habeatur, excepto honore summopere delectatur, tanquam alieni amoris, & sui meriti significatione certissimâ: hic autem honor tùnc etiam gratior est & pretiosior, cùm ab eo confertur, qui alijs præstat vel in sacro vel in prophano regimine; quò enim illustrior est qui honorat, eò etiam clarior ipse honor est; quâ propter ad redamandum Principem mutuo quodam nexu, B & insolubili vinculo subditi obstringuntur, iuxtà Gregorij sententiam: *Comitate & suauitate morum; omnes facillimè adamantinis tibi vinculis obligabis.*

Greg. lib. 8. Ex aduerso autem honorem alijs denegare, despicientia quædam est, & contumeliæ loco habetur, cùm velut indignos eos indicet eo honore, quem sibi omninò deberi arbitrantur; cùm accommodatum satis humanæ substantiæ sit, vt vnusquisque egregiè de se ipso sentiat, suamque virtutem amplificet. Hinc non rarò contentiones suboriuntur & rixæ inter superiores & subditos, quæ aliquandò adeò grandescunt, vt ad iracundiam potiùs quàm ad charitatem Episcopum compellant; meritò igitur Diuus Hyeronimus inquit: *vbi honor non est: ibi contemptus est: ubi contemptus, ibi frequens iniuria, ibi & indignatio: vbi indignatio,* D. Hyer. *ibi quies nulla: vbi quies non est, ibi mens à proposito sæpe deijcitur.* Collige hinc, quàm vtilis & salutaris hæc doctrina sit. Expertus quidem eius necessitatem fuit Archelaus, qui cum Tiberium sub priuati Equitis personâ C Rhodi tunc immorantem, non eo, quo eius sanguini par erat honore, exceptus ab eo fuisset, vt Tiberius fuit Imperium assequutus, spoliatus Principatu fuit, &

Tacit. lib. 2 Annal. exul amandatus, *quòd eum Rhodi agentem nullo officio coluisset*; Sic Tacitus. Vitiati adeò animi sunt Proceres quidam, vt de rebus egregijs & gloriosis ferè erubescant; abiecti viri putant esse, minores honorare, eàque ipsa re, quâ illustrare magis nomen suum contendunt, magis abijciunt & obscurant; eò quòd temperantiâ, magnanimitate, & iustitiâ carere videantur, ad quas virtutes alij honorandi actus à Philosophi doctrinâ referuntur, & superbiam insuper, inuidentiamq;

Q. Curtius lib. 8. præseferant, dum iuxtà Curtij sermonem, *existimant sua demptum gloria quidquid cedit aliena.* Corrupta & perniciosa disciplina hæc est, magisque sibi, quàm alijs indecora; cum demùm Aristotelis doctrina pro Oraculo habeatur, illustriorem esse honoris repercussionem, qui in honorantem refluit, quàm sit radius ipse qui perit honoratum: vsura quædam est alios honorare; quin non alios, at se

Arist. lib. 1. Ethnic. ipsum honorare est, *honor maior est in honorante, quàm in honorato.*

Opinioni huic admirandus etiam Pontifex Diuus Gregorius suffragatur; hic D enim licet totius Orthodoxæ Religionis Moderator esset, sibique subditos suæ potestati Episcopos omnes numeraret, summò tamen eos obsequio colebat, asserens, non tantum ex hâc obseruantiâ quidquam suæ Pontificiæ maiestatis non imminui, sed potiùs eam ad maiorem venerationem efferri. *Meus honor est fra-*

D Gregor. lib. 7. Epist. 30. *trum meorum solidus vigor: tunc ego verè honoratus sum, cùm singulis quibusque honor debitus non negatur.* O magnanimum & inclitum Virum! O veri honoris verum æstimatorem! Ingeniosum hic inserere licet effatum, quo Eminentissimus huius Prouinciæ legatus mentem mihi suam aperuit, (ab eius proferendo nomine abstineo, ne videar viuenti adhùc Principi adularj). Eximiè hic me honorabat, & in rebus, quæ ad Principum potestatem spectant, meo consilio adhærere dignabatur: quâ propter mihi deprecanti, vt tantæ benignitati, tantisque beneficijs modum aliquem faceret, humanissimè respondit, se non ad seruandas

uandas tantùm amicitiæ leges hoc præstare, sed etiam ad suum animum indi-
A candum, quo ab alijs longissimè discrepabat, qui non suam satis ostentari potentiam arbitrantur, nisi Hierarchaium potestatem imminuant.

Hoc ego ritè perpendens statui, Traiani gloriam hunc purpuratum æmulatum: tanta hæc erat in Traiano, vt Sole clariorem hunc redderet; hic enim sui luminis pompâ alia sydera obscurat, & extinguit, cum è contrà Traianus Præsides suos suosque administros potentiores, & populo præstantiores exhiberet; sed audiatur Plinius: *Est hac natura syderibus, vt pauca & exilia validorum exortus obscuret: Similiter Imperatoris aduentu legatorum dignitas inumbratur: tu tamen maior omnibus quidem eras, sed sine vllius diminutione maior: eandem authoritatem præsente te quisque, quàm absente retinebat: quia & plerisque ex eo reuerentia accesserat, quod tu quoque illos reuerebare.* Plinius in Panegir.

§. I.

B

ALio etiam nomine luculentiùs nos è subditorum honore honoramur; hoc autem est, quia scilicet arctiùs eos ad nostram obseruantiam & venerationem deuincimus: si tu minores humanitèr egeris, eorum animum occupasti, (si tamen prudentes fuerint, nec enim desunt, qui beneficijs contumacius obdurantur) nec vlla merces tàm tuta est, quàm receptus honor ex honore impertito: Episcopos igitur instructurus Diuus Hyeronimus, Nepotianum priùs admonuit, vt summâ quâ poterat obseruantiâ suum Antistitem vaneraretur. *Esto subiectus Pontifici tuo, & quasi animæ parentem suscipe: amare filiorum, timere seruorum est.* Tùm Antistitum mores hac in re, quam versamus, compositurus hæc habet: *Episcopi sacerdotes se esse nouerint, non Dominos: honorent Clericos quasi Clericos; vt & ipsis à Clericis honor deferatur.* ad quod confirmandum argutum illud est & ponderosum Domitij effatum (Liuiò Crasso Domitij in Censorio
C munere Collegæ tribuit illud Romanus Orator) *Cur ergo te habeam vt Principem, cùm tu me non habeas vt Senatorem?* Subditorum despicientiam obarmat ille Superior, qui asperè subditos agit, duroque frœno gubernat.

Nec aliæ rationes desunt, quibus ad subditos honorandos, & pro cuiusque conditione colendos impellamur: ex his nobis seruanda est, quam incredibili signo nostris animis natura parens insinuauit: vt scilicet eâ nos lege alios agamus, quâ agi nos ipsi vellemus, nulliq; id inferamus, quod nobis illatum iniquè pateremur. Impatibile quidem in aliquibus est, qui priuatim agentes superiorum æstimationem affectabant; vix tamen aliquam dignitatem, non meriti virtute, sed benignâ patrocinantium & fauentium aurâ sunt assequuti, vt se ipsos suamque mentem exuentes, aspero & tumido regimine assurgunt in subditos: Naturæ leges inuertere & vitiare hoc ipsum est, & se ipsum iniquissimum exibere, ait Diuus Gregorius: *talis ergà subditos nostros debemus existere, quales nobis, si subiecti fuissemus, nostros volueramus esse Præpositos.* cuius opinioni D. Petrus Damianus adhæsit, iustissimâ hanc esse legem affirmans, nec absq; graui crimine violandam, hoc est vt ergà subditos eam obseruantiam, eos vrbanos & D.Gregor. l. 11. Epist. 36.
D faciles mores induamus, quos à maioribus Præfectis nos ipsi exigimus: *Hac est iustissima lex, vt sic viuas cum inferiori, quemadmodum superiorem vis viuere tecum.* P.Damian. serm de S. Nicola.

Ex debito etiam, quo tenemur ad absolutas virtutes acquirendas id ipsum hauriamus: tota namque virtutis perfectio, ad Caietani mentem, in humilitatis studio, & lenitatis officio versatur; quòd potissimum in nostro munere est, cum vt Diuus Basilius docet, clarissimæ virtutes, quibus irradiare debeant infulati viri, & luce indefecturâ splendescere, lenitas & humilitas sint. *Morum mansuetudo, & humilitas cordis, hæc præcipua Antistitis insignia sunt. Talis enim fuit Christus, qui dixit: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Sorores hæ geminæ sunt, mutuis semper amplexibus connexæ. facilis & mansuetus sit oportet, qui humilis animo fuerit. Quâ propter, vt mutuis nos prosequeremur honoribus, præcepit nobis Apostolus, vt nullus alteri palmam concederet: Caiet. in Matth. 11. D. Basil. reg 43.

Rom. 12. 10 *honore inuicem præuenientes*; tùm cum ijs, qui nobis pares sunt, tùm qui mino-
D. Ansel. ibi: res: cum autem huius opus virtutis non posse à nobis absque disciplinâ hu- A
militatis haberi Paulus agnosceret, legem statuit, qua humilitatis ductum se-
quentes, quæ maximè in repellendo fastu, nostráque semper imbecillitate co-
Philipp. 2. 3 gitandâ versatur, alios tamquam superiores veneremur, *superiores sibi inuicem arbitrantes*, ac si diceret, si dignitatis præstantiâ sibi diuino beneficio largitâ, superior alijs ad hominum aspectum constituèris, illud recogita, subditos etiam tuos è virtute aliquâ, qua tu cares, ad ipsius Dei aspectum tibi esse superiores: vt enim docet Aquinas, vir piè humilis, ea tantùm, quæ è se ipso deriuantur, suâ
D. Thom. 2. 2. q. 9. ibi ar. 3. mente peruoluit, hoc est errores, crimina, fordes; in alijs verò Dei tantùm illustria Dona considerat; quin licet ista non videat, videre tamen sibi, ea videtur, eoque illi clariora & grandiora præferuntur, quò magis occulta ab eo seruantur. Hæc animo concipere non erit ei arduum, qui pulcherrimum Diuinæ Prouidentiæ ordinem suæ lumine mentis intuebitur: sicut enim munificentissimâ eius manu in varias Prouincias & regiones, varia sunt beneficia diffusa, ità vt B hæc eis fructibus affluat, quibus alia sterilescit, vina hæc proferat, illa greges enurriat, fodinas alia feruet, feracissimis hæc campis ornetur, pascuis alia, aeris alia salubritatem iactet; sic etiam eâ lege virtutes & beneficia humanis cordibus impertiuit, vt quicumque, qui illis excolendis studere voluerit, perspicacissimè ea videat quibus caret; vt sibi ipsi vilescat, & simul ea, quibus alij affluètèr ornantur, vt eos magni faciant & obsequantur; do Aquinatis doctrinam. *Vere iudicamus & æstimamus posse esse aliquid occultum, in alio, quo nobis superior sit; etiam si bonum nostrum, quo illo videmur superiores, non sit occultum.* Humillimam
D. Th. vt supra, Abrahami moderationem & lenitatem aptissimè ad hanc rem Diuus Chrysostomus meditatur; cùm enim suâ ætate, & naturæ vinculo, tùm Patriarchali dignitate, suâque electione, è cuius posteritate fœlicitatem suam erat orbis excepturus Loth maior esset cùm tamen agnosceret vtriusque Pastores suis contentionibus ad alia grauiora discrimina mutuaque odia dominos ipsos facilè attracturos, humanissimis eum verbis alloquutus, regionem ei eligendam vltrò C concessit. Adolescenti senex, Nepoti Patruus, suoque subdito se Patriarcha subiecit. O insignem viri modestiam, O veram & solidam humilitatem, ait
D. Chrysost. hom. 33. in Gen. Chrysostomus; *non enim est humilitas facere quòd necessitate debes, vel cogeris: hoc inquam non est modestia, sed debiti; vera autem modestia est, quando cedimus ijs, qui nobis videntur esse magis indigni quàm nos.* Maximum pariter est, quòd nihil in se vir humilis agnoscit, quo super alium possit excellere: quâ consideratione faciliùs ad honorandos alios & subditos ipsos accedit; qua propter meritò addit Chrysostomus, *Quod si rectè sapimus, nullos etiam nobis esse minores arbitrabimur; sed nos superari ab omnibus dicamus.*

Hæc pia cordis humilitas cum exterioris vultus modestiâ se coniungit, simulque coniunctæ efficiunt, vt Antistes non se Dominum at Patrem agnoscat, & in suâ dignitate non Præfecturam videat sed ministerium, non principatum at famulatum; & cùm potestatem suam exercere tandem cogitur, id eo animo præstat, vt Episcopus appareat, non vt Princeps, non asperâ iracundiâ obarmatus, at paterna viscera præferens: hoc sanè illud est, quòd de Ioanne Hyerosolimitano Antistite Diuus Hyeronimus pronunciauit: *aut quasi Pontifex cunctis æqualitèr* D
D. Hyer. Epist. 62. in fine. *imperet, aut quasi imitator Apostoli vniuersorum saluti ex æquo seruiat.* Egregium ipsemet Deus exemplum nobis traddidit de obseruantiâ & honore subditis exhibendo, à primâ vsque die, quâ primum orbi hominem dedit, & eduxit è nihilo: omnia enim animantium genera coràm eo simul ipse coegit, nec tantum liberum in ea dominium impertiuit, sed insuper voluit, vt opportuna ipsis nomina ab eo imponerentur, ac si in partem honoris & gloriæ eum aduocaret, adeò vt dici possit, quòd substantiam à Dei manu, nomen ex Adæ ore suscepissent; quàm ingeniosè Seleuciensis Antistes Basilius hoc excogitauit, Deum ipsum alloquentem adducens. *Esto Adam nominum artifex, quando rerum esse non potes: for-*
D. Basilius Seleuc. orat. 2. *mentur à me, nominentur à te, quæ procreata; partiamur huius fictricis solertiæ gloriam, me cognoscant artificem naturæ lege; te dominum intelligant appellationis*

tiouis nomine; ac si diuinum quid sapiat, honoris & gloriæ iubar subditis
A impertire.

Commendatissimi è Principibus hac in re fuere Constantinus Magnus ab Eusebio, Traianus á Plinio, à Pacato Theodosius; blandissimâ enim humanitate subditas sibi gentes pro singularum conditione excipiebant. Sanctus autem Regius vates humillima hæc verba populo suo pronuncians; *Si placet vobis & Domino Deo nostro egreditur sermo, quem loquor, mittamus ad fratres nostros*: an non Episcopos omnes edocet, vt imperiosâ & tumidâ loquendi formâ reiectâ, plus modestiæ quàm authoritatis afferant in sermone? Euseb. l. 4. hist. c. 1. Plinius & Plat. in Paneg.

Sed præ omnibus Antistitum omnium Magister Apostolus Paulus in hac ergà subditos & præsertim pios & dignos exhibenda reuerentiâ innumeris nos instituit exemplis; ex his, ne morosus videar, illud eligo explicandum, quod habuit cùm Philemone. *Multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi, quæ ad rem pertinet, propter charitatem magis obsecro*. Præcipere vtique liberè Philemoni poterat Paulus, tùm quià Apostolus erat, magister, Præsul, senex; tùm quià ipso eodem tempore Christi confessor eximius vinculis pro eius nomine detinebatur: potestatem, qua in eum tot nominibus dominium habebat, exercere vtique poterat; abstinuit tamen Apostolus imperij arma excutiens, amoris potius tela vibrauit, imperium omisit, & preces accepit; *dignum erat imperare discipulo Magistrum, fiduciâ Apostolicæ authoritatis: Sed quià vir bonus erat Philemon, per affectum illum prouocat obaudire quasi coæuum ætatis, & vinctum Christi Iesu*: Sic Ambrosius; vt significaret, cum subditis viris non imperiosè, at modestè agendum; cùm enim eorum dotes honorare videtur Antistes, alios quasi aculeos eis inijcit, quibus ad gloriæ metam attingendam celeriùs properent, aliosque excitat, vt illis virtutibus se exornent, quibus rantùm afferri honoris ab Episcopo spectant: Ad veritatis enim leges compositum illud effatum Valerij Maximi est. *Virtutis vberrimum alimentum est honos*. Ex aduerso autem nihil in vrbe fuerit perniciosius, quam debito honore suâque obseruantiâ scientiarum præstantiam fraudare, & dehonorare virtutes: quid aliud hoc est, quàm eas è suo regali solio exturbatas in exilium ablegare? quid aliud, quàm ab earum semitâ, molestâ cæteroquin & arduâ, viros abstrahere? quàm eos inertiâ, otio, luxu corrumpendos dare? quàm optimum Vrbium statum vitiare, & Ciuitates in nemora immutare, non hominibus, at brutis animantibus incolenda? *Quia in Ciuitate non maximus Virtuti honos tribuitur, in ea optimus Ciuitatis status stabilis, & firmus esse nullo modo potest*. Ad Philem. c. vnico 8. D. Ambr. ibid. Valle max. l. 2. c. 5. Aristot. l. 2. de Repub. c. 9.

(B and C are margin letters at "Philemoni" and "tiarum" lines.)

§ II.

HViusmodi autem honoribus quis eos esse dixerit dignos, qui, virtutis imperio excusso, vitiorum tyrannidi se manciparunt: huiusmodi viros, si quando Præsul occurrerit, post paternam amabilemque correptionem semel & bis adhibitam, dispari prorsus modo agendos arbitror: tùm quià sicuti honore pijs viris exhibito eorum virtuti gratulamur & plaudimus, aliosque ad eorum D imitationem accersimus, vt scilicet per virtutis templum viam sibi faciant ad occupandam sedem honoris; sic etiam supercilium, quo improbos excipimus, vitium damnat, & ab eo subiectas gentes auertit. *Cum & in arguendis malis, sic correctio cæterorum, & in optimis prædicandis bonorum ad virtutem studia concitentur*. D. Hieron. epist. 15. ad Marcel.

Episcopos in suo Pastorali erudiens Diuus Gregorius, illud maximè docet, quòd benigne & humanitèr subditos suos Episcopus agat, nec principis fastum, sed Pastoris amorem in eos exerceat; vim quidem nobis Deus inseruit, quâ brutis animantibus terrorem incutiamus, at non hominibus, qui parem nobiscum conditionem sortiuntur; verùm & illud addit: *Et tamen necesse est, vt Rectores à subditis timeantur, quando ab eis Deum minimè timeri deprehendunt, vt humanâ saltem formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant*. Hæc Genes. 9. 2.

tamen in re nullam naturæ humanæ iniuriam Antistites inferunt, sed ipsimet flagitiosi viri flagitijs suis eam dedecorant, cum belluinis vitijs in belluinam eam immutent: quapropter ad eos coercendos iure meritò suam potestatem Præsules euaginent & vibrent, cum hoc nec superbiam referat, nec modestiam suam imminuat. *Nequaquam namque præpositi ex hoc quæsito timore superbiunt, in quo non suam gloriam, sed subditorum iustitiam quærunt: in eo enim, quo metum sibi à peruersè uiuentibus exigunt, quasi non hominibus sed animalibus dominantur; quia ni, ex qua parte bestiales sunt subditi, ex ea debent etiam formidini subiacere substrati.* Sic idem Gregorius. A

Simplicitas, quam suis in moribus præferre debet Episcopus, explicatur. Cap. X. B

PVLCHERRIMVM simul & necessarium vinculum illud est, quo Christiani viri animum sibi Christus deuincire conatur. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*: mirandus enim verò nexus, quo simul cum innocentissimo animali nocentissimum aliud sociatur; ac si diceret, prudentiam illius induite, at venenum huius exuite; simplicitatem eius assumite, studio prolis amisso; dabit prudentia ne decipiamini, simplicitas, ne decipiatis: vt enim ait Diuus Prosper. *Quia nec simplices circumuenire aliquos possunt, nec prudentes se circumueniri permittunt.* Cum ergo in secundâ huius operis parte prolixum de prudentiâ sermonem habuerimus, quatenus animi virtus & ornamentum est, simplicitatem nunc aggredimur explicandam, quatenus ad optimam populorum gubernationem conducit.

Math. 10. 16.

D. Prosper l. 3. de vit. contemplat. c. 29.

Vberrimè simul & doctissimè illustrissimi duo Christianæ Religionis Magistri, Hyer. & August. verba quędã explicantes Apostoli in Epistolâ ad Galatas scriptâ, inter se disputarunt, an innocentiâ permanente fingere aliquando liceat: & quamuis aliquando fingi posse à D. Hyeronimo probetur, Augustini tamen sententia potè solidior palmam referre videtur, è ratione, quam Aquinas Doctor affert, quòd scilicet, cum simulatio veritatem destruat, honesta nunquam esse potest; præterquàm quòd, ea est quæ tantum hoc saluberrimum Prudentiæ & Simplicitatis vinculum dissoluit & fœdat, in quo Christianæ disciplinæ perfectio absoluta versatur. *Virtutis porrò ac Philosophiæ regula est simplicitas cum prudentiâ coniuncta*, Sic Pelusiota. C

D. August. Epist. 8. & seq. D. Hier. Epist. 89. Galat. 2. D. Thom. 22. q. 3. art. 1.

D. Isidorus Pelus. l. 1. ep. 131.

Non è Cælo tantùm, sed ex ipso Deo suam trahit originem pretiosa simplicitas; si namque ab Areopagitâ Dyonisio de Deo aliquid postulaueris, protinus respondebit, quòd *Deus est eorum, qui simplices fiunt simplicitas*: qui ergo simplicitati student acquirendæ, ad ipsammet diuinam naturam pro humanarum virium infirmitate propiùs accedunt, cum iuxta Eusebij suffragium sit. *Ens simplicissimum.*

D. Dionis. de Diu. Nomine.

Ne igitur mireris, quòd ad eius studium & laudes, tùm Christus & Apostoli, tùm Sancti omnes conspirarint: vix enim natus mundi Seruator, vt virtutis huius pretium significaret, simulque odium, quo simulationem & fraudes habebat ostenderet, ad sui exortus gaudium & spectaculum haud quaquam à licæo & academiâ, vel porticu Philosophos ambagibus, technis, & cauillationibus intexendis intentos accersiuit; non è sublimi magisterio Oratores, quibus vera falsis immiscere mos est, aduocauit; non sacrorum Principes, non Sinedrin senatores, non Pharisæos, aut Scribas mundanis artibus irretitos; at simplices tantùm Pastores: à Diuo Ambrosio hæc habes. *Non Gymnasia chortis referta sapientum; sed plebeam Dominus simplicitatem requisiuit, quæ phalerare audita, & fucare nesciret: simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur.* Quin, cum se aperire hominibus statuit, suisque sermonibus disseminandis exordium dare, vnum tantùm D

D. Ambr. l. 2 in Luc. in ver. & factũ est vt discesserunt.

tùm

tùm ex eis Senatoribus Nathanaelem nomine elegit, eò tantùm, quià procul ab
A omni fuco & omni mendacio alienus esset, *ecce vere Israelita*; quæ verba D. Augustinus interpretatus ait, hac Nathanaelem laude à Christo Domino decoratum, quia *finè dolo & dissimulatione & duplici corde fuit*. Apostolos autem electurus, si eum dumtaxat exceperis, qui nefarius proditor futurus erat, simplicitatem tantùm in eis spectauit, adeò vt meritò eos Chrysologus vocauerit *simplicitate pretiosos*; Quæ sanè ratio fuit, qua adolescentem illum reiecit, qui se paratissimum ad eius obsequium exhibebat, *Magister sequar te quocumque ieris*: cui ipse respondit aptissimè quidem, licet minus aptè videatur. *Vulpes foueas habent, & volucres Cęli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput inclinet*: hoc est, explicante Diuo Augustino, mihi, qui latebras humani pectoris oculatissimus inspecto, vulpinas in te simulationes agnosco, superbiam video, quam auium volatus describit; quàpropter simplex ego & humilis requiescere in te non valeo, cùm totus fraudibus & superbià implearis: nec aliâ de causâ suum ipse populum nunc gregis, nunc ouium, nunc agnorum nomine designauit, nisi vt ipsis innotesceret, tunc Christi fore, cum simplicitatis & candoris fuerint enixè studiosi; do Cyprianum. *Meminisse debemus, quo vocabulo Christus plebem suam appellet, quo titulo gregem suum nuncupet; oues nominat, vt innocentia Christiana ouibus aequetur: agnos vocat, vt agnorum naturam simplicem simplicitas mentis imitetur*. Pier. Chrys. serm. 18. D. August. de verbo Dom. ser. 6. D. Cyprian

Pręceptoris sui vestigijs adhęrens, sibiq; perdilectū Ephesinū Antistitē instruens Apostolus, tùm ad sui ipsius suæque Ecclesiæ regimen, tùm ad virorum electionem, qui sacra ministeria prodignitate tractarent, præ alijs dotibus, quibus ornandos Diaconos exigit, postulat potissimè simplicitatem, *Non bilingues*; velut gręcum idioma sonat, *non duplices in sermone*, fucatos & fictos reijcit, candidos & sinceros admittit. 1. Timo. 3 8

Quid iam de Episcopis dicendum, quos tanqnam exemplar Deus instituit, in quo minores Lithurgi spectare se debent, vt ex eo mores suos suaque opera com-
C ponant? vt enim Diuus Chrysosthomus docet. *Nihil autem ità nos demigrare à spirituali nobilitate facit, nihilque in Ecclesiâ nocet magis, quàm versuta simulatio*. D. Chrys. ibid.

Quin, non in sacris tantùm viris, at in omnibus Christiani nominis asseclis candorem hunc requirebat Apostolus. *Sicut modo geniti infantes*; è Syriaco sic habes; *Sicut infantes simplices*; ad quam mentem admonitionem illam explicat Purpuratus Hugo, qua Philippenses Paulus instituit, *vt sitis sinceri & sine offensà*. 1. Petr. 2. Philip. 1. 10 & ibi Hugo

Animi venustatem versipellis fictio fœdat; venenum dixetis, quo mentis candor corabescit; vermem vocaueris, quo Christianæ pietatis fructus erodunrur; dissonantia est, quâ concentus tollitur cordis & linguæ, quæ primaria vocantur nostræ salutis instrumenta à Rauennate Hierarchâ: *inter cor & linguam totum salutis humana versatur & geritur sacramentum*. Ad vulpes fraus spectat, & si fides Plinio danda fuerit, qui forte id ex Aeliano desumpsit, Paphlagoniæ pernicum est, geminum cor habere. Petr. Chrys. exm. 57. Plin. l. 11. c. 57 Elian l. 11. de An. c. 35 & l. 16. c. 13

Quorsum ad hoc perniees aduoeo? Dæmonis est, qui primus in terrestri Pa-
D radiso fraudes intexuit, nec rarò in lucis Angelum se immutat; quàpropter egregiè pronunciauit Tertullianus simulationes huiusmodi ad Cæli lumen spiritualia quædam adulteria esse. *Adulterium est apud illum omne quod fingitur*, hoc est apud Deum veritatis conditorem. Non igitur mirum, si tàm exosi Deo fuerint simulatores, vt ad iracundiam & vltionem eum irritent. *Simulatores & callidi prouocant iram Dei*; nec tantùm odio eos habet & abhorret, sed è nostrâ intelligendi facultate detestatur eos & fugit, vt sui simplicissimæ substantiæ spiritus repugnantes: *Spiritus sanctus disciplinę effugiet fictum*; Sic ipse Deus, qui etiam alibi: *Abominatio Domino labia mendacia, qui autem fideliter agunt, placent ei*. Tertull. de spect. c. 25. Iob. 36. 13 Sapien. 1. 5

§. I.

§. I. A

SED in ijs præſertim hanc Deus abhominatur agendi calliditatem, qui populis gubernandis præficiuntur: quandoquidem ſingulari ſtudio tenentur hi ſeruare candorem, & ſimulationem euitare, vt potè quæ in eis fœditate turpiori
Tucid. l. 4. ſordeſcit: quâ de causâ apud Romanos ſeruorum vitium ſimulatio erat, & nobili animo prorſus indigna; quâ pariter ſententiâ locutus Thucidides eſt, ad cuius trutinam perniciosior æſtimata ſimulatio fuit, quàm ipſa iniuſtitia: *fraus enim cùm in omnibus fœda eſt, tùm verò in ijs, qui maiori dignitate ſunt præditi fœdior*
Plin. in panegiric. *eſt, quàm aperta violentia*: ſic ille. Si quidem, Plinio docente, callidus & fraudulentus Princeps mari videtur comparandus, quod tranquillitatem ſpondet, ſed tempeſtates fouet, adeóque in ipsâ magis malaciâ quàm in procellâ periculoſum. Quàm ſanè eum Deus odio proſequatur cæleſtis magiſter oſtendit, B cùm Herodem arguens tùm inceſtuoſum ex raptâ fratri vxore, tùm crudeliſſimum ex iniquiſsimâ cæde Ioanni ſuo præconi illatâ, immania hæc vitia diſſimulans,
Luc. 13. 32. de ſuâ tantùm vulpinâ fraudolentiâ eum damnauit. *Ite, & dicite illi vulpi*; quàm
Petr. Chriſ. ſer. 19. benè his vulpes deſcribitur, quæ eodem docente, *eſt fraudis Artifex, ſimulationis magiſtra, plena ſtrophis*.

Sonoro ſanè cachinno deridendus aliquis eſſet, qui omnium imperitus & rudis de ſubtiliſſimis rebus, quæ tùm de naturâ, tùm de Deo agitantur, inſtituere ſermonem vellet, & de rectâ inſtituendâ gubernatione Principes verſatiſſimos erudiret: eodem planè modo obiurgationibus & maledictis inuadendus ille Princeps eſſet, qui tùm in rebus agendis, tum in tenendis ſermonibus verſipellis
Prou. 17. 7. eſſet & bilinguis: ità propè ſe res habet, ait Diuinus ſpiritus, *non decent ſtul-*
D. Tho. de erud Pri c. *tum verba compoſita! nec Principem labium mentiens*: quapropter, Aquinate docente, veritatis amantiſſimus ſit Princeps oportet, & æquè à mendacijs abſtineat, ac à venenis: quin accuratiùs ea præ iſtis euitet; corpus enim iſta, animum C illa inficiunt & necant: quòd ſi legum vis capitis ſupplicio monetarios damnat è monetis vitiatis & corruptis; quonam eiunc ſupplicio Reges ipſi & Principes à Principum, & Regum maximo mulctandi, qui ſe, ſua verba, mores ſuos adulterant & falſant, & Diabolo ſimiles ſe componentes fraudes moliuntur & dolos effundunt? *Aliquando ergò auditurus eſt Princeps mendax, qui denarius falſus eſt, verba illa, cuius eſt image hæc, & ſuperſcriptio? & cum reſponſum fuerit, Diaboli, dicetur ſtatim, Reddite ergò Diabolo quæ ſunt Diaboli*.

Quid iam de Epiſcopis dicendum, quos eò magis quàm prophanos Principes ſimulatio dehoneſtat, quò ſanctior eorum eſt magiſtratus, & ſanctior finis? Quàm fœdum eſſet, inter ſacra, loquendi ambages, & technas inſidioſas in-
2. Corint. 4. 2. texere, Oraculo tantùm Delphico dignas? Apage, inquit Apoſtolus, *ſed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutiâ*. Quàm deformis & obſcura ſimulatio eſt illa; auertat Deus, vt in ſacrorum Principum æde tanquam in ſuâ
D. Chriſ. hom 8. ius ad Corinth. 6. ſede recipiatur; tantam idcircò operam dedit Apoſtolus, vt certiores Corinthios faceret, nunquam tali vitio vel ſe, vel ſocios ſuos maculandos. *Sed tales ſumus quales videmur, & a duplicitate alieni*. D

Cum ex Apoſtolicore Chriſtus Dominus ſe deſcriberet, omnium Epiſcoporum conditorem, authoremque Hierarchicæ Præfecturæ, ſimplicitatem noſtri ſacer-
Hebr. 7. 26. dotij potiſſimam dotem eſſe omnibus ſignificauit: *Talis enim decebat, vt nobis eſſet Pontifex Sanctus, innocens*: extremo hoc verbo docet Chryſoſtomus, nonmorum deſignari candorem, cum ſatis hic in voce ſanctus explicetur, ſed ſimplicitatem a verſipelli, callidoque ſermone prorſus alienam, iuxta illud Iſaiæ va-
D. Chryſ. hom. 13 ad hebr. ticinium. *Neque dolus fuerit in ore eius*. Quâ in re tám accurati & ſeduli primæ ætatis Epiſcopi fuerunt; vt de Occidentalibus Epiſcopis verba faciens Theodo-
Iſaya 53. 9. Theod. l. 1. hiſt. c. 8. retus hac eos cum laude deſcripſit, *ſimplices habuiſſe animos & ſinceros*: ac ſi hac vnâ deſignati notâ diſcreparent ab alijs. Quàm igitur à Chriſti Domini imitatione diſtaret, qui ſimplicitate reiectâ Dæmonis calliditati adhæreret! de doloſo

A lofo eius agendi more conquererentur populi, vt conqueftus de quodam alio Diuus Hieronymus fuit, *Putamus fenfum congruere cum verbis, in Ecclefia Dei vbi fimplicitas, vbi pura confeffio eft, aliud in corde claufum effe, aliud in labijs proferri tonnimus*. Rauennatem etiam Præfulem amanièr corripiens Diuus Gregorius de fuâ animi remiffione, qua vitijs ferè omnibus corrumpendum fe dederat, tortuofam hanc & verfutam agendi rationem præfertim obiurgat, & demùm ftatuit. *Emenda omnia ea, quæ promifi, maximè duplicitatis vitia*. D. Hieron. dial ad Lucif. D.Gregor. ep.15.l.4.

Hac myfticâ fententiâ intelligenda ea verba funt, quibus Apoftolos & eorum fucceffores Chriftus admonuit, *Ne induerentur duabus tunicis*; hoc enim ficGregorius docet, *quid eos monet, nifi non dupliciter, fed fimpliciter ambulare?* vt fcilicet eorum agendi modus ingenuus & apertus fit, & ab omni verfutia, fallaciàque difcedat; eorum verba, vt pote quæ ab eâ proferuntur, qui rebus facris enunciandis os fuum deuouit, iufiurandi fidem habeant: fimulare vel mentiri, quod crimen in alijs eft, facrilegij loco in ipfis æftimatur: non eorum tantùm, qui malitiofæ politicæ vacant, fed ipforum Hæreticorum fententia eft, non B diuinæ tantùm legi, fed naturali rationi, & gentium iuri repugnare eos, qui docent, loquendi verfuriam admittendam effe, & quod in pectore latet diuersâ fpecie præferre in verbis, cum præfertim perniciofa femper ea fimulatio fit; optimè enim Tertullianus, *Nocentiffimi qui non fimoliceri ficut ftultiffimi qui non fapientes*. Ab iftâ non tantùm noftras auertere actiones nos ipfi tenemur, fed infuper admoniturі populos feruidè fumus, ne huiufmodi phalerato, fucatoque loquendi genere fe irretiri permittant. *Nemo vos feducat inanibus verbis*. Hoc eft compofitis verbis, & ad venuftatem aptatis; auribus quidem hæc blandiuntur, at animum deprauant, & audientium fidem decipiunt, non enim ad veritatem, fed ad pompam ea fallaciter colorarunt. Matt. 6. 9. Tertull. ad Valent.c.2. Ephef.5.6.

Innocentiæ illibatas veftes protoparentes noftri induebant, & candidæ fanctitatis artificio elaboratas; corpore quidem nudi gradiebantur, at animus intextâ virtutum manu fplendefcebat in purpurâ; peccati vi agnofcentes fe nudos, mendacijs & verfutijs cor fuum mentientes induerunt: fidem hic faciat D. Ambrofius ea Genefeos verba explicans, *Cumque cognouiffent fe effe nudos. Antea nudi erant; fed non fine virtutum integumentis: nudi erant propter morum fimplicitatem, & quod amicum fraudis natura nefciret: nunc tamen multis fimulationum inuolucris mens humana velatur*. Cùm igitur primæuam nobis innocentiam reddere debeamus ftudendum nobis eft, vt fallaci quâcumque perfonâ fpecieque mendaci depofitâ, aulicis & politicis mæandricos flexus, labyrinthæas ambages, tortuofos anfractus relinquamus; illis certe illud merito vfurpandum videtur, quod ait Tertulianus. *Hic erit homo interior, alius exterior, dupliciter vnus*. Cum in vno homine duplex homo lateat, & penitùs ab interiori mente verba exteriora difcordent. C D.Ambrof. l. de parad. c. 13. Tertull.l.de An mà c.9.

Licet quidem innocentèr fimul & quandoque prudentèr cogitationes noftras obuelare, aliaque non aperire opportunè femper aperienda; fimulare tamen, fingere, & diuerfum aliud vultu prodere ab eo, quod animo cælamus, nefas omninò eft; quid enim hoc aliud dixeris, quàm veritatem præfocare & extinguere, eamque mendacio calcandam fubijcere? *mendacium autem*, docente Aquinate, nil aliud eft, quàm *contrà mentem dicere*. D S.Thom.2.2 q. 110.

His tamen omiffis, quæ ad confcientiæ leges referuntur, perpendenda etiam alia ratio eft tum bono regimini, tum noftræ & alienæ quieti maximè confentanea; ea autem in eâ verfatur, quòd ficut probatæ fimplicitatis Antiftes populorum beneuolentiam fibi vindicat, & probi pijque viri famam, adeoque facillimè eos flectit, & ad quæcumque paratiffimos habet, fic etiam, fi fecùs euenerit & vafer & veterator audiet, ab eo ftatim quifquis auertetur; & fi quandò, eum, eo agere tenetur, inftar eorum, qui fcorpiones tractant, oculariffimus erit, ne decipiatur: quæ omnia fine odio, obtrectationibus, & probi nominis iacturâ fieri non poffe, nullus non animaduertit.

Iufti-

Iustitiam colendam esse ab Episcopo. Cap. XI.

A

APTISSIMMV ni fallor præ alijs ad commendationem iustitiæ præconium illud est, quo Peripateticorum Princeps eam exornauit asserens, quòd præ alijs virtutibus longè magis excellat, quàm reliquis sideribus Lucifer & Hesperus antecellit. *Iustitia præclarissima persæpe virtutum esse videtur, & nec Hesperus ita, neque Lucifer admirabilis* quod fortè ab Euripidis musâ desumpsit, sic modulante.

Aristot. 5. Ethic. c. 1.

Nec tàm Hesperus, nec Lucifer mirandus est.

Euripides. Comperrum vtique cuique est, perquã optimè Aristoteli innotuisse, idem prorsus sydus esse Luciferum & Hesperum, qui pulcherrimam sui speciem præferens, nunc solem antecedens, nunc prosequens, indeficienti obsequio comitatur: solis instar elucescere populis, iuxtà Christi legem, tenetur Antistes: *Vos estis lux mundi*; adeòque semper sui sociam iustitiam habeat, necesse est, res suas incipiens res suas absoluens, æquitate colluceat, qua velut nunc Hespero nunc Lucifero populis amabilē se exhibebit, nec aliud solidius sui amoris pignus cõmisso sibi gregi potest elargiri. *Sicut autem*, scribente Plutarcho, *Syderum Principem in Cœlo collocauit eâ mente Deus, vt in eo, tanquam in clarissimo speculo, Diuinitatis imaginem intuerentur; sic prope statuit, vt in vrbibus eorum iustitia, quorum habenis moderandi populi committuntur, solis instar effulgeat, vt in ea Diuina sapientia imago absolutissima videatur; sicut autem in Cœlo pulcherrimum posuit sui documentum, in quo tanquam speculo quaris se cernendum prębet; ita in Ciuitatibus iustitia splendor quandam Diuinæ Sapientiæ imaginem reddit*: hæc Plutarchus. Nec in iustitiâ exornandâ tenues fuere tùm Diuus Ambrosius, tùm Romanus Orator.

B

Math. 5. 14.

Plutarc. ad Princ. inerud. Cic. 1. de off. D. Amb. 1. de offic.

C

Virtutum omnium Principem, earumque ornamentum & iubar eam Philo Hebræus appellauit; quin concordi suffragio hoc idem à vetustissimis Poetis pronunciatum fuisse, antequam Philosophi Athenas ornarent, Lactantius Firmianus affirmat; sed cum inurbanè & insolentèr cum eâ homines versarentur, *cessisse è Terrâ, Cœlumque migrasse*: quod idem Ouidius non sine indignatione confirmat.

Lactant. l. 5. diu. inst. c. 5

Ouid.

Et Virgo cæde madentes
Vltima cęlestum terras Astrea reliquit.

Et cothurnatus inde Seneca.

Neglecta terras fugis, & mores feros.
Hominum, & cruentâ cæde pollutas manus;
Astrea Virgo, syderum magnum decus.

Seneca in Octauiam.

In terras tamen reducem Christus Dominus habuit; quapropter vbi ex Amos vate in vulgata legitur, *Iustitiam in terra relinquitis*, Septuaginta legunt, *qui iustitiam in terra posuit*; hoc est iuxtà Diui Hyeronimi mentem, Christus seruator; ex his autem sacri Vatis verbis Astreæ figmentum Poetas elaborasse, Diuus idem Hyeronimus autor est. D

Amos. 5. 7. D. hier. ibi

§. I.

VErùm, vt ab æquiuocis abstineamus, Aristoteli, eiusque fido interpreti Aquinati magistro adhærentes, explicemus oportet, haud quaquam hic à nobis de legali iustitiâ sermonem haberi, quæ vniuersalis quędam virtus est, virtutesque omnes, quæ ad alios spectant suo nomine & munere circumscribit; sed de priuatâ quàdam iustitiâ, quæ in eam diuiditur, quæ suo de munere commutatiuæ & distributiuæ sibi nomen vsurpat; quoniam autem ad postremam hanc

Arist. 5. Eth c. 1. & 2. D. Tho 2. 2 q. 58. art. 6. & 7.

hanc è Theologis nonulli contractus referunt & ciuiles causas, obiter tantùm illam intuebimur, Causidicis & Theologis eam relinquentes; cum è contrà de aliâ, quæ ad iustam tùm pœnarum, tùm præmiorum distributionem dirigitur, luculentèr sit nobis sermo instituendus: illud tamen non omiserim, quòd, vt Diuus Thomas docet, inter virtutes ad mores componendos accommodatas, primas sibi sedes iustitia vsurpet, tùm ratione subiecti, quod voluntas est, maxima & nobilissima totius animæ pars, cùm aliæ in apetitu sensitiuo versentur: tùm ratione obiecti, vt pote quæ ad publicam vtilitatem ordinatur, cum aliæ in priuato tantùm bono consistant: hac de causâ Euphrati flumini Diuus Ambrosius eam confert, quòd cùm fontem suum in terrestris paradisi sede sortiatur, regiones omnes, quibus illabitur, vario segetum & fructuum genere fœcundat & & implet: dolabram dixeris, quâ inæqualia æquantur: perpendiculum, quo rectè æqualitèrque metimur: horologium, quo sua cuique tempori mensura definitur: Speculum, quod sine fallaciâ suum cuique vultum obiectat: Limitem, quo progredi vlteriùs prohibetur: Solem in Eclipticâ versantem, sibi semper parem & in viâ sibi à Deo descriptâ premendâ paratissimum: Deo ea cultum impertit, obsequium Præfectis, nobilibus honorem, virtutis cultoribus laudem & præmium, grati animi amorem benefactoribus, stipendium militibus, operarijs mercedem, sceleftisq; supplicium: Quàm igitur meritò Xenophon aiebat, nihil iustitiâ opulentius & pretiosius à Principibus viris possideri. *Ego vero nullam arbitror esse homini, ac præsertim, qui cum imperio sit, possessionem vel pulchriorem, vel splendidiorem virtute iustitiâ, generositate animi.* sic ipse.

S.Tho.2.2. 58ar.1.2.c. | D. Ambr. de Par.c.3. | Xenop.de 10. Ciril. l.7.

Et sanè Iustitia ea est, quæ Ciuitates seruat, eâ de causâ à Platone vocatur, *fulgor Ciuitatem*; Principes ea coronat, Principatusque in eàdem domu confirmat: *Iustitiâ firmatur solium*: è contrà verò *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias*. Oracula hæc sunt nobis è Cælo delapsa.

Prou.16.12 Eccl.10.8.

Ex his adeò Superioribus necessaria videtur hæc virtus, vt non aliâ de causâ, iuxtà Plutarchi sententiam, Ioui semper assidere iustitiam Potæ finxerint, quàm vt ostenderent, ne quidem ab ipso supremo numine hac terrarum vniuersitatem rectâ posse gubernatione seruari, ni iustitiæ viribus adiuuetur. *Propterea veteres isthæc finxerunt docueruntque, vt ostenderent sine iustitia, ne Iouem quidem rectè potuisse imperare.*

Plutar. l. de Princ. erud

Mentiar, ni veteres illi scriptores in Moysis libris reuoluendis satis assueti, iustitiam indicarint, quâ verus & æternus Iuppiter orbes cælestes composuit, vnicuique iuxtà datam mensuram, sua munera diuidens? *fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti & stellas, & posuit eas in firmamento Cæli vt lucerent super terram*: quibus verbis immoratus Tertullianus, ait, *quòd bonitas operata est mundum, iustitia modulata est*: vt tam concinna, tàm elegans rerum vniuersitas educeretur è nihilo, pompamque sui in scænâ temporis faceret, Diuinæ bonitatis opus fuit, quæ cum summum bonum sit, omnisque boni origo cōmunicati vtiq; aliis debuit; quòd autem eius partes tàm benè compositæ, & ad sua vtique munera præstanda vites vnicuique sint mensurâ aptissimâ accommodatæ, iustitia effecit. *Iustitia opus, quod inter lucem & tenebras separatio pronunciata est, inter diem & noctem &c. inter luminaria maiora & minora, diurna & nocturna*: è contra verò quæ dissonantia esset, si lucis munera ijs imponerentur, qui tenebris iniustitiæ & improbitatis occupantur, & ad tenebras despicientiæ eos damnare, qui ad alios illustrandos virtutum lumine exornantur?

Genes.1.16 | Tertul l.2. cōtra Marcion. c.12.

E necessarijs ergo dotibus, quas in Antistite Paulus exigit, iustitia est: *oportet enim Episcopum sine crimine esse &c. sobrium, iustum*: hic autem nos admonet Diuus Anselmus, haud quaquam hic ab Apostolo de vniuersali iustitia virtutes omnes amplexante sermonem haberi, sed de singulari hac iustitiâ, hoc est de eâ quæ tùm distributiua, tùm commutatiua dicitur, *Iustus quoque sit, vt iustitiam in populis, quibus præest, exerceat.*

Tit. 1.8. | D.Ansel.ibi

Admirationem mihi semper, sacrique alicuius mysterij venerationem ingessit exordium quo, Sapientiæ librum Spiritus diuinus inscripsit; cùm enim in eo ad

rectè fælicitèrque viuendum leges aptissimas nobis exarauerit Deus, & ab eis primùm incipiens, quos ad populorum gubernationem præfecit, eo prorsus modo, quo corporis humani compositionem è corde, quod vitæ regia est, natura exorditur, nullo proœmio præmisso ea statim explicat, quæ ad institiam referuntur. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram*, vbi iustitiæ nomine, vt sacri interpretes docent, non vniuersalis at specialis hæc intelligitur. Diuus autem Bernardus ad suum Eugenium Pontificem,& in ipso ad Præsules omnes scribens, ad illustrem suæ mentis trutinam vocem illam perpendit & librat, *Diligite*, è quâ ipse colligit haud quaquàm nobis satis esse, si iusti fuerimus, nisi etiam studio quodam enixo iustitiam amauerimus; audi iam eius sententiam: *Parum est iustitiam tenere, nisi eam diligas; qui enim tenent, tenent, qui diligunt zelantur*: quod idem anteà Seneca pronunciauerat, docens posthabenda quæcumque alia iustitiæ esse, imò nos etiam ipsos nostramque ipsam vitam. *Me iustum esse gratis oportet; parum est; adhùc illud persuadeat sibi, me in hanc pulcherrimam virtutem vltrò etiam impendere iuuet, vt tota cogitatio a priuatis commodis quàm longissimè auersa sit*. sic ipse. Quin, licet nostrum nomen & fama denigretur, adhùc illa amanda est, *nam mala opinio benè parta delectat*.

Sapient. 1. | D. Bern. l. 3 de cósid. c. 2 | Senec. Epist. 113. ad finē.

Qua in re multò accuratior esse debet, qui non vocatus, at vltrò se Episcopali sedi donauit, nec vt Pontifici obediret, sed vt suæ ambitioni, vel affinium voluptati indulgeret. Philo enim Hebræus *Dei depositum* iustitiam appellauit. Clarissimam igitur hanc gemmam nostro Deus sinu deposuit, nostræ fidei, amorique nostro commisit; quàm autem religiosè custodiendum depositum, quis nesciat, cum præsertim tùm res deposita pretiosissima, tùm vir deponens illustrissimus fuerit: nec tamen semper depositarius culpatur, & si rei depositæ iactura aliqua irrepserit, frequentèr excusatur: si vero ad rem depositam seruandam se vltrò obtulerit, nulla vnquam excusatio potest eum à depositi ratione reddendà diuertere, nisi fortuito euentu, qui præcognosci non potuit, suborta fuerit ea iactura: quacumque labe vel tenui reus ipse damnatur, iuxtà legem ab Vlpiano clarissimo Iurisperito prolatam & reiectam: *Sed & si quis deposito se obtulerit, idem Iulianus scribit, periculo se depositi alligasse: ita tamen vt non solum dolum sed etiam culpam, & custodiam præstet, non tamen fortuitos casus*: nec mitiorem hâc in re crediderim esse Cæli sententiam, *quæ auersatur omnem iniustitiam*. Certè non minoris sceleris arguendus ille videtur, qui sacrum hoc depositum violat, quàm ille Eunuchus, qui puellam suæ fidei commissam per summam iniuriam præflorauit; ad quam mentem accipiendum illud Oraculum est: *Concupiscentia spadonis deuirgauit iuuenculam; sic qui facit per vim iudicium iniquum*. Ex aduerso nulla gratior & dilecta magis immolari Deo victima potest, quàm iustitia; quàpropter non semel, sed centies & millies Diuini sui verbi fidem adhibuit, vt certiores nos faceret nostram iustitiam beatitatis coronâ remunerandam.

L. 1. parag. sæpe. ff. deposit. | Deuter. 2. 5: 16. | Eccl. 20. 2. | Psal 14 3. & 110 3. | Ezech. 18. 8.

Hinc cùm Romana Sedes Antistitum omnium caput sit & magistra, probatissima simul est iustitiæ nutrix, ad cuius vbera offensi viri refugere debent, illud pro comperto habentes, se in eà Astræam reperturos, lances adeò iustas librantem, vt satis quicumque sibi factum putet: sic propè se gessit Goffriddus Abbas, qui non exiguis malis se affectum ab Episcopo Carnotensi arbitratus, ad supremum Romanę Sedis Hierarcham scribens hęc ait; *Iniurijs & persecutionibus, quas Carnotensis Episcopus nobis suscitauit, & suscitari fecit, valdè fatigati, ad sinum Matris nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ, mamillam iustitiæ sitientes confugimus*.

Goffred. l. 1 epi 4.

§. II.

QVI de iustitiæ virtute sapientissimè scripsit Romanus Orator, cœcutire ad eius iubar visus est eius vim & leges non eâ quâ debuit ratione comprehendens; do eius verba. *Iustitiæ primum munus est, vt ne cui quis noceat, nisi lacessitus iniuria: deinde vt communibus pro communibus vtatur, priuatis autem*

Cic. lib. 1. de Offic.

vt

vt suis: An ideo ab Ethnicis numinis loco Iustitia colebatur, si terrenam & A abiectam suis se in operibus exhiberet? Quid porrò in eo laudabile inuenias, qui innocentiam quidem non lædit, sed effrænatâ væsaniâ, molli quodam & violento furore fertur ad vltionem? quid in eo laudabile, qui voluptatibus suis saginandis studiosissimus bona omnia sua dilapidans, aliena non quærit vt rapiat? vbinam vel naturæ vel specimen virtutis hîc est, vbi nec arduum datur nec generositas emicat? rudis hæc & belluina iustitia certaminibus & sanguine vrbes funestabit, inopesque & egenos ad mortem præ fame compellet? iure igitur meritò christianis ab vrbibus scelestam hanc simulatamque iustitiam auerruncat Diuus Ambrosius. *Primùm quidem, quod putant Philosophi iustitia munus, apud nos excluditur: dicunt enim illi, eam primum esse iustitia formam, vt nemini quis noceat, nisi lacessitus iniuriâ, quod Euangelij auctoritate euacuatur.* Vides hìc quàm valdè Ciceronianæ iustitiæ primum munus Ambrosius labefactarit & euerterit? sed iàm ad alia pergit. *Deinde formam iustitia putauerunt, vt quis communia, idest publica pro publicis habeat, priuata pro suis*; hoc autem non veræ tan- B tùm philosophiæ, sed ipsi naturali rationi aduersatur. *Nec hoc quidem secundum naturam; natura enim omnia omnibus in commune profudit: sic enim Deus generari iussit omnia, vt pastus omnibus communis esset, & terra foret omnium quadam communis possessio. Natura igitur in commune generauit, vsurpatio ius fecit priuatum.* Hæc autem iustitia priuatis æquè viris ac Principibus & Episcopis colenda est, vt fusiùs opportunè scribetur: Nunc autem & inferiùs de distributiuâ iustitiâ sermo nobis erit, quæ in pœnarum, præmiorumque distributione versatur, vt potè quæ aptiùs ad eos spectat, qui moderandis populis præsunt; in his enim, vt Alphonsi Regis sententiâ vtar, idem omninò in principiu iustitia præstat, quod anima patrat in corpore; nam vt eius verbis vtar. *Es vida y mantenimento del pueblo de su Sennorio.* Sui principatus populus eâ viuit & seruatur: cum è contra nihil perniciosius in politicâ disciplinâ, & ad incommoda afferenda magis idoneum, quàm si iustitia defecerit, si vel Principis sceptrum, vel Epis- C copi lituus rectâ & integrâ manu tractetur, ad eorum gloriam amplificandam, & nomen illustrandum inseruiet: idem illis præstabit, quod Moysi virga. *Honor Regis iudicium diligit*, hoc est, vt Theodoretus & Cyrillus explicant, *hoc Regem honorabilē reddit quod iustitiam diligat.* Si verò permiserit, vt in terram delabatur, hoc est si terrenæ leges in eo agendo misceantur, eiusdem virgæ instar, *qua versa est in colubrum*, omnia sus deque perturbabit.

D.Amb.l.1 de off. c. 1.

L. 5. tit. 1. punit. 2.

Psalm 98. 5 Theodoret. & Cyrill. ibidem. Exod. 4. 2.

Meritissimè igitur factum est, vt sexcentis scriptorum calamis commendaretur Traianus Cæsar, qui cum ad populi ingentis aspectum, Prætorij gladium in sui muneris argumentum Præfecto dedisset, in hæc, vt Nicephorus scribit, erupit. *Cape ferrum hoc, & si quidem rectè imperium gessero, pro me; sin aliter, contra me hoc vtare: quibus ad egregiam exercendam iustitiam animum excitabat*: ad phaleratam pompam suæ ambitionis faciendam hæc ipse protulit, cum iniquissimus reverâ ipse fuerit è tot cædibus in Christianum nomen illatis.

Nicef. 3. Eccles. Hist. c. 29.

Quale igitur iustitiæ huius munus primum sit, sequenti proximè capite explicabitur.

D

Nullam personarum acceptionem ab Episcopo habendam. Cap. XII.

ORNATISSIMA & maximè compta Iustitia tunc erit, cùm erit indifferens: Lince & Argo oculatior erit, si cœcutiuerit; haud iusta esset, si personas acceptaret, & iniustam se exhiberet, si æquitatem excutiens in aliquam potius partem propenderet. *Nomen iustitia aqualitatem importat*: quæ verba videtur Aquinas è Senecâ rapuisse, cuius etiam ea sunt. *Prima pars aquitatis est*

D.Th. 2. 2. q. 9. 48. art. 2.

Senc. epist. 30.

Arist. 5. Ethic c. 4. *aequalitas*. Et hæc re verà Peripateticorum Principis mens fuit; quàpropter quadratam eam vocauere sapientissimi veterum, hoc est perfectam sibique semper parem. A
Anton. in Meliss. *Iustitia vt videtur quadrata est, vndecumque aequalis, ac sibi similis.* Cæli magnitudinem & excellentiam contemplata, nihil fortiri potest in terrâ, cuius vi ab æquitate suâ discedat, quòd idem in eo præstat, cuius animum fœlicitèr occuparit, nam vt cum Cassiodoro loquar,
Cassiod.l.3. epist. 13. *Nescit personas recipere, qui meram cogitat aequitatem.*

Si tamen vbicumque præstandum id est, maximè tamen hoc ipsum exigitur in Tribunalibus & Ecclesiæ palatijs, quæ Probaticæ piscinæ persimilis, ei tantùm sanitatem referebat,
Io. 5. qui omnium accuratissimus primus se illi immergeret, nullà vel ætatis vel gradus vel sexus habità ratione.

Pretiosissimas gemmas & clarissimas stellas oculos vocari quis nesciat? hi autem in medio vultu locati prælucent, vt æquali custodiâ totam membrorum Rempublicam tueantur & ducant; quòd si indifferentiâ depositâ, ad aliquam corporis partem, vel vt Diuus Chrysosthomus philosophatur, cæteris despectis, B
D. Chrys. vni menti seruandæ studerent, ineuitabile excidium membra omnia paterentur. An non & suarum Ecclesiarum oculi Episcopi sunt in sacræ dignitatis apice collocati, vt æquè omnibus luce & pari luminis mensurâ toti populi corpori famulentur?

Quin sol Episcopus est, *vos estis lux mundi*: sua vrbs, sua illi Diœcesis Orizon
Math.5 14. est; quàpropter, ni se ipsum dehonoret, & fædam Eclypsim patiatur, omnibus æqualiter debet illucescere, cùm in eo Solis ministerium statuatur, qui scilicet in nullam partem personamquæ propensus, pari semper & æquâ mensurâ tùm pauperi, tùm diuiti, Domino simul & famulo, Indis æque ac Britannis thesauros lucis effundat, & Thetidis sinum tandem illabens, nos æquè & antipodas famulatur.
D. Ambr. l. 4. exam. c. 6. *Hac enim inuicem sibi distant; sed sol à nullo distat, nulli praesentior, nulli absentior.* Ambrosium dedi. Hac fortè ratione rapti è sacris scriptoribus aliqui, asserunt sydus, quod Magis Regibus inspectandum se dedit, non verum fuisse sydus, at illustre quoddam & erraticum lucis signû: si namque veri syderis legibus inhærens C fixum in Cælo fuisset, haud quaquàm speciali ratione homini potiùs præsepe, quàm aliam regionem indicare potuisset, cum hoc veris syderibus insitum sit, vt omnibus æquâ luce ridentia, non vni potiùs, quàm alteri faueant regioni.

Quamobrem licet subditi viri ex inæqualitate conditionis & gradus multo interuallo à se ipsis, diuersorum Climatum instar, abscedant; Sol tamen, idest Antistes, nunquàm illi proximior, quàm isti adest, nunquam ab isto, quàm illo semotior distat, cum omnes suî filios & Christi oues agnoscat. *Hac etenim inuicem sibi distant; sed sol à nullo distat; nulli praesentior, nulli absentior.*

Prætcrire illustrem hanc sententiam non licet, quin eam egregiâ Diui Hie-
Isai. 19. ronymi argurie magis illustrem. *In illa die erunt quinque Ciuitates in terrâ Aegypti*, sic Isaias vates; harum prima Ciuitas solis erat vocanda, *Ciuitas solis vocabitur vna*. Sed vt perpendit Hyeronimus, Septuaginta Interpretes vertunt, *Ciuitas iustitia*: ac si sol & Iustitia in idem ferè coalescant: subdit itaque Hieronymus: *quidam quinque Ciuitates intelligunt quinque Ecclesiasticos Ordines, Episcopos, Presbiteros Diaconos, fideles caeteros, & cathecumenos*; adeò vt prima D illa Ciuitas, quæ solis erat & iustitiæ, Episcopos repræsentaret, qui tùm morum splendore, tùm rectâ administratione iustitiæ, non debent à suâ dignitate deficere.

Huiusmodi nobis exempla præcessores nostri reliquerunt, vt ab ijs inscriptis vestigijs hæreremus: huiusmodi præconijs suæ ætatis Antistites Tertullianus decorauit, vt agnoscerent Aethnici, horum iustitiâ, Idolorum sacerdotum iniquitatem declarari; nostri enim Antistites in vno quoque subditorum Dei imaginem intuebantur, ad quem omnia sua opera, velut ad optimum scopum dirigebant, quemque rigidum acceptionum iudicem, & munificum pietatis remuneratorem agnoscebant; cum è contrà Idolorum cultores sua tantùm commoda, laudes, mercedes, studia respicientes, propriâ vtilitate iustitiam metirentur. *Nullum*

bonum

A *bonum sub exceptione personarum administramus, quia nobis præstamus; quia non ab homine, aut laudis, aut præmij expensum captamus; sed a Deo exactore, & remuneratore indifferentis benignitatis.* Tertull. in Apol. c. 36.

Centum & duodecim numinibus Areopagum, hoc est Martis pagum Athenienses, Diuo Hieronymo referente, consecrarunt, Iudices fortè admoniturі, quòd ad tot Deorum aspectum sententiam ipsi ferentes, eorum iracundiam irritabant, si diuinis legibus præferrent humanas rationes; illud nobis scire sufficiat, vnicum verum Deum ad nostra opera libranda euigilare, nostrasque ipsas cogitationes expendere, vt adamussim æquitati conformentur. D. Hier. l. 3 ex tradit. in actu Apost.

Hac potissimùm virtute Christianum nomen splendescit, adeò vt ipsismet barbaris venerandos se præstent, & tamquàm beati ab ijs efferantur, qui veræ fidei beatitate spoliantur: quamobrem de Indo quodam narratur, quòd cum iustitiæ leges, quibus in Lusitaniâ ius cuique suum dicitur, audiret, adeò vt in Dynastam plebeius vir causam ageret, iudicesque tàm faciles esse, vt in Regem ipsum ac B in subditum sententiam ferrent vllâ absque formidine Regiæ indignationis, admirabundus hæsisse fertur, & in hæc erupisse. *O mirandam inauditamque Republica normam, ò Cœlo delapsas gentes, ò magnanimos viros, qui cum ipso Deo affines esse videntur, cum in eis tàm sancta iustitia vigeat, cuius vnius auxilio Principatus & Imperia solidantur.*

Hæc tamen iustitia multò rigidiùs & artiùs à sacris sedibus, quàm a iudicum exedris exigitur, & quò Episcopalia subsellia magis illis suâ celsitudine antecellunt, eò etiam fædior & deformior esset acceptatio personarum: Quàpropter cum Alexander Secundus Romanum conuentum coegisset, eique Beatus Petrus Damianus ad Romanæ Sedis honorem in Schismaticum Pseudopontificem ruendum electus adesse non posset, cum Epistolis ad eum præsens accessit, Romanumque Pontificem germanè ad monuit, vt quamcumque acceptionem in sacrâ illâ Synodo à se amoueret; vt autem dulciùs eius animum componeret ad C suam admonitionem excipiendam, simul & exercendam, eius amaritiem his carminibus melleo nectare conditis edulcauit. D. Pet. Dami. Epist. 15. in fine l. 1.

Sedis Apostolicæ qui vult retinere vigorem,
Aequa libret rigida pondera iustitia.
Iuris enim pariles nescit suspendere lances,
Quem fauor inflectit, spes vel auara trahit.
Muneribus plena cui laxant ora crumenæ,
Iustitiâ vacuum perdit inops animam.
Cæli Roma serus tenet, & regis orbis habenas,
Hıs si pluris velit, tartara sola petit.

Iustitiæ regia, vbi præ alijs regionibus excelsior ea dominatur, Christiana Religio est; triumphum hîc illa explicat, hic à quibuscumque insidijs aliena gestum & pompâ facit; hic è profligatâ iniustitiâ trophæa attollit gloriosa: quamobrem, qui eam hic prodere molıretur, non proprij tantùm, at Christiani nominis proditor sceleſtissimus esset; indignum sanè se exhiberet, qui eam gentem moderaretur, in qua nulla inter eos distinctio datur, quos simul vt fratres Christus adoptauit.

D Hinc etiam ingenuè Damasum Pontificem Diuus Hieronymus commonefecit: *Alienum te a personis omnium redde in iudicio, ac propter iustitiam in iudicio pauperem defendas, nec propter gratiam diuiti indecentèr assistas; aut si non potes facere, cognitionem respue causarum.* D. Hieron. Epist. ad Dama.

Ipsa eadem virtus, cuius nomen adeò excelsum & venerabile supra viria est, nullius vitij est, vbi de iustitiâ igitur; hæc enim non personarum dotes respicit, sed causarum momenta Astreæ librâ metitur: sacris tribunalibus hæc vis est, vt humanæ naturæ infirmitatem ad Dynastarum magnatumque fauorem magis studiosam & propensam frænare valeant & castigare; quàpropter egregiè D. Ambrosius edocuit: *Cum in omnibus iniustitia citò offendat, tùm maximè in Ecclesiâ, vbi æquitatem esse oportet; vbi æqualitatem haberi decet, vt nihil sibi potentior plus vindicet, nihil vsurpet ditior. Sinè enim pauper, sine diues in Christo vnum sunt:* D. Ambros. l. 2 de offic. c. 24.

Nihil

Nihil sanctior plus sibi arroget; ipsum enim, par est esse humiliorem: sed nec personam ulterius accipiamus in iudicio; gratia absit, causam merita decernant, Sub infamiæ penâ, ne calumnijs Ethnicorum impetendam Religionem Sanctissimam A
tradamus: *Nihil sic opinionem, imò fidem grauat, quàm si in iudicando potentiori dones causam inferioris; vel pauperem innocentem urgeas, diuitem excuses reum culpæ: Pronum quippe est genus hominum fauere honoratioribus, ne læsos putent, ne victi doleant.*

§. I.

Vtinam in Sanctuario nullam sedem sortiatur abhominationis Idolum, & monstrum iniustitiæ: auertat Deus, vt maiori nobis in pretio sit consanguineorum amor, quàm Dei Parentis beneuolentia, ne, vt eorum indignationem subeamus, furorem eius obarmemus, & ne vt eorum odio afficiamur, Dei potiùs maleuolentiam vltrò excipiamus. His etiam adde, nihil esse in rerum naturâ, quod magis humani consortij nexus effringat & destruat, nihilque esse, B
quo magis populi ad rixas, contentiones, & studia efferantur: Da mihi Præsulem, qui se aliquorum ciuium voluntati comittat, eosque studiosiùs colat, quanta hinc diffidia, quæ omnium suspiciones & diffidentiæ! adeò vt in plerisque ad suum ministerium spectantibus conficiendis, deficiat necesse est, eò quòd non paternæ beneuolentiæ, sed immodicæ cupiditati eius omnia facinora tribuantur; hinc etiam fiet, vt dum in suos studiosos beneficus esse contendet, aliorum in se inuidiam & odium obarmabit; accuratè perpendit hæc omnia Romanus Orator, qui eâ fuit in mente, maximas duas totius Vniuersi Respublicas, Atheniensem & Romanam ex istô partium studio, & acceptione personarum extremum sibi excidium peperisse; accipe iam eius verba. *Qui autem parti ciuium consulunt, rem perniciosissimam in Ciuitatem inducunt, seditionem atque discordiam: hinc apud Athenienses magnæ discordiæ ortæ; in nostrâ Republicâ non solùm* C
Cic. 1. de off. *seditiones, sed pestifera etiam bella Ciuilia.*

Parua quædam Respublica quæcumque domus est, in quâ diuersa sibi munera sortiuntur, pater & filius, seruus & dominus; quàpropter admirationi locum facere non debet, si validissimus amor, quo Iacob Iosephum deperibat, tot in eum molestias & angores adduceret, & tàm vberi fletu eius oculos irrigaret, ipsumq; Iosephum ad fratrum odium damnaret; quos cæteroquin suarum egregiarum
D. Blasius Seluec. or. 8. virtutum arctissimos habuisset amatores: *Patris Iacobi, charitas aduersus filium, filios excitat, & certissima pignora inuidentia ebria contra se incendit seditione.* Sic Seleuciensis Antistes.

Hac eâdem è causâ, si Oleastri mens arrideat, tàm ingentibus promissionibus Deus Abraham cumulauit, *Postquam diuisus est ab eo Loth*, & non anteà. Optimè
Genes. 13. 14. Deus intellexit (*humano more* loquitur hic author) quod è libentiùs accepto
Oleast. ibid. Abelis, quàm Caini lacrificio, magnâ virulentiâ inuidiæ flamma intra mœnia domus exarserit; quapropter satiùs Deus æstimauit, si promissiones illas aperiret Abraham, postquàm diuisus longe esset à Loth, ne è tàm ingentibus & coacervatis beneficijs indignationis & inuidentiæ ansam in Abraham Loth sortire- D
tur; è quibus hæc ille, quæ egimus, egregiè confirmat scilicet, *quàm oculati esse debeant Domini in distribuendis bonis, aut ostendendis fauoribus, ne scilicet ex hoc alios ad inuidiam prouocent.*

Purpurati Vatis verba peracutè, vt assolet, expendens Diuus Augustinus: *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio eius non commouebitur:*
Psal. 45. 5. asserit Deum in medio consistere illud significare, quòd scilicet omnibus eàdem mensurâ æqualis sit, nulli magis quàm alteri studiosus, & quòd ad gentilia insignia & stemmata excœcatus, virtutes tantùm & vitia metiatur; huius autem æqualitatis cardine si mundus innitatur, stabit. *Quid est ergo Deus in medio eius? hoc significat, quod æquus est omnibus Deus, & personas non accipit: quomodo enim*
D. August. ibid. *illud, quod in medio est, paria habet spatia ad omnes fines; ita Deus medius est,*

æquo-

æqualiter omnibus consulens: Deus in medio eius non commouebitur: vnde non com-
A *mouebitur? quia in medio eius Deus.*

Christus etiam Dominus, quamuis ex illis rationibus, quæ sibi iustissimæ nostros oculos latent, tres tantùm, quos enixiùs cæteris discipulis diligebat, elegisset fidos veluti testes admirandæ suæ figuræ mutationis; adhùc tamen prudentissimè ipse contendit, vt nulli alteri tantum prodigium compertum exploratumque esset, quo tamen adhùc & ipsi indiguissent, ad eorum animos promissæ spe beatitatis inflammandos; hoc certè si à narrantibus discipulis excepissent, quanta profectò dulcedo, quâ Petrus, Iacobus, & Ioannes redundabat, in eorum animos irrorasset; magis tamen consentaneum Christus duxit, vt eorum ora ad arctissimum silentium obstringeret, ne æmulationem & inuidiam eximi muneris illud beneficium in discipulorum animis disseminasset. *Ne corda aliorum, qui non viderant, subuerterentur tristitiâ: & ne proditor incitaretur ad inuidiæ rabiem.* Sic D. Ioannes Damascenus. D. Damasc. in Catena in Math. 24

B Simillimum & illud est, quo Diuus Hieronymus rationem statuit, cur potius Petro suæ Religionis Principatum contulerit, quàm Ioanni sibi perquàm dilecto; ex huius enim adolescentiâ non mediocris seditionum inter discipulos seges enascebatur, cum è Petri senectute, quæ veneranda omnibus erat, nullus locus offensioni dareiur: do Hieronymum. *Magister bonus, qui occasionem iurgij debuerat auferre discipulis, in adolescentem, quem dilexerat, causam præbere videretur inuidiæ.* D. Hier l. 1 in Iouinian.

Hanc ipsam æqualitatem, docente Bedâ, moriturus ipsemet Christus ostendit; Hyerosolimam enim telluris vmbilicum elegit ad Dauidis vaticiniū explendum; *operatus est salutem in medio terræ*; cùm enim eius capiti Regis titulus impositus fuerit, Principes omnes & Magnates populorum moderatores erudire voluit, vt à quocumque priuato studio deflectentes, in beneficijs impertiendis exemplum ab eo assumerent, qui terræ medium ad sui pretium sanguinis effundendum elegerat, *vt passionem suam omnibus offerret æqualitèr.* Beda l. de imaginibus Psal. 73. 12.

C Huc etiam referri ea valent, quibus Hugo Cardinalis Christum hominem se rediuiuum inspectandum Apostolis dantē exornat: nulli etenim eorum parti addictus in medio eorum constitit: *Stetit Iesus in medio eorum, & dixit eis, Pax vobis.* Pacem eis auspicaturus, æqualis futurus omnibus erat & prorsus indifferens: hinc Antistites instruantur, subditorum nunquam animos concordi pacis & concordiæ vinculo connectendos, nisi ab omni se præbeant priuato studio alienos; si enim *Prælatus sic est in medio, non murmurant subditi, sed sunt in pace; aliter autem murmurant.* Hæc Hugo. Luc. 24. 36 Hugo Card. in Psal. 81. 1.

§. II.

Diuinam hanc esse virtutem quis vnquam inficietur, cùm eam tùm in veteri, tùm in recenti lege ad nos erudiendos singulari studio Deus excolat: quápropter sicuti ad hanc iam excelsam idæam assequendam, Iudicum, Magistratuum, Principum quilibet mores suos deberet attemperare, sic Præsules & Hie- Deuter. 10. 17. Sap. 6. 8.
D rarchæ eò arctius ad hoc obstringuntur, quò magis eorum tribunalia proxima sunt iudicanti Diuinitati; ad nos itaque validiùs, quàm ad alios sacra illa lex intonat in Deuteronomio exarata: *Nulla erit distantia personarum, ità paruum audietis ac magnum, nec accipietis cuiusquam personam*; quia Dei iudicium est, quid autem porrò esset ad alicuius fauorem iustitiæ leges inuertere, quàm in sacram Cathedram obarmare prophanam, cæleste Tribunal humano calcandum obijcere, ipsamque Dei regalem sedem aggredi, vt excusso, perturbatoque Deo eius loco iniquitas dominetur? Fidem de his habeas Alexandrino Hierarchæ Cyrillo. *Qui se ad iniquè iudicandum exercet, tantùm non diuinum, & altissimum Thronum inuadit, & in ipsam ineffabilem gloriam se peccare sciat, qui nisi rectè & iustè iudicare nouit:* te vera id ipsum hoc est, quod Diuus Hieronymus pronunciauit. *Quicumque consanguinitate, aut amicitiâ, vel è conuerso hostili* Eccles. 36. Rom. 2. 11. Galat. 2. 6. Ephes. 6. 9. Col. 3. 25. Act. 10. 34. 1. Petr. 1. 17 Iob. 34. 19. D Cyril. Alex. D. Hier. in

ftili odio, vel inimicitijs in iudicando ducitur, peruertit iudicium Christi, qui est iustitia. A

Exod.23.2. 3. leuit.19. 15. Deut.16.15 2 Paral.19. Prou.18.5. 21. Ion.7.24. Eph.5. Luc.2. 1.9. D.Th. 2.2.1. q 63.ar.1.& ibi folen.

Nil igitur mirum, si frequentatissimas in sacris paginis reliquarum legum hæc memoretur: in Exodo eam habes, tùm in Leuitico recitatur, in Deuteronomio, in Paralipomenon, in Iob promulgatur: in recenti autem lege præcones eius fuere, tùm Diuus Ioannes, tùm Diui Paulus & Iacobus: E quâ re fit, vt cùm in sacris paginis (vt Salonius docet) crimina tantùm grauia & læthalia prohibeantur, *de fide est* personarum acceptionem ad peccatum læthale referri, nisi cæteroquin paruitate materiæ minuatur: ad quæ roboranda ratione aliâ vtar ab Aquinate illatâ, quòd scilicet, cum soli virtuti peccatum opponatur, peccatum sit oportet acceptio, quæ iustitiæ aduersatur.

Exod.23.3. D Tho.2.4 63, art. 4. D Cyril. Ale and.de eba itate in fratres l. 8. 10. 2. Eccles 7 16 D. August. in Psal. 32. 6. 4.

Arctum etiam adeò præceptum hoc est, vt cùm sexcenties pauperes inopesq; nobis Deus commendet, ingentiaque nobis obijciat præmia ex ope ad eorum solamen adhibitâ, cùm tamen ad Astreæ, tribunal acceditur, non respiciendam docet pallentem inopum faciem, & purulentas eorum sordes, ne ad eas ærumnas emollitus, à debito iustitiæ rigore deflectas: *Pauperis quoque non misereberis in iudicio, in quo iusti iudicij pulchritudinem seruat incorruptam, & Iudicem æqualitatis arbitrium vbique facit*; sic Cirillus: qui verò animo nimis euirato & fracto huic sententiæ dissentiret, impietatem indueret, vt pietatem ostenderet, & iustitiam iactans iustitiæ militaret. Quandoquidem, *Iustus perit in iustitiâ suâ*. B

A Diuo etiam Augustino monemur, facillimè in huiusmodi scopulum ab eo impingi, qui sacris voluendis codicibus non assueuit: importunè namque misericors reum se tunc sceleris faciet, cùm se pium ostenderit; cùm blandiri egeno videtur, in eum desæuiet, eius scelera fouens, & iniquitatem palpans: *qualem misericordiam fecisti in eum, cuius iniquitatem fouisti? Ecce facello pepercisti, & cor percussisti.*

¶ D Amb. 2. off. c. 15. D.Tho.2.9. 63. ar. 4.

Verum quidem est, quòd si paria adeò essent vtrimque, vt nostro arbitrio dissoluenda lis esset, commendabilius vtique esset pauperi magis quàm diuiti adhærere, tùm quia cum calamitosior & miserior sit, dignior misericordiâ est, tùm quia fidere satis possumus, nullâ nos vel lucri, vel vtilitatis ratione ad pauperis fauorem commoueri; atque id circo, *eò magis infirmo & inopi nos studere conuenit, quia pro eo, qui non habet, remunerationem speramus a Domino Iesu.* sic Diuus Ambrosius. Aquinatis doctrinæ hæc consonant, nos obstringenti, vt in agendis causis forensibus pauperi subueniamus, *tamen sine læsione iustitiæ*, quatenus honestatis & iustitiæ leges permiserint. C

Alex. Afro. Pier. l. 59. in fin.

Tàm validè hanc æqualis iustitiæ legem humanis cordibus insinuauit Deus, vt ex ipsis superstitionum tenebris eius splendor emerserit, & sapientissimis à viris inuiolabilis æstimata fuerit, & multiplici symbolorum specie plurium populorum consensu fuerit designata. Vt reliqua prætercam, Aegyptij, è quibus tanquam è fonte, scientiarum flumina in Græciam emanarunt, ad hoc exprimendum, Alexandro Aphrodisæo referente, capite diminuatam Astræam in Zodiaco Leonem inter & Libram statuebant. Pierius, qui hoc symbolum explicandum suscepit, asserit in Leone fortitudinem exprimi, quâ minas, æquè ac obsequia magnanimè superaturus est Iudex; æqualitatem libra significat, quâ causarum momenta accuratè scrutetur; quod autem capite diminuta videretur, ex eo proueniebat, quòd inter sydera absconditum illud seruaret, vt ostenderet eius administros hominum aspectu reiecto, vnum tantùm Deum spectaturos. *Caput verò ei non tam ademisse mihi videtur, quàm inter sydera occultasse, vt indicaret a iudice neminem videri debere. Vnde Athenis in Areopago, Rei velato capite causam dicere iubebantur, ne Iudicum affectus moueri possent: condit ergò caput inter sydera, solum Deum intuens.* D

Vt inter scopulos & breuia Politicus, vel sacer Nauarchus enauigans, suæ Diæcesis aut Reipublicæ nauem tutam adducat, & portum beatitatis appellat, eò puppim sui patrocinij flectere non debet, quò vel sua vel aliena voluntas aspirat; sed Deum semper inspectet æquissimum omnibus sydus autoremque iustitiæ: ad eum suæ voluntatis cursum dirigat & impellat.

Memo-

Memorandum omnibus ad rem hanc exemplum illud eſt, quo poſteritatem A omnem, vt Plutarchus refert, Themiſthius informauit; cùm enim eum de re æquitati contrariâ Simonides vates poſtulaſſet, præclarum illud effatum pronunciauit. *Neque tu bonus Poëta eſſes, ſi modos & numeros in canendo contemneres; neque ipſe bonus Prator, ſi gratiam cuiuſque legibus preferrem.* Cleon, vt ſublimiores ſuæ Reipublicæ Magiſtratus excepit, aduocatis amicis omnibus, illud aſſeruit, velle contexra amicitiæ vincula diſſoluere, vt pote quæ iuſtitiæ æquitati aduerſatur, noſtramque ſententiam à debitâ integritate diuertit; quàpropter memorandus ſemper Tullius, aſſeruit, *quod exuit perſonam Iudicis quis quis amicum induit.*

Plutarc. in Themiſtoc. Plut. in Polit. Cic. apud Petr. Rancn in quadam Epiſ.

Quid de viro doctiſſimo Papiniano Iuriſconſulto dicendum? hic enim à Cæſare Caracallâ rogatus, vt eâ qua præſtabat in cauſis agendis ſapientiâ & fœlicitate, homicidium, quod è fucatis rationibus in Getam ſuum fratrem immaniſſimè patrauerat, eorâm Senatu ſuſciperet propugnandum; Cæſaream petitionem ingenuè reiecit aſſerens, vt Spartianus author eſt, *Non tam facilè parricidium excuſari poſſe, quam fieri.* O chriſtianâ, imò infulatâ linguâ digniſſimam linguam, ò ſententiam è Cælo lapſam, ò aurea verba plumbeo licet ex ore de-B riuata! mihi quidem maiori in pretio eſt clariſſimus hic autor ex hoc vno reſponſo, quo Cæſaris cauſam, ſudoris & ſanguinis pretio ab alijs coëmendam generosè reiecit, quàm ex innumeris ſententijs, quibus iuris ſcientiam, & pandectas illuſtrauit; quandò quidem ab eo ſcopulo magnanimè declinauit, in quem, teſtante Sophocle, validiſſima quandoque nauigia frequentiſſimè illiduntur.

Spartia in Caracalla.

--------Sape homines maximi
Labuntur in ſaniem ob lucrum turpiſſimè,
Verbis bonis cum pallient ſubtiliter
Cauſas iniquas.

Sophoc. in Antigone.

In immenſum propè ſe meus ſermo porrigeret, ſi integerrimæ & rectiſſimæ æquitatis exempla centuriare mens eſſet, quibus Epaminondæ, Bruti, Tarquinij, dum ne proprijs quidem filijs ad iuſtitię æquitatem ſeruandam parcere voluerunt, nomen ſuum illuſtriſſimè exornarunt: ſed illud, quod de Locorum Rege Seleuco narratur, egregium adeò excelſumque eſt, vt abſque iniuriâ præteriri non poſſit: cum enim hic ſub cæcitatis inſligendæ pænâ adulterij crimen decretâ C lege prohibuiſſet, cùm poſteà eo adulterij crimine ſe ſuus filius deturparet, conſtantiſſimè præcepit, vt nullâ regiæ perſonæ ratione habitâ, legis rigor expleretur; ſed populorum precibus & lachrymis obſeſſus, eúm vnâ ex parte eorum genio vellet indulgere, ex aliâ verò decretam legem impleri, ſtatuit vnum ſibi oculum adimi, alterum filio, Patris perſonam cum filio eandem eſſe arbitratus: multum quidem ipſe lucis ſuo rapuit è vultu, ſed tantumdem immorituri fulgoris ſuæ famæ impertiuit; in nitidiſſimum ſydus obſcuratus oculus ſe conuertit, quo ſæcula omnia ventura omnibus clariſſimus inſpectabit. Hinc obiter collige, quàm iniquè conquerantur aliqui de pœnis, quibus adulteros damnant Epiſcopi, dum ab ipſis Ethnicis tàm graui ſupplicio fuit in Regiâ perſonâ mulctatum.

Val. Max l. 5. c. 8. & l. 6. c. 3.

Vt finem tandem imponam, aduertas velim, quòd licet in commutatiuâ iuſtitiâ ad ciuiles cauſas relatâ, ea ſemper menſura proportioque ſeruanda ſit, quæ arithmetica dicitur, cauſarum tantùm vim, non perſonarum gradus expendens; in eâ tamen, quæ a diſtribuendis vel honoribus, vel pœnis diſtributiua vocatur, eam etiam ſeruari poſſe, imò quandòque debere, quæ dicitur geometrica, plus aliquid nobilitati quàm plebi condonando; quâ fortè de causâ armonicum D illum concentum, ex arithmeticâ & geometricâ proportione Bodinus effinxit: quin in Reipublicæ muneribus impertiendis hanc eſſe legem menſuramque ſeruandam docuit Plato: *Quæ maiori plura, minori pauca tribuit; ſecus inæqualia fiunt niſi menſuram accipiant:* Ita tamen hæc intelligas velim, vt in primo capite, Diuo Baſilio adhærentes, explicabimus.

Euſtach. 3. part. Bodinus de Republ. l. 6. cap. vlt. Plato l. 6. de legib.

Licet autem de ijs agentes, quæ ad cauſidicum forum referuntur, à Diui Auguſtini & Ambroſij ætate longè diſcedamus, qui non exiguam temporis partem in

In vita D. Ambroſ. refert etiam D. Aug. l. 6. confeſ. c. 3. in vita D. Auguſt.

in causis agendis impendebant; cum enim in immensam ferè molem cauillationes Causidicorum exereuerint, qui clientibus vtrimque pugnantibus victoriam A
æquè pollicentur, adeò vt non lites extinguant, at foueant, nec partium duritiem
emolliant, sed magis obfirment; cùm ex hoc odium potiùs, quàm populorum
amor in Episcopos refluat, Vicarijs hoc onus imponitur, ne cum sacri regiminis
detrimento, diffidentes altercantibus partibus efficiantur Antistites: in administros tamen euigilare Præsules debent, & eos, qui ad suam opem refugiunt alacritèr excipere,, præsertim in pupillorum, viduarum, & pauperum causis curam
omnem intendere; quòd si eis vel actor vel Causidicus defuerit, de eo ipsis prospicere, & tortuosas curialium ambages prolixissimasque altercationes excindere;
optimè enim Romanæ Pater Eloquentiæ ait: *Licet permulta præclarè legibus sint*
Cic. pro L. Murena. *constituta, ea Iurisconsultorum ingenijs corrumpi & deprauari*: hoc namque modo
legem illam cælitùs nobis impositam explebunt Episcopi: *Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iustificate*; nec non sapientissimi Regum consilium
illud: *In iudicando esto pupillis misericors vt pater; & pro viro matri illorum; &
eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserabitur tui magis quàm mater.*

Admirationem hac in re omnium sibi conciliauit Carolus Octauus Rex Galliarum, qui non rarò pauperum, egenorumque causis adesse ipse cupiebat; &
Philip. Comineus l. 5. belli Neap. quàmuis in statuendis sententijs aliorum suffragia sequeretur; adhùc tamen vtilissima eius præsentia erat ad Causidicorum licentiam refutandam, eorumque
opera ad integritatis mensuram dirigenda: hoc autem multò arctiùs ab Episcopis faciendum quis ignoret? nec aliâ de causâ à Diæcesis administratæ ratione
reddendâ sacri Vicarij eximuntur, nisi quià certiores de eo sunt omnes, quòd ab
eorum Episcopis ad actarum causarum trutinam aduocentur. *Parui enim refert*
Cic. ad Q. Frater. Epist. 1. *abs te ipso ius dici æqualiter & diligenter, nisi idem ab ijs fiat, quibus tu eius muneris
aliquam partem concesseris.* Romanus Orator hæc scribit.

De Distributiuà Iustitià in sacerdotijs impertiendis.

Cap. XIII.

C

SI indecora Episcopis eorumque nomini iniuriosa personarum acceptatio
est, multò magis hoc continget in sacerdotijs sacrisque censibus impertiendis, ijsque præsertim, qui cum animarum curâ associantur: quàm plurimis & validissimis ad hoc tenemur rationibus, quarum singulæ virulentum hoc monstrum &
stygiam hanc Megeram valerent à nobis auellere.

Primum sibi ea locum sortiatur, quæ in eo versatur, quòd longè nimis hæc
inæqualitas ab eâ sanctitate discedit, quam Christi Religiò profitetur, quæ se
omnium parente indiscriminatim porrigit, pessimum nouercæ nomen abominans; accipe Ambrosij stylum. *In Ecclesià diues & pauper, seruus & liber, Græ-*
D. Ambr. ep. 82. *cus & Scytha, honoratus & plebeius, omnes in Christo vnum sumus; nemo præsumat quia diues est, plus sibi deferendo.* Acroama inde subnectir aureis notis omnium animis inscribendum. Ille est diues in Ecclesia, qui pauperi, non sibi diues est.

E virtute dumtaxat, è pietate, morumque rectitudine præstare alijs debemus:
non in vetusto stemmate, at virtutum amore nobilitas efflorescit; veras in animi D
dotibus opes numeramus, a sapientiâ & integritate habemus quòd alijs præferamur; rursus accipe Hieronymum. *Nescis Religio nostras personas accipere; nec*
D. Hieron. Epist. 34. ad Celant. *conditiones hominum, sed animos respicit singulorum, seruum & dominum de moribus pronunciat;* quin ipsa pariter virtus imbecillis & inutilis est, nisi, vt Chrysostomus monet, comitem sui prudentiam sortiatur.

D. Chrysost. de Sacerd. l. 3. In huiusmodi personarum acceptionem tàm acerbè Christi Religio indignatur, vt ipsismet supremis mentibus admirationi sit; mystici enim corporis instar,
omnium

omnium bonis eâ fruitur, omniumque malis ea tristatur, & si precibus suis Deum
A fatigat, illas etiam ad inopum, impiorum, suorumque hostium opem liberalis effundit; quàpropter à Diuo Ambrosio, Iustitiæ typus & norma meritissimè fuit appellata. *Ecclesia autem quadam forma iustitiæ est, commune ius omnium: in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur.* Vbi autem de Sacerdotijs & gradibus conferendis agitur, tùm opere, tùm exemplo Magister Christus edocuit, virtuti tantùm & meritò esse tribuenda; Præmio donandâ virtus est, & onus idoneæ facultati imponendum. Eleganti hoc proposito ordine ab virtutis palæstram Deus omnes excitauit, eumque maximè composuit, vt mutuam partium sibi consonantium pacem confirmaret. Ab Ambrosio hæc habes. *Hæc pax domestica, & cohabitantium ordinata a Deo concordia, & clara iustitia, vt scilicet, qui excellunt ratione, excellant Dominatione.*

Amb. l. 1. de off. c. 28.

Ambr. L. de officijs.

§. I.

B

Lteram hinc rationem habes, quòd scilicet, distributiuâ Iustitia hoc exigit, cuius natura ea est, vt sit omnibus æqualis, & veluti vitium, quo ipsa destruitur, personarum accepti onem detestetur; reliquis omnibus suffragantibus Diuus Magister Aquinas hæc docet. Iniquitatis licentiæ corrumpendam sanè prostitueret Christi fidem, qui concinnum hunc ordinem viciaret, & in eius bonis elargiendis, ostio pauperibus, & pijs viris obstructo, aditum tantùm ad ea acquirenda Illis aperiret, qui vel fumosâ auorum serie, vel immani opum affluentiâ, omni tamen virtute destituti splendescunt. Quid aliud hoc esset, quàm io lolio virtutis sedem dare fortunæ? quàm Christi legem euellere, aliamque prorsus viam tenere, quàm illam Christi Domini vestigijs consecratam. *Absit Domine, vt in tabernaculo tua præ pauperibus accipiantur persona diuitum, aut præ ignobilibus nobiles; quandò potius infirma mundi elegisti, vt confunderes fortia.* sic Augustinus.

D. Thom. 2. 2. q. 63 ar 4. & ibi Arag. Sab. & Vall. q. 7 Less. l. 2. c. 32. a dub.

D. Aug ser.

C Distributiua Iustitia, vt ingeniosè Aquinas explicat, ea tantùm in electo viro considerat & expendit, quæ apta & opportuna videntur oneri conferendo: acceptationis è contrà oculus in ijs tantùm contemplandis sistit, quæ non ad sacerdotij & muneris qualitatem, sed ad ipsamet vel electi vtilitatem, vel electoris voluntatem, & voluptatem referuntur: vides, quàm meritò virtutis illa, hæc vitij sibi munus & nomen vsurpet, ideòque vna ab alterâ expellatur.

D. Th. q. 63 ar 1.

Flagitiosum nimis porrò esset, minori pretio virtutem, quàm personam habere, maiorique cultu basim, quam simulachrum excipere, non muneris dignitatem implere, sed vel amicorum, vel affinium ambitionem explere, suæque domui prospicere, cum animarum detrimento & nominis Christiani dedecore: ingens sanè hinc scandali pateret occasio, quia eadem criminis nota Christianæ Religioni inuresretur, quam Romanæ Reipublicæ iam ruenti Salustius adscribit. *Inter bonos & malos nullum descrimen est, omnia virtutis præmia ambitio possidet.* quæ vitia, quæ flagitia sanguineis propè fletibus illachrymanda in Orthodoxam fidem hinc redundarent! Sacros Census in ea deponi hominum capita, quæ pietatis palæstram ne primo quidèm à limine salutarunt; Ecclesiæ bona, sanguinem scilicet Christi & pauperum patrimonium in eos defluere, qui inter irritamenta libidinum deliciasque turpissimas, largissimè ea dilapident; in Canonicos eos eligi, qui canonum leges vel obliti vel nescientes, effrænatissimos sæcularium mores induerunt; quæ collegarum hinc incommoda, quæ Episcoporum molestiæ, quæ religionis erubescentia, quæ scandali populorum! Parochos institui rudes, imperitos, inurbanos, discordes, effrœnes, & lupi melius quàm Pastoris imaginem referentes: Et quàmuis non raro ex virorum idoneorum penuriâ, de hoc Antistites culpari non valeant, adhùc tamen inficiari nemo poterit, quin frequentèr in eis eligendis ipsi deficiant, vel vt proprio, vel vt alieno genio blandiantur, vel vt magis suam effrœnem cupiditatem expleant, quàm publicæ dignitati prospiciant: Conqueritur de his iure merito hâc dicendi

Salust. de Coniur. Catil.

D

D. Hieron. l. 1. aduers. Iouinia. formâ Hieronymus. *Multi eliguntur non amore sui, sed alterius odio, in plerisq; suffragium meretur sol a simplicitas, & alterius prudentia & calliditati, quasi malitia opponitur; interdum hoc & Pontificum initio accedit, qui non meliores, sed argutiores in Clerum adlegunt, & simpliciores quosque, atque innocentes, inhabiles putant, vel affinibus & cognatis, quasi terrena militia officia largiuntur, siue diuitum obediunt iussioni: quodque his peius est, illis clericatus donant gradum, quorum sunt obsequijs deliniti.* A

D. Chrisost. l. 3. de Sacerd. Prolixum etiam sermonem ad hæc vituperanda Diuus Chrysostomus intexit, illud deflens, quòd in hisce electionibus, tota personæ, nulla virtutis æstimatio habeatur: sed de hoc inferiùs.

Alicarn. l. 2 Rom. a tiq. Eximia ea lex Romuli fuit, quam Dyonisius Halicarnassæus recitat, sacerdotale scilicet ministerium, nunquam venalitati, vel adsimili rationi subijciendum; sed è qualibet vrbis regione duos eligendos, quos quinquagesimum ætaris annum elapsos tùm sanguinis splendor, tùm virtutis iubar illustraret.

Qui sibi in Imperij dignitate succederet, eligere consanguineum noluit Galba; B nec enim domui suæ, sed Reipublicæ consulere meditabatur, non suo commodo, at publico submouendo studuit, de quâ suâ æquitate gloriatus illud meritò ingeminabat. *Augustus in domo successorem quæsiuit, ego in Republicâ.* Huius adhæsit vestigijs Cocceius Nerua apud Dionem, licet plures è suâ familiâ sufficere Cæsares posset; nec enim ad suæ domus gloriam, sed ad imperij vtilitatem, tanquam ad suæ mentis scopum collimauit. Ita ne igitur! Ab Ethnicis idolorumque cultoribus in eâ virtute excolendâ vincemur, quam potissimùm nostri nominis ratio postulat, & in eis, quorum non domini sumus, at administri?

Tacit. l. 1. hist. Dio Cass.

Co. 4. Tertia hinc ratio hautitur, & validissimo dicendi genere explicatur à Paulo. *sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei*: hinc ergo colligendum quid nam erit; *hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur.* Verba hæc ad rem nostram afferuntur ab Angelico, in quibus insuper aduerte, loco illius vocis, *Dispensatores*, è Grecâ dialecto haberi; *æconomi.* C

D. Tho. 2. 2. q. 63. ar. 2. ad 1.

Non ideo ità Sacrorum Censuum domini sumus, vt pro nostrâ voluntate disponere de ipsis valeamus: nostræ vtilitati prospicere, nostroq; ex eis arbitrio indulgere non licet: nostra res eum eà immiscenda non est, euius in Christi domo sumus tantùm administri; eâ tantùm mensurâ sunt ea bona à nobis diuidenda, quâ Christi domui, hoc est Ecclesiæ eiusque voluntati & placito studeamus: potissima enim Aeconomi dos, fides est, vt monet Theophilactus. *Fidelis autem est, si herilia bona sibi non vindicet, & attribuat, vt non veluti dominus res tractet, sed veluti aliena & herilia dispenset; non sua esse dicens, quæ sunt heri: sed è diuerso, quæ sua sunt, heri esse.* Distribuenda igitur sacerdotia fidei nostræ commisit, vt in eorum dispensatione, non personatum vtilitas, at Religionis commodum expenderetur, nec corporum delicijs, sed animarum saluti consuleremus; quòd si nos indignatio iusta subiret, quòd in nostris facultatibus administrandis Aeconomi nostri, domusque nostræ Præfecti, non commoda nostra, sed sua bona perquirerent, an non credendum est, acerrimè in nos irasci Deum, si in sacrarum, hoc est suarum rerum administratione, fidem, quam in eis impertiendis de nobis habuit, damnandâ profusione fraudauerimus? De charitate suis visceribus D à suo sponso instillatâ gloriatur Eccelesia; hinc iuxta Bedæ sententiam, *Ecclesia pro distinctione meritorum alios alijs amplius diligit.* Si ergo ab infido oeconomo ordo iste turbetur, annon ampla indignationis seges egerminabit?

Theoph. in d. 1. Corint. 4.

Cant. 2. 5. vbi Beda.

Si nostris vel familjaribus vel affinibus munificos esse placuerit, paterna vtiq; bona non desunt, ait Diuus Thomas, quibus absque vllo salutis discrimine, vlláque personarum acceptione vti liceat, iuxtà ea Diuini præceptoris verba, *an non licet mihi quod volo facere?* ar facile nimis est, vt in diuinis bonis diuidendis delinquamus: distinctionem hanc non ex Angelico habes, sed ab Origene, qui de viris ad sacra ministeria eligendis loquens hæc habet. *Nulla propinquitatis acclamatio: propinquis agrorum, & prædiorum relinquatur hæreditas: gubernatio autem populi illi tradatur, quem Deus elegit; qui scilicet in se habet Spiri-*

Matth. 20. 15.

Orig. hom. 33. in num.

Spiritum Dei, idest in quo sit Charitas legis & scientia, vt possint eam audire filij
A *Israel*. Elegantissimum hac de re mihi in promptu exemplum est sacro à codice desumendum. Cum paterna sua bona filijs suis Iacob æquè singulis impertitâ eorum parte diuideret, vt præ cæteris dilecto filio Ioseph singulare sui amoris pignus daret, præter adscriptam illi partem alia etiam maiora illi bona impertiuit: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo*. Cum autem legalem benedictionem fuit elargiturus, Iosepho omisso & Beniamino, beneficium, quod simul sacerdotio annexum erat, in Iudæ caput deuoluit, non aliâ de causâ, inquit Rupertus Abbas, *nisi quia in dandis benedictionibus, non suam, sed Dei voluntatem facere debuit; non caruit affectum, sed spiritus instinctum sequi dignum fuit*. Regni sacerdotalis dominium penès ipsum non erat, sed depositum: integrâ igitur fide, non illud pro suo arbitrio, sed ad Dei præcipientis leges probus dispensator impertijt; Diuina enim voluntas non sua in eo dando magistratu ipsum direxit.

Gen. 48. 22

Rup. Abb. l. 4. de oper Spirit. S. c. 10.

Quantò autem magis ad hoc ipsum nos administri Dei tenemur in Sacerdo-
B tijs, & ijs præsertim, quæ parochialia sunt, conferendis, in quibus de animarum salute agitur Diuino Christi sanguine comparatâ? an non ex his vna thesauris omnibus terrâque marique coaceruaris, ipsisque Cæli sydetibus pretio antecellit? adeò vt si vna tantùm anima idonei Pastoris regimine destituta in stygiam abissum præceps ageretur, quànam aliâ re poterit eius iactura compensari? quis non eius pretium recensebit, cuius ad Diuinæ iustitiæ tribunal vocabimur debitores. *Vnius animæ perditio tantam habet iacturam, vt nulla ratio possit æstimari*: Sic Chrysostomus, qui rationem hanc subnectit; *Etenim si vnius anima salus tanti est, vt ob hanc filius Dei fieret homo; tanta quam pateretur perditio, cogita quantam conciliabit pœnam?*

D. Chrys. homil. 3. in actu Apost.

Atque vtinam, vt innumeri è populo, non propriâ tantùm insaniâ perderentur, sed illorum etiam socordiâ, qui eorum præfecturam gerentes vel impij vel desides nullam dant operam, vt eos stygijs scelerum vinculis absolutos diuinæ
C restituant libertati.

Sinus in pelago Massiliensi est tranquillus adeò & pacatus, vt nullâ in eo vel ventorum, vel fluctuum rabie oblatrante, perrara sint ea nauigia, rudis licet Nauarchi manu gubernata, quæ ibi naufragium patiantur. Iocari per eas quidem vndas possunt non votari: Mundi è contra amplum pelagus adeò turbinum vi, procellarum ferociâ, ventorum impetu quatitur, tantâ scopulorum, breuium, fretorum copiâ obsidetur, vt populorum nauigia, nisi sapientissimis, peritissimisque Palinuris adducantur, magnum discrimen subeant illius naufragij, quo non vndis, at flammis deuorentur; non sine animi angore Bernardus hoc explicat. *In mari Massiliæ ex decem nauibus vix vna periclitatur, at in mari huius sæculi ex decem animabus vix vna saluatur*. Ita ne igitur? vt tàm pretiosi inæstimabilesque thesauri nostrâ socordiâ pereant? vtque nostro arbitrio, nostræque vtilitati seruiamus, tàm ingentem somniculosi patiemur iacturam? hoc certè in lachrymas ipsummet sanguinem è venis ad oculos euocaret.

D. Bern. in cant.

D

§. II.

Illud etiam cum eximiâ ingenij laude considerandum Chrysostomus exhibet; quòd scilicet Apostolici Conuentus oeconomiam, collectarumque opum custodiam Iudæ tradidit Deus, quem furem & improbum non ignorabat: puero etiam custodiendum eum panem dedit, quem ad turbas nutriendas prodigioso incremento amplificandum parauerat; populos verò & sacra munera Apostolis alijs virtutis absolutissimæ viris commendauit, vt significaret, nullius sibi pretij esse terrena hæc munera, sed pretiosissima & inæstimabilia munera animarum. *Non ità se gerunt plerique, qui non constituunt sibi æconomos nisi fideles homines, & eos qui diuitias suas maximâ prudentiâ regant; cum interim Ecclesiæ beneficia & animarum curas hominibus minus optimæ conscientiæ, minus prudentibus, & deniq; pueris*

D. Chrys. l. 2. de dign. Sacerd.

pueris sæpe committunt. hæc Chrysostomus. Prob Deus, quid aliud hoc est, quàm in ministerio exercendo nostram perfidiam explicare? quid aliud, quàm compertum omnibus facere, maximi a nobis sordida hæc & abiectissima mundi ornamenta fieri, nihili verò sanguinem Christi hoc est pretium animarum? Lynces in terrenis congerendis, in cælestibus talpas? quid aliud, quàm cælestem Regem diuina nobis æraria committentem fœdâ proditione perimere? Quàm validè, at iustè in huiusmodi viros Diuus Bernardus inuehitur, eoque stylo insurgit, quo vel marmoreum & æneum vultum rubore suffunderet; atque vtinam feruida eius verba in Præsulum omnium animos vtilitèr illaberentur! Do illa. *Misera res!* A

D. Bernard. l. 4. de Cōsid. *satis superque Episcopi ad manus habent, quibus animas credant; cui verò tutò suas committant facultates, non inueniunt; optimi quidem æstimatores rerum, qui magnam de minimis, & paruam de maximis curam gerunt! quid turpius quàm negligentiùs ferre iacturam Christi, quam propriam? quotidianas expensas, quotidiano reciprocare scrutinio, & continua Dominicæ vineæ detrimenta nescire? de pretio escarum & de numero panum quotidianam cum ministris discussionem habere, & raram cum presbyteris celebrare collationem de peccatis populorum? sed quam tolerabilius est rerum, quàm animarum sustinere iacturam! hanc autem non sentiunt, & illa cruciantur.* Ad instrepentem & confragosum huiusmodi sonitum atque tonitru, quis non contremiscit, & tàm immane flagitium a se excutere non decernit, animatum hic pretium ignorat, dignitatis pondus, muneris leges non expendit, & exactissimam rationem, quam de sacris muneribus impertitis a nobis exigat seuerissimus Deus? B

Ipsemet Deus, qui simul cum munere idoneas elargiri potest vires, ad nos erudiendos ostendit, eâ mente se talenta vnicuique exercenda dedisse, vt suas iuxtà vires, negotium quilibet in eis ageret, & quinque ab eo reposceret, cui quinq; Math. 25. 15. dederat, tria cui tria, duo cui duo: *Vnicuique secundum propriam virtutem.* An nos telluris vermes & sordes, solâ nostræ voluntatis lege ducti, ordinem hunc euertemus, ac S. Sanctuarij stateram nostra opera, nostraque flagitia non ponderanda, possint effugere? C

§. III.

Quarta ex his ratio habetur, quæ ingentem nobis terrorem incutiet; Diuus enim Augustinus obiurgationem illam interpretatus, quâ Diuus Iacobus eos increpat, qui nobiles splendidis sellis excipiunt, cum pauperes & egenos in gradibus, quos ipsi calcant, cogant assidere, dignitatibus & gradibus sacris hæc omnia adscribit. *Si hanc distandi, sedendi, & standi ad honores Ecclesiasticos referamus, non est putandum leue esse peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini gloriæ; quis enim ferat eligi diuitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore & sapientiore?* D. August. in epist. Iac. c. 2.

Quin præclarissima Christianæ Religionis lumina Hieronymus & Ambrosius inter maxima flagitia, quibus se Præsules inceftant, acceptionem hanc personarum recensent, docentque in eâ suæ perfidiæ apicem inueniri. *Inter omnia peccata sacerdotum, illud & vltimum & maximum ponitur, quare accipiant faciem in lege, vt non causas, sed personas considerent.* sic Hieronymus; quod ijsdem adeò planè verbis Diuus Ambrosius roborauit, vt clarissimè pateat, ab eorum Diuino magistro vtique cælitùs suppeditata; clarissimâ hæc ratione confirmat Aquinas, eò scilicet deformius & fœdius esse flagitium, quò excelsiora, sanctioraque ea sunt, circa quæ personarum acceptio versatur: quòd si huiusmodi acceptio ea est, vt vel indignum eligat, vel dignum reijciat, atrox adeò flagitium est, vt in se cuncta Diuinæ indignationis fulmina concitet, nullumque planè in Tartareo cruciatuum loco supplicium sit, quo æqualitèr eius noxa mulctetur; audi iam Chrysostomum de tàm vitiosâ corruptelâ tristissimum. *Neque enim immeritos solùm adlegunt, verùm etiam idoneos eyciunt: etenim iuxtà pestilens esse reor vtiles arcere, & inutiles intromittere. Hæc igitur non ne millies Dei fulmen meren-* D. Hieron. in c. 1. Mal. D. Amb. D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. D. Chrys. l. 3. de sacer. D

A *merentur? non ne digna sunt, quæ gehenna, non illius, quam nobis sacræ litteræ comminantur, sed longè grauioris igne plectantur?*

Vlteriùs etiam eorum fœditas se porrigit, qui ad ineptos honoribus augendos, indignos viros attollunt: nam præter quàm quòd ea restituere tenentur, quæ viri eorum protetuiâ reiecti deperdunt, vt infra explicabitur, in partem etiam accedunt, omnium eorum criminum, quibus se inuoluunt suo studio electi; illud sanè hoc est, de quo Timotheum Ephesinum Præsulem Paulus admonuit, *neque communicaueris peccatis alienis.* [1. Tim. 5. 22] Clariora hæc omnia fient ex ijs, quæ de sacrorum ordinum collatione acturi fusiùs statuemus; sed & Diui Gregorij suffragio hoc idem fulcitur, sic loquentis, *Necesse est, vt omnes culpa, & negligentia sibi imputentur, qui ministerium virtuti infirmæ scilicet committit;* [D. Gregor. l. 1. epist.] illa itaque Isaiæ verba sibi pronunciata recogitet. *Ruina autem hæc sub manu tuâ.* [Isai 1.] Illud idem hoc est, quod Fortunato Neapolitano Antistiti denunciauerat Diuus Gregorius; cùm enim ptimos sui Alcæterij Magistratus in quemdam è Monachis contulisset, cuius mores immorigeratos eà, quà par erat, sedulitate non inuestigauerat & expenderat, hæc Pontificio calamo scripsit. *Nam vos illo delinquente delinquitis, si ità cæperit se exhibere, vt se ad fratrum ostendat regimen indignum.* [Greg. lib. 8 Epist. 23.]

B

Eadem res agitur, vbi etiam de Confessarijs approbandis. Cap. XIV.

VT iam tùm Theologorum, tùm Canonum Magistrorum vestigijs hæreamus, multiplicis generis sacerdotia sunt; alia enim sunt, quæ Canonicos ornant, alia quæ Parochos, aliaque minora; Ad prima certè impertienda nulla nos sub læthalis peccati pęnâ lex obstringit, vt in aptiores conferantur; satis enim est, si ad illud idonei fuerint, probâque morum disciplinâ conspicui; quamuis aduersam tueantur sententiam Valquez, Lessius, alijque præclarissimi magistri, qui sanè asperi nimis hâc in re sunt, & omnium ferè Præsulum conscientias illaquearent. [Garz. cum rela. de benef. p. 7. c. 16. n. 16.] Vtinam hæc semper idoneis tribuantur! hoc enim satis C superque esset: minora autem sacerdotia, quæ simplicia vocantur, libentissimè à Diuo Carolo Clericis donabantur, qui opibus destituti pietati studiosè vacabant, vt facilitatem inde haberent sacros ordines suscipiendi, seque tùm Ecclesiæ, tùm præsulis obsequio mancipandi.

Sacerdotia autem, quæ ad Canonicos instiruendos diriguntur, viris tantùm dispensanda essent, qui morum probitate, scientiarum præstantiâ, & eorum omnium, quæ ad disciplinam spectant, exquisitâ diligentiâ excellerent, quique sui Episcopi amantissimi non amore tantùm eos afficiant, sed auxilium eis paritèr præstent, ad ea omnia adimplenda, quibus obstringuntur: [Guissan in vit. S. Car. l. 8. c. 30.] normam certè hanc sacra synodus Tridentina his verbis designauit. *Cùm dignitates in Ecclesijs, præsertim Cathedralibus, ad conseruandam, augendamque Ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ, vt qui eas obtinerent, pietate præcellerent, alijsque exemplo essent, atque Episcopos operà & officio iuuarent: meritò, qui ad eas uocantur, tales esse debent, qui suo muneri respondere possint.* [Conc. Trid. c. 12. se. 24 de Refor.] Ad hoc speculum se Canonici omnes intuentes, expendere secum animo possunt, an suo muneri conformentur, & gradui, quo ornantur respondeant; an satis legibus illis faciant, ad quas ser-D uandas æquâ mercede ab Ecclesiâ donantur, quarumque seueram admodum rationem Deo iudici erunt reddituri: hinc etiam secum perpendant Episcopi, an in re tanti pretij tantique momenti, integerrimi, fidelesque sint administri, an huiusmodi dignitates conferre vel ratione famulatus ipsis exhibiti, vel vt alijs gratificentur, vel vt priuatæ suæ vtilitati prospiciant, approbandum à Deo sit; cùm præsertim hinc denigretur candor Ecclesiæ, contemptus & negligentia sacræ disciplinę deriuetur, populorum scandalum, ipsiusque Ecclesię maximum detrimentum;

Cardin. de Lugo de Iustit. t. 2. disp. 35. sect. 2. n. 20.

mentum; hoc certè absque palmari Præsulum noxâ non accidit, quorum est, vt maximè vigiles ad ea omnia vires omnes impendant, quibus Ecclesiæ decus & maiestas augeatur; inter quæ nulli secundum illud est, vt scilicet aptissimis, & A præstantissimis viris sacra subsellia impleantur. Legere me memini, quòd cum dignitas quædam vacaret, Diuusque Carolus optimè agnosceret, ad eam implendam aptissimum quendam suum administrum fore, cuius operâ sacris in rebus

Giussan. in vita lib. 8. c. 30.

iàm fuerat vsus, incertus animo per aliquot dies fuit, eo quòd capite prædurum & ceruicosum expertus interdum fuerat, verebaturque, ne maiora affectans non diù in illo munere quiescens versaretur, illudque pensione impositâ esset alij traditurus; re seriò perpensâ, plurimisque ad id precibus effusis, eum aduocauit, protulitque, nullum se sacerdotium maiori cum voluptate dedisse, dummodo tamen duo illi certâ ratione promitteret: primum erat, vt nunquam illud alteri resignaret; alterum vt ad Antistitum auxilium semper elaboraret, res Ecclesiasticas custodiens, defendens, & amplificans. Tùm ille, quoad primum se Christianâ è lege addidicisse, suscipi rite sacerdotium non posse, cum animo illud alteri committendi: quoad alterum verò, ad Deum conuersus, precatus enixè eum est, vt vitam ei priùs eriperet, quàm vnquam permitteret, vt eo sacerdotio ad alium vnquam finem vteretur, quàm ad Ecclesiasticam disciplinam in suo robore seruandam & augendam; his acceptis eum Diuus Carolus oblato sacerdotio lætissimus decorauit. B

Conc. Trid. sess. 24. c. 18

Quò ad verò ea sacerdotia, quibus etiam animarum cura connectitur, Tridentinâ à synodo nobis forma seruanda præfertur; ad hoc enim vt animo quiescerent Pontifices de dignâ eorum administratione, præcipit, vt ad conspectũ Episcopi, vel eius Vicarij conuentus ambientium habeatur, vbi tùm ab ipso tùm ab examinatoribus synodalibus examinentur, isque ex eis eligatur, qui cum pro-

D. Tho. 2. 2. q. 63. ad 2. ad 3.
DD. Congest per Barbos. de off. epi. alleg. 60 num. 67 decis. 40. p. 1. recent.

bati fuerint, aptissimus omnium erit, *ætate, doctrinâ & prudentiâ, & alijs rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis*. Magister autem Aquinas, cui tùm è Canonum Præceptoribus, tùm è Theologis omnes suffragantur, statuit, quòd licet, ad concertationes effugiendas, in foro, vt dicunt externo, valida adhùc esset electio eius, qui est aptus, aptissimo derelicto, in foro tamen, vt loquuntur, interno, vbi tantùm veritati studetur, graui & capitali noxâ se irretiret Antistes: perdoctam de hoc perlege Innocentij Decimi decisionem cum Sacræ Rotæ Auditoris munere fungeretur: Et licet adhùc scriptores discrepent, an Episcopus aptissimum reijciens ad reficienda damna illata teneatur, quod plu- C rimi pernegant, eo quod ex his iustitia tantùm distributiua, quæ ad restituendum

D. Th. 18. q. 63. art. 8.

non obstringit, offendatur; tutior tamen, communior, & verior est opinio affirmans, eò quòd non distributiua tantùm, sed etiam commutatiua iustitia detri-

Barbos. alleg. 60 n. 68

mentum hîc patiatur, cum alteri auferatur ius quæsitum, tùm ex implicitâ pactione, quæ in aduocatorio edicto continetur, tùm quia Tridentina Synodus

Cardin. de Lugo de iust. tom. 2 disp. 35 sect. 6. nu. 85. & seq.

quæ maior Episcopo est, aptissimo illud confert, & ad id Episcopum confertentem obstringit. Acerba autem adeò culpa hæc Deo est, vt præterquam quòd æternis supplicijs cruciandum hunc adscribit, hìc quoque mulctat acerrimè & potissimùm debitam nobis obseruantiam rapiens vel imminuens; nec enim prærogatiuis illis, quibus iustitia distributiua nos ornat, illustrari nos decet, dum nos iustitiam distributiuam exercentes, alteri immeritò denegamus, quod eius iure debetur: ad hanc certè sententiam ea retulit Malachiæ verba Diuus Hierony-

Malac. 2. 9. & ibi D. Hier.

mus: *Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege*. Septuaginta vertunt *capiebatis personas in lege*.

Seuerior tamen in eos Deus assurgit, qui humanis rationibus ducti, non mi- D nùs tantùm dignos præferunt, sed indignos; cùm enim ineptis posthaberi apti non possint, quin etiam humanis rebus postponantur Diuina, grauissimè in eos

D. Chrys. l. 3 de sacer.
D. Hieron. epist. 35 ad Fabiolam.

irascatur Deus oportet, vt validè, grauitèrque Ioannes aureus affirmat.

Illud pariter Diuo Hieronymo probatur, quòd dum nostro amori indulgere contendimus, *& dum propinquitatem respicimus, corporis & animæ offendimus Creatorem*. De hoc sanè supremum Pontificem Heli Deus obiurgauit, quòd sc-

licet

licet suos filios morum licentiâ fœdos, ineptosque, sacris honoribus, & censi-
A bus cumulasset: *Tu magis honorasti filios tuos, quàm me.* Sic Deus; pluris tui 1. Reg. 2. 29
tibi fuere filij, quàm meus honor, meaque diuinitas fuerit! querelæ huius fon-
tem scrutaris, ait Hieronymus, dabo: *filios quippe & propinquos magis quàm*
Dominum honorat, qui ad sacros ordines personas eligit, non ex conuersationis ho- D. Gregor. l. 2. in Reg.
nestate, sed amore propinquitatis: quod idem de studiosis & amicis vsurpari pari-
ter potest. *Idcirco filij honorati referuntur, vt sacrificij primitias ederent; quià*
carnales Prælati spiritalis honoris culmina carnalibus propinquis ideò tribuunt,
vt facultatibus Ecclesiasticis ditentur, & in altitudine ordinis cumulentur abun-
dantià vbertatis. hinc autem quid factum est? vnà eademque die ambobus fi-
lijs Eli spoliatus, eâque prorsus ratione, quâ domum amplificandam, augen-
damque cogitauerat, deletam vidit & excisam. *Hoc autem erit tibi signum, quod*
venturum est duobus filijs Ophni & Phinees: in vno die morientur ambo: quibus hæc d. c. 2. 34.
Gregorius concinnè subnectit. *In signum verò moritura domus, ambo filij Helì*
B *mori prædicuntur, quos nimirum filios signatè diximus, qui ad sacros ordines à*
propinquis carnalibus promouentur, non ad intentionem administrandi ordinis; sed
ad gloriam mundanæ dignitatis.

Nec illud etiam intactum reliquerim, quòd si in huiusmodi crimen Præsul ex
amore deflectit, quo vel consanguineum, vel familiarē aut famulum prosequitur,
in turpissimum etiam & abhominandum simoniæ vitium ruat oportet; Diui Gre- c. si quis 1. q. & ibi glo. & Turr. n. 1. p. q. 1.
gororij epistolam sacris canonibus inscriptam hac de re consule, cui tùm Eccle-
siæ mens tum Cardinalis Turrecremata innititur. c. si quis.

Maximus quidem hic scopulus est, in quem plurimi Præsules misertimè impe-
gerunt: quia multa recenseri possunt domuum & familiarum exempla, quæ sa-
crorum titulorum pondere fatiscentes, arcanâ tandem vi posteris omnibus obscurę
corruerunt. Ad hæc tamen nos miseri caligamus, diuinam vltionem in alijs c. si quis 1. 6 ibi glos. & Turrect. 1. q. 1.
non agnoscentes, vt grauiorem in nos ipsos incussam experiamur; Sed huma-
nis pariter legibus huiusmodi Præsules oppugnantur; in Romanâ enim Synodo
C Alexandri Tertij nutu coactâ, statutum de his fuit, vt semel & bis correpti, tan-
dem arcerentur à sacerdotijs suæ Diæcesis impertiendis, quæ pęna infamiæ quæ-
dam fœdissima nota est; notanda hîc ea potissimùm mihi censentur, quibus ca-
nonem exorditura Synodus criminis huius fœditatem ostendit. *Graue nimis est* c. Graue 25 de Prębend.
& absurdum, quòd quidem Ecclesiarum Prælati cum possint viros idoneos ad Ec-
clesiastica beneficia promouere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum
honestas, nec litterarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non
iudicium rationis: vnde quanta Ecclesijs damna proueniant, nemo sanæ mentis
ignorat.

Verùm quidem est, quòd cùm vel præ sacerdotij tenuitate, vel præ idoneorum
defectu virorum nullus reperiatur, qui pro dignitate subire possit eam prouin-
ciam, cum necessitas nullâ lege definiatur, nullâ nos culpâ fœdamur: quandò-
quidem vt Cardinalis Ostiensis docet, illis vti lapidibus ad construendam mo- Hostiens. d. c. graue.
lem debemus, qui præstò sunt, minusque longè malum est, quòd ineptum licet
virum sortiantur populi, à quo sacramentorum robur accipiant, quàm omnium
prorsus auxilio destitui; quod idem ex allatâ Decretali colligitur in eâ voce,
D *cum possint*, â contrario sensu: dummodo tamen tanta non fuerit indignitas, vt
absque culpâ conferri eis nullàtenus possit, vt ex eiusdem Ostiensis sententiâ
idem Abbas statuit. Iure igitur merito Mediolanensem Antistitem Innocentius
Tertius castigauit, eò quòd in consanguineum sacram quandam dignitatem Abb. in d. c. graue nimis
contulisset, quâ digniores & aptiores alios decorare potuisset. *Quia non ex af-*
fectu carnali, sed discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum officium & beneficium in C. vnic. vt Eccl. benef. sine dimir.
personâ magis idoneâ dispensare.

Age verò, quæ quantaque pœna esset, si eò redigeremur necessitatis, si popu-
lorum salus committenda viro indignissimo esset, & Christi grex custodiendus
lupo daretur: Quâ in re deflere affluentèr aliquorum Præsulum angustias, & in-
fortunium licet, qui probis viris penitùs spoliantur, & effræni Cleri proteruiam
coërcere non possunt, & ex eo aliquem literis instituere; quamobrem animarum

regimini imponere interdum coguntur viros ineptissimos. Quàm plures Episcopos huiusmodi laborantes angustijs commiseratus ego fui, dum in Regno Neapolitano Pontificij Oratoris personam gererem. A

Cùm verò vel affinis, vel famulus, vel familiaris sit æquè ac alij ad illud sacerdotium administtaodum aptus, potest vtiquè vllâ sine notâ præhaberi, saltem ratione maioris fiduciæ, quâ, postulante necessitate, ministerio eius vtatur: nec populus offendatur, alijque exemplum ab eo assumant, licet non dignos, efferendi; hæc enim si contigerint, abstinere vtique ab eis debet; Ab Aquinate Doctore docentur hæc omnia, cui omnes concorditèr suffragantur: abstinere insuper Præsules debent, vt sine adscriptâ mercede in sui famulatum Clericos habeant, ne si posteà eos alij viderint impertitis sacerdotijs remunerati, conijciant occultà hoc præcedenti pactione contigisse, & initæ simoniæ offensione perturbentur; hac de re tùm Aquinatem, tùm Cardinalem Turrecrematam consule.

D. Thom. Turrecr. in c. ordinaio 12 p.q.1.

Potissimùm est, vt frequentèr, cum sciuerint inter eligendos recenseri etiam vel consanguineum vel familiarem, spe deperditâ, quâ sibi tanquam alijs aptiori donandum esset, plurimi auertaotur; quâ ratione saltem indirectè magis idonei excluduntur: quâ propter enitendum Præsuli est excelsâ morum pietate, eximioque candore iustitiæ, vt æquissimi & integerrimi viri sibi famam comparet, & à sanguinis, familiæque amore alienus Ambrosij mentem induat dicentis. *Non sanguinis necessitudo, sed virtutis cognatio proximos facit.* B

D. Ambrof. super Mal.

Sicut igitur, qui ijs dotibus carent, quæ ad rectè administrandam sacerdotij prouinciam exiguntur, inepti vocantur, è vulgari Canonum lege, *quòd beneficium datur propter officium*; sic ex aduerso capax & idoneus vocandus ille est, qui tùm scientiâ & probitate, tùm experientiâ & famâ commendatur, isque alijs præferendus videtur, qui reliquis virtutum copiâ præcelluerit. *Capiti corona respondeat oportet*, ait Tertulliauus, *vt stabilis in illo perseueret.*

Tertull. de Cor. Milit.

In eâ sententiâ Beatus Nicolaus Albergatus Cardinalis & Bononiensis Antistes erat, non posse scilicet honestiùs sacros census insumi, quàm ad eruditos viros fouendos, quorum laboribus vinea Domini excolenda est; alijs sanctiorem alij præhabendum putant; Diuus Bernardus non leuitèr contendebat, vt populorum regimini non præficerentur viri impertiti, quique nullâ experientiâ probati, spem incertam & dubiam de fausto euentu relinquant. Eugenium itaq; Pontificem de hoc admonens ait: *In monasterio admittuntur homines spe proficiendi; at officia bonos facilius recipiunt, quàm faciunt: quare ad ea viros probatos oportet deligi, non probandos.* quibus verbis Præsules ij damnantur, qui nullâ postulante necessitate, Parochialia sacerdotia ijs committunt, qui non dum sacris sunt imbuti, nec Ecclesiasticis ritibus instructi: vt enim prudentèr S. Gregorius scripsit: *ordinatè ergò ad ordines accedendum est: nam casum appetit, qui ad summa loci fastigia postpositis gradibus abruptum quærit ascensum.* C

Manzin in eius vita l. 1. n. 14.

Bernad. de consid. l. 4. c. 3.

D. Greg. l. 1 ep 110.

Quælibet ex his dotibus, licet alijs digniorem aliquem aptioremque constituat, adhùc tamen fieri potest, vt suum effectum sortiri non debeat: aptitudo enim & capacitas hac in re non *absolutè* consideranda est, at, vt Theologorum stylo loquar, *respectiuè*: quandòquidem vt monet Angelicus, contingere potest, vt qui alijs tùm sanctitate, tùm doctrinâ posthabendus videtur, aliquâ aliâ de ratione, quæ ad bonum commune, ad quod ista potissimùm referenda sunt, vtilior sit, sitque præhabendus. D

D Thom. 2. 2. q. 6. ar. 2

Demùm, si ad aptiores animarum curatores inueniendos tàm arctè nostri ministerij nos virtus obstringit; clarè patet indoctis imprudentibusque Confessarijs nunquam eas esse committendas: quòd si graui se crimine implicaret, qui indoctos inexpertosque medicos curandæ vrbi traderet, è magno discrimine, quo Ciuium salus afficeretur; quid de ijs dicendum, qui spiritualium loco medicorum nonnullos designarent, qui nec vitiorum morbos agnoscunt, nec ijs opportunam sciunt conferre medelam.

Pænitentes alloquens Origines ait. *Tantùmmodo circumspice diligentèr, cui debeas confiteri peccatum tuum, proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere.*

Orig. hom. 2. in Psal. 38.

Quàm

A Quàm grauiùs ipse Præsules admonuisset, qui ad tanti momenti, tantique periculi ministerium subeundum eos adhibere tenentur: tot tantæque sunt dotes, quibus ad perfectum confessarium instituendum indigemus; vt vel maximè sapientiâ, prudentiâ, pietateque præstantes terrefacerent, quod tamen incogitatum plerisque omittitur.

Ad supremum Templi pinnaculum libens ascenderem, vt maximâ, quâ possum vi vocem meam effundens, nostræ ætatis infortunium omnibus explicarem, quâ ministerium hoc grauissimum, tàm importunè efficacitérque ab vtroque postulatur, absque eo quòd ea, quæ ad Iuris Christiani leges, & conscientiæ controuersias referuntur, ne leuitèr quidem addiscant: quo errore etiam præ alijs capiuntur ij, qui ad diuinas contemplandas scientias curam omnem collocantes, subtilissimis rebus intenti, nesciunt postâ distinguere *inter lepram & lepram*, ac si inutilitèr illas horas impenderent, quas ad scientias moribus instruendis accommodatas insumerent: hic sanè, ni fallor, perniciosissimus omnium errorum B est, quibus Diuina Religio fœdatur, eò quòd Confessarios simul & pœnitentes ad æternum interitum trahat. Maxima certè molestia, quâ nunc temporis cruciantur Episcopi, in odio versatur, quod ipsi subire videntur, eò quòd approbare nonnullos recusent, qui ad suæ experimentum aptitudinis, patentium litterarum aceruos explicatosque fasces obijciunt, ac si quiescere nos in alienâ conscientiâ iure possimus, dum cæteroquin eorum incapacitas nobis singulariter innotescit: difficiles ac morosi censentur ij, qui recentissimæ huius ætatis nescient corrupto genio indulgere; sed re verâ morosus his Augustinus non esset, qui de hoc ingemiscens ait; *Sola insolita exhorrescimus; solita verò etiam si magna crimina sint, non solùm non exhorrescimus, sed etiam aliquandò committimus; quo fit, vt aliquandò curam animarum minus idoneis ministris commendamus, non alia ratione, nisi quia sic solet fieri.* D. August.

Quia verò ad sacerdotia & confessionis ministeria comparanda, Procerum & Dynastarum patrocinia Episcopos cruciant, & obsident; quod etiam ab ijs fit, C qui sacris ordinibus cupiunt initiari, hinc est, vt ad prolixitatem nimiam euitandam, proximum caput instituamus.

De ratione, quà ritè sacri Ordines conferantur, & de probitate scientiàque, quibus præstare debent Sacerdotes alijque Lithurgi Cap XV.

AD Episcopale regimen suscipiendum Timotheum Ephesinum Antistitem instruens Diuus Paulus, post multa præclarissimè pronunciata, verba D nonnulla subnectit, quibus satis necessitatem ostendit, quâ sua monita sint nobis absolutissimè seruanda. *Testor coràm Deo & Christo Iesu, & electis Angelis, vt hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando*: hoc est, vt Diuus Anselmus interpretatur, fidem mihi tùm Deus, tùm tota cælestium Spirituum soboles faciat, quòd admonitionibus hisce, quas attuli, quasque afferam, onus conscientiæ meæ deposui meamque fidem exolui; tuæ igitur caueto conscientiæ, nec aliâ semitâ incedas, cum præsertim maximum & periculosissimum & immedicabile sit opus, sacros ordines impertire. *Manus cità nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis*: Ingenti priùs adhibitâ tùm personæ, tùm morum, sedulâque diligentiâ, ad sacri ordinis conferendum munus accedas, seù minores illi fuerint; ratione autem characteris & dignitatis sacri omnes sunt, licet vulgò tres posttremi tantùm sacri vocentur: omnes enim quos- 1.Tim.5.21 D. Ansel. ibid.

cumque Christus ipsemet consecrauit suâ exercitatione, & vt Diuus Ambrosius
D. Ambros. ait. *Ita ad omnia se curauit obsequia, vt ne Lectoris quidem aspernaretur officium.* A
sic pariter Ostiarij munus exercuit, indignos eiectans è Templo; Exorcistæ, Dæmones corporum obsessores expellens; alios etiam ordines, dum vasa tractauit, aliaque diuino cultui idonea: Sacerdotem se tandem ostendit, tùm in extremâ cœnâ, tùm Crucis cruento sacrificio.

Celsissimum igitur & Sanctissimum Episcoporum opus, manuum impositio
Act. Apost. est; & sicuti Apostolis tantùm è Dei potestate munus hoc excepere; sic eorum esse successores Episcopos manifestè colligitur, cùm solis ab Episcopis ordines conferantur; Quàpropter tùm sui ipsius, tùm suæ dignitatis ratione, nullus eâ peruersè & improbè vti posset, quin palmari scelere se deturpet, paucisque concedenda ea est, propter excelsa mysteria, quibus decoratur. Sicut enim Romani dum seruum libertate donarent, manus capiti imponentes pronunciabant, *hunc hominem liberum esse volo*, eumque postea dimittens aiebant, *manu missus*; Sic
Exod. 29. parem cæremoniam Antistes exercens significat eos, quos initiatur, mundi captiuitate absolutos euangelicæ vitæ libertati restitui: & sicuti antiquæ legis sacerdotes manus victimis imponentes, ostendebant ex humano eas dominio ereptas, diuino imperio subijci; sic propè ad sacra mysteria Lithurgos admittens Antistes, suarum impositione manuum indicat, ad Dei dumtaxat cultum eos in posterum referri, & ad eiusdem Episcopi opem, & populorum vtilitatem. B

Egregium illud est, quod peracutè Moyses Barcepha meditatur: in eâ sententiâ is est, vt affirmet, vix creatum protoparentem humani generis à Deo fuisse, vt
Psal. 138.5. simul etiam et sacerdotij munus è manuum impositione contulisset: ea ad hanc rem ille verba aptissima assumit à Vate Purpurato. *Tu formasti me, & posuisti*
Moys. sac. *super me manum tuam*: Tùm ipse, *ex Psalmista cognoscitur colloquentem cum Deo Adamum inducens: finxisti me, & posuisti super me manum tuam: sacerdotium enim manuum impositione confertur.*

Eadem impositione manuum Diuini Spiritus illapsus significatur, ex Amalarij sententiâ; eius enim nomen & præsentiam semper Antistes inuocat, vbiq; C
eum moderetur & iuuet. *Manuum impositione indicatur protectio Principis &*
Dionis. de Eccl. Hier. p. 3. c. 5. *perfectoris Dei; quia interuè illi ipsi, quibus manus imponitur, tanquàm filij, ab eo gubernantur, qua virtutum, & robur ipsis largitur, & aduersarias potestates repellit*: Sic Diuus Areopagita.

Diuinæ demùm beneuolentiæ vbertatem designat, & sacram facultatem, quâ initiati donantur, vt in singulis operibus se Dei administros profiteantur, eumq;
D. Dionis. vbi supra. in sui Ducem & Gubernatorem excipiant; *manus impositio docet eos, qui sacris ordinibus mancipantur, sacras omnes actiones, quasi sub Deo efficere, ut potè quem habeant operationum suarum in omnibus ducem atque rectorem.* Sic idem Areopagita.

Ad Primatem igitur Numidiæ, Adeodatum nomine, scribens Diuus Gregorius clarè enunciat, è plurimis admonitionibus, quibus eum informat, po-
D. Gregor. lib. 2. Epist. 48 extat. 119 l. q. 1. tissimam sibi hanc futuram. *Estote ergò præcipuè in ordinatione solliciti*: hanc verò solertiam & solliciti animi curam ad quinque capita is refert, quorum duo in ætate & pietate versantur, *& ad sacros ordines aspirare nisi prouectiores ætate, & mundos opere nullatenus permittatis*: maximè enim verum illud est, quo suam mentem confirmat; *fortè semper esse desinant, quòd immaturè esse festinant.* D

Tertium verò caput in accuratâ eorum animi inuestigatione versatur, & præsertim, si à scelerum contagione fuerint immunes, si eâ polleant litterarum scientiâ, quæ sacros viros decet; ex his ad quartum progreditur, vt scilicet ad magnatum studia & Dynastarum patrocinia penitùs obsurdescat, cum hi sibi nimium fidentes præsumant, suâ cum authoritate eos dotibus illis exornare, qui eis destituti, patrocinij vi in sanctuarium conantur irrumpere. *Eorum extra, qui in sacro sunt ordine collocandi, priùs vitam moresque discutite, & vt dignos huic officio adhibere possitis, non vobis potentia, aut supplicatio quarumlibet subrepat personarum.* Demum, vt quintum statuat, à quâcumque venalitate in re tàm sacrâ prorsus indigna eum auertit, eiusque manus à muneribus elargiendis auellit.

Ante

Ante omnia autem cautos vos esse oportet, vt nulla proueniat in ordinatione
A *venalitas; ne (quod absit) & ordinatis & ordinantibus periculum maius immineat.*

§. I.

AGE verò: nonnulla de singulis afferamus; satis eosdem limites Synodus Tridentina definiuit; sapientèr tamen Episcopos hæc adhortatur, ne indiscriminatim eos omnes, qui vigesimum primum ætatis annum expleuerint, ad Subdiaconatus ordinem admittantur, sed ij tantùm, qui ætate florescentes, compositis moribus maturuerint: *Sciant tamen Episcopi, non singulos in eà ætate constitutos debere ad hos ordines assumi; sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit*: abstineant enim necesse est ab ijs omnibus, quibus adolescentia
B obnoxia est, ætasque matura deturpatur. Conc.Trid. sess.23.c 22 & seqq. de reformat.

De vitæ probitate sufficiat illud, eà scilicet Lithurgos tàm necessariò exornandos, quàm fulgore Sol, calore ignis, & sapore sal egear. Quamobrem D. Cyprianus ait, *Oportet Sacerdotes & ministros, qui altari & sacrificijs deseruiunt, integros & immaculatos esse &c.* Nostrum Sacerdotium Solis instar est, quod non alia luce, quàm virtute coronatur: fornax est, quæ flammis pijssimis exundans continere se non potest, quin alios salutaribus suis flammis accendat; sal est, cuius vi à scelerum contagione seruamur, & ad mensam Dei cum voluptate condimur: Sanctum illud à Tridentinâ Synodo fuit appellatum, vt sanctorum manibus administretur: *Sancta Sanctis*. Alcides sacros dixeris sacerdotes, auxilium roburque daturos Episcopo, qui Atlantis in morem suæ Diœcesis grauissimam molem tergo sustinet suo, ideòque à Diuo Ambrosio vocantur *Consiliarij, & Ecclesiæ Corona*. Quamobrem Ioannes Campanus Interamnensis Antistes suum familiarem ab ordinibus sacris suscipiendis acritèr dehortatus est, eò quòd
C opus quoddam sit paucis accommodatum, ijsque solùm aptandum, qui cælestibus tantùm addicti, terrena ista respiciunt solùm vt calcent; Quid plura? ipsemet Athalaricus Gothorum Rex apud Cassiodorum regiâ voce pronunciauit, *Professio Clericorum vita cælestis est*. S.Cypri l.2 ep. 1. Conc.Trid. sess. 23. de sacra ordin. c. 2. Campan. de Cassiod. l8. epis. 24.

Iuxtà hæc à nobis memorata, tùm Concilij Calcedonensis, tùm Tridentini lege præcipitur Episcopis, ne hos sacris initient, quos sibi vel necessarios vel vtiles non esse deprehendant; quà etiam in re validiùs ab eodem Tridentino de ijs monemur, qui ad singularis sacerdotij curam non designantur: Cardinalis Bellarminus in sæpius memorato opusculo, quod ad Theanensem Episcopum suum ex patre filium direxit, inter salutaria documenta, quibus eos Antistites informat, quos tùm suæ, tùm alienæ salutis pius zelus inflammat, tanquam primarium hoc statuit, quòd nempè quàm plures hac in re decipiuntur, sibi animo suadentes, quòd ad Lithurgorum numerum augendum, vtiquæ deceat liberalis nullo sine delectu manuum impositio; pergrauem & palmarem errorem pariter fore pronunciat, si ad patrimonij titulum multi initientur, quorum plerique non ad Ecclesiæ, sed ad suam vtilitatem sacros ordines dirigunt, Diuinâ re vtentes,
D vt temporaneum lucrum accipiant: hinc postea fit, vt tam magnum ministerium vilescat, & non paucis de rebus erubescere cogatur Christiana Religio. Tùm ad ostentandùm, serie temporum ductâ, progreditur, quantâ parsimoniâ à primis Ecclesiæ temporibus Pontifices in huiusmodi ordinum collatione vterentur; statuit demum. *Hæc parcitas santorum Pontificum deberet omnes Episcopos seriò admonere, vt non nisi viros doctos & probos, & eo gradu dignos eligerent: quod omninò facient, si decorem domus Domini ex animo diligant.* C. nemine 1. 70 dist. Conc.Trid. sess. 23. de ref.c.16.

Vlteriùs etiam tantum malum irrepit: frequentèr enim patrimonia fallacia sunt & simulata, & quamuis synodales ad hoc leges plurimæ instruantur, totiq; ad ea expendenda oculi Episcopi sunt; ad húc ab nonullorum fraudibus decipiuntur, & ex vrbibus & oppidis, imò etiam tenuissimis è pagis permulti emunctissimæ notæ viri, terrena lucra tantùm spectantes, tàm excelso diuinoque munere

nere

nere decorantur: de his egregiè Bernardus ait, *ordinant Cœlum ad ventrem*; D.Bernard. illi ergò duntaxat in hunc sanctissimum ordinem cooptandi essent, quos singularis & absoluta morum probitas ornat, quique sæcularibus à rebus abstracti, eâ tantùm mente Deo se deuouent, vt arctiùs eum colant, eique proximiori obsequio famulentur: De Melchisedech, cuius sacerdotium nos in hæreditatem accepimus, hoc certè Diuus Ambrosius testatur, *refertur ad exemplum, vt tanquàm sine patre, & sine matre sacerdos esse debeat, in quo non generis nobilitas, sed morum eligatur gratia, & virtutum prærogatiua.* D.Amb 10 5. epist. A

Quo ad tertiam Diui Gregorij admonitionem, quæ versabatur in eo, quòd nullus ad sacros ordines submoueretur, qui suæ virtutis solidum & diuturnum specimen haud præstiterit, illud prouinciasse sufficiat, quod ab Apostoli verbis idem asseritur: *manus citò nemini imposueris*, hoc est, explicante Chrysosthomo, *non ex prima statim probatione, nec secundâ, nec tertiâ, sed si tibi consideratio diuturna præcessit. exactissimaque discussio; tunc imponito manus*: rationem autem Diuus Anselmus affert, quia scilicet lentâ hâc tarditate, productâque temporis morâ, faciliùs comprehendi potest eius mensura probitatis, & Tridentina Synodus hæc addit *opportuna doctrina*. 1.Tim.5.22 D. Chrys. hom. 16. in 1. ad Tim. D.Ansel.in 1.tom.3.22 B

Ad hanc rem, veterum Canonum lege ab superiori ordine suscipiendo arcebantur ij, qui longâ exercitatione in inferiori tractando non se detinuissent, suæque firmæ virtutis speciem tradidissent; quæ nos *interstitia* vocamus; hæc tamen à Tridentina Synodo breuioris temporis spatio fuere circumscripta, cùm tamen priùs eorum vtilitatem simul & necessitatem hoc graui stylo ostendisset. *Minores ordines ijs, qui saltem linguam latinam intelligunt per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur: vt eò accuratiùs, quantum sit disciplinæ pondus, possint edoceri; ac in vnoquoque munere, iuxta præscriptum Episcopi, se exerceant, idque in eâ, cui adscripti erunt, Ecclesiâ, nisi fortè ex causâ studiorum absint, atque ità de gradu in gradum ascendant, vt in eis cum ætate, vitæ meritum, & doctrina maior accrescat: quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in Ecclesiâ ministerium, atque maior erga presbyteros & superiores ordines reuerentia, & crebrior quàm anteà corporis Christi communio, maximè comprobabunt.* C.2.59.dist c.2.& 3.77. dist. Conc.Trid sess. 23. de ref. c. 2. 13 14. d. c. 11. C

Gradus hi cum eorum interstitijs, quæ Sacramenta partialia, aut sacramenti pars à Theologis appellantur, nostræ dignitatis sanctitatem probant; supponere enim videntur, quòd minoribus ordinibus initiatus, ad maiores suscipiendos pietatis auspicio & magisterio sanctitatis se disponens, sacerdotij apicem meritó pro humanâ imbecillitate assequatur.

Ex his patet, quàm palmaris error sit in huiusmodi interstitiorum lege facilè soluendâ, & quàm latè Præsules abutantur arbitrio tradito sibi à Concilio, licet cum illâ lege, vt magis hoc ei expedire videatur; hoc enim perrarò contingere potest; ea enim debet esse vtilitas, vt tot bonis, quæ conferri ab interstitijs solent, & optimè à Concilio cælitùs illustrato perpenduntur, præferenda videatur. Nimis enimverò experientiâ docemur, quàm plures ad superiores gradus ascendere non minoribus dignos, & Sancta Sanctorum ingredi, qui à primo quidem atrij limine arcendi essent; nec illachrymatus illud etiam hîc recenseam, quod frequentissimè nostra parit hæc ætas, citiùs scilicet Christi sacerdotem, quàm luteum simulachrum effingi: è sago ad togam vno ferè gressu prosiliunt, & audactèr dixerim ad aras è prostibulo, prophanos mores induti, & nunquam exuendos: Quid hinc boni colligendum credideris, nisi fortè, quod Nazianzenus ait. *Verendum est, ne lubrica hæc celeritas, præcepsque studium seminibus illis non absimile sit, quæ in petras ceciderant, & quia terra altitudinem non habebant, statim exorta, ne primum quidem Solis calorem ferre potuerunt: aut etiam fundamento in arenam iacto, quod pluuiæ, ac ventis ne tantillum quidem resistit.* D D. Nazian. orat.1.

Vt è Quæsturâ ad Consulatum progrederetur, neruos omnesque vires exercebat tùm suas tùm affinium & amicorum Titus Quintius Flaminius: acritèr ei repugnarunt Marcus Furius, & Marcus Cenius Plebeij Tribuni, perniciosissimum Reipublicæ fore æstimantes, si gradibus alijs prætermissis, nullo præstito sapientiæ &

tiæ & roboris experimento, vno veluti saltu consularis dignitatis fastigium at-
A tingeret. *Iam Aedilitatem Praturamque fastidiri; nec per honorum gradus documen-* Tit. liu. l. 32
tum sui dantes, nobiles homines tendere ad Consulatum, sed transcendendo media,
summa citiùs continuare: Sic illi acritèr, vt habes à Liuio. Romanorum sanè
vestigijs adhærent nunc temporis Veneti Proceres in suæ Reipublicæ muneribus
acquirendis.

Quantò magis ergò in sacrâ Republicâ volatus isti cum Icari pennis, Corui
potiùs dixerim, quàm Columbæ vituperandi essent? vices hic meas agat Zosi-
mus Pontifex qui ad Isichium Antistitem Salonensem scribens hæc habet. Zosim. epist. 1. ad Isich. c. 2. 59. dist.
Si officia sæcularia Principem locum non vestibulum actionis ingressis, sed per singulos
gradus examinatis temporibus deferunt: quis ille tam arrogans, tam imprudens in-
uenitur in cælesti militia, quæ propensius ponderanda est, & sicut aurum repetitis
ignibus exploranda, statim dux esse desideret, cum tyro ante non fuerit; & priùs
velit docere, quàm discere? assuescat in Domini castris, in Lectorum primitùs gradu
B *diuini rudimenta seruitij; nec illi vile sit exorcistam, acolytum, subdiaconum, dia-*
conum per ordinem fieri; nec hoc saltu, sed statutis maiorum ordinatione temporibus.
Iam verò ad Presbyterij fastidium talis accedat, vt & nomen ætas impleat, & me-
ritum probitatis stipendia antea acta testentur. Iure inde summi Pontificis locum
sperare debebit. Facit hoc nimia remissio consacerdotum nostrorum, qui pompam
multitudinis quærunt, & putant ex hac turbà aliquid sibi dignitatis acquiri. Hinc
passim numerosa popularitas, etiam his locis vbi solitudo est, talium requiritur, dum
Parochias extendi cupiunt, aut quibus aliud præstare non possunt, diuinos ordines
largiuntur: quod oportet districti esse semper iudicij. Rarum est enim omne, quod
magnum est. Addit etiam Diuus Gregorius, interualla hæc temporis largiendis D. Gregor.
ordinibus designata, eorumque ministerium continenter ductum, ijs etiam ad l. 1. ep. 110
scribendum, quos à primo vitæ limine cordis & corporis ornauit integritas; cap. hoc ad
idemque pariter ad Galliarum Præsules scribens Cælestinus Pontifex confir- nos 3. 79. dist.
mauit.

C Hinc est, vt præproperâ istâ ordinum collatione, & è numerosâ, quam Præsu-
les aliqui affectant, sacerdotum pompâ, qui nullo cum delectu, nec reiectis in-
dignis facillimè admittuntur, sacerdotalis ordo ipsimet supremis Genijs ado-
randus, supra quam dici possit contemnatur & vilescat: hinc fit, vt cùm vel Paræ-
cijs Curiones, vel Monialium Confessionibus excipiendis adscribendi sunt, qui
eis inseruiant, è piorum aptorumque sacerdotum defectu, ijs vti cogamur, quos
ineptos agnoscimus, desidiæ largitatisque nostrę cùm alienâ pernicie pænas exol-
uentes; hinc demùm fit, vt ex ijs multi, quos veluti filios aduocauimus, vt nostri
ponderis in partem accederent, Iudam potius imitari, nos non adiuuent, at pro-
dant; hæc acutissimo calamo insectatus D. Ambrosius hæc habet. *Ex inordinatà* D. Amb. in
& indisciplinatà multitudine sacerdotum, hodie datur contemptui Redemptoris quodã ser.
nostri venerabile Sacramentum: nam qui debuerant esse Vicarij Apostolorum & filij
Petri, facti sunt filij Iudæ, & præambuli Antichristi.

§. II.

D

VErùm quò ad ea, quæ ad cultum literarum referuntur, illis omissis, quæ de
Gallijs narrantur, vbi eruditissimus aliquis vir, omnique scientiarum ge-
nere præstantissimus, hoc tantùm nomine indicabatur, *magnus Clericus*; satis il-
lud foret, ex ijs scilicet, quæ necessariò in viris Deo vouendis exigenda sunt, id Conc. Trid.
etiam recenseri, quòd ad Christianum populum de rebus ad suam salutem sacra- sess. 23. de
mentaque administranda spectantibus erudiendum, sint idonei, & instructi refor. c. 14.
sed etiam ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, In Pontific.
ad administanda Sacramenta diligenti examine præcedente, idonei comprobentur.

Omitto hic, quòd Subdiaconi ea dogmata & præcepta tradere tenentur, qui-
bus populi ad Christianam vitam informari solent, eisque hoc munus ab Epi-
scopo designatur, tanquam diuinitatis interprete, cum eum ordinem impertitur.

Ne

Ne iodocti viri sacerdotio honestentur, prohibet quarta Synodus Toletana, licet ad litteras addiscendas se paratos exhibeant: nec enim decet, vt tunc litteris operam præstent, cùm sui ministerij vi ad alios edocendos obstringuntur; præsertim cùm experientiâ probetur, post susceptos ordines omnem, in eis litterarum amorem extingui. A

Côc.4.Tol. c. 24.

Tàm constantèr in his perficiendis Concilij Lateranensis Patres adhæserunt, vt sacerdotales ordines ijs conferendos negarent, qui ex eo ipso tempore idonei non essent ad Curionum & Parochorum munus exercendum; quia vero obijci poterat, quòd si tàm rigidè cum viris sacris ageretur, quàm paucissimus esset numerus Sacerdotum, obiecta refellit & repellit his verbis. *Sanctius est enim (maximè in ordinatione Sacerdotum) paucos bonos, quàm multos malos habere ministros*. Ad familiarem Episcopum scribens D. Petrus Damianus de nonnullis desidiosis Episcopis lonorè conqueritur, quorum ignauiâ fit, vt quàm plures fiot Sacerdotes, qui ne quidem ea calleant & intelligant, quæ sacrum lecturi pronunciant: lmò vt hoc est; legere ne quidem sciant! *Per Episcopalis enim torporis ignauiam, ità nunc Presbyteri litterarum reperiuntur expertes, vt non modò eorum, quæ legerint intelligentiam non attingant; sed syllabatìm quoque vix ipsa decurrentis articuli elementa balbutiant*. Turpissimam hanc ipse corruptelam sancto ardore vituperans, pseudosacerdotes eos appellat, & liberè enunciat in eorum criminum partem, quibus istifœdantur, Episcopos etiam accedere, iuxta ea, quæ ad Timotheum Paulus scripsit: *Nemini citò manus imposueris neque communicaueris peccatis alienis*: quod procul dubio in eos cadit qui vel improbos, vel ignaros ordinibus sacris instituunt. *Quisquis enim vel turpitèr lapsum, vel diuinæ legis ignarum ad sacrum prouehit ordinem, eius se peccatis inuoluit, cui peccandi materiam tradit*: ea tùm ipse peccata intelligit, quibus initiati iàm conscientia fœdabatur, tùm etiam ea, quæ vel iodignè celebrans, vel luxui virijlque se tradens patraturus in posterum est: *Et non his se, quibus ille iam inuolutus est, criminibus obligat: sed his etiam, quæ commissurus est, per anticipationem obnoxium parat?* B

Conc. Lateran.c.pen. de ætat & qualit. adde c. accepim. 13 q. eod. tit.

D. Petrus Dam.l.4ep. 14.

1.Tim.5.22

In his statuendis Damiano præiuit aureus Ioannes, memorata Apostoli verba interpretatus asserens, Antistitem improbo viro sacros ordines largientem, eius criminum præteritorum consortem se facere; cùm verò eundem virtutibus omnibus destitutum in apice virtutis collocet, ea etiam flagitia à se patrari, quibus ille postea Sacerdos implicatur; ipsum iam accipe Chrysostomum. *Eorum enim, quæ ille peccauerit, tu quoque pœnam dabis, qui initium dedisti, etiam præcedentium delictorum, qui enim improbe prima remisisti, & iam futuris obnoxius* &c. C

D. Chrys. in 1.ad Tim 5 hom. 16.

Sacerdotem etiam satis irreligiosum & fœdum, quem sanctus cæteroquin Antistes Deo sacrauerat, redarguens Diuus Hieronymus, hæc horrenda pronunciat. *Tantumque abest, vt te valeat Episcopi tui iustitia liberare, vt timendum sit, ne propter te de solio suo corruens, pereat insanabiliter*: miserandum hic indicat exitum supremi Pontificis Heli, qui integerrimus & pijssimus, eò quòd immorigeratos filios sacerdotio decorasset, è sede lapsus, simul cum sacerdotio vitam & fortè beatitatem amisit. Hugo etiam Cardinalis asserit aliena peccata contrahi ab Episcopo, non tantùm quandò ille certus fuerit de eius indignitate, sed etiam cum ea nescire negligit, quæ sciru necessaria videntur. D

D Hieron. epist 48.

1. Regum.

Hugo Car. in 1 Tim.5. 3. 22.

Egregiè hæc omnia confirmantur ijs, quæ Sophronius, seu vt aptius loquar, Ioannes Euiratus in suo Prato spirituali testatur; aureus quidem liber hic est, tùm Diui Damasceni, tùm Nicænæ Synodi calculo comprobatus: Cum igitur ad Hierosolimitanam Sedem Amos Abbas fuisset euectus, cæteris Abbatibus ad eius obsequium & occursum procedentibus, ipse etiam vnà cum ipsis accessit; eorum omnium precibus enixè se recens Patriarcha commendauit, horrorem sibi interni pronuncians ex immani pondere, quo Episcopalis eum moles fatigabat, cùm populorum regimen vnius Pauli, Petri, Sanctorumque virorum opus sit, præ cæteris autem ingentem ei formidinem incutiebat sacrorum ordinum largitio, eò quòd in sacris litterarum monumentis olim legisset, quòd cum Diuus Leo Pontifex quadraginta dierum interuallo ex vigilijs & precibus

Prat. Spirit. c.149.

ad Diui Petri Cineres effusis, Dei bonitatem de suorum veniâ criminum, eodem
A Apostolorum Principe patrocinante, postulasset, quadragenario die expleto, Diuus ei Apostolus spectandum se dedit hæc alloquens: *Oraui pro te, & dimissa sunt tibi omnia peccata tua, præterquàm impositionis manuum: hoc enim solùm abs te requiretur siue benè, siuè fortassis alitèr gesseris.*

Age iam: quorsum ad hoc alienarum precum & commendationum officia (quartum hìc caput explicandum aggredior) quæ eò fortè magis importuna sunt & inconsiderata, quò magis iniqua sunt in eis commendandis, quos nulla pietatis, nulla doctrinæ species ornat? Iniquissimæ sanè sunt eorum obmurmurationes, & ineptissimæ eòrum querelæ, eò quod fideles Deo, admissis eorum votis adhærere constantissimè simul & piè recusauerint, ne eodem opere tùm sibi, tùm Ecclesiæ, tùm Deo iniuriosi euaderent, eos leuissimè dilapidantes thesauros, quos eorum manibus in sacris ordinibus Deus ipse commisit. Non hic de nostris rebus agitur, at de Christi sanguine effundendo: meas vtique opes
B pro amicorum arbitrio prodigere mihi fas est, sed ex opibus, quas Cæli æraria subministrant, amicos mihi per summam ini[illegible]itiam comparare non licet; fidem mihi de his Bernardus faciat. *Sunt quæ necessario a nobis rogantium, aut extorquet importunitas, aut necessitas meretur: at illud in his, quæ nostra sint. Vbi autem non licet, quod volo, facere, quis locus roganti?* D. Bern. l. 41 de consid.

E fide Plutarchi habemus, quòd minori Catone perorante, vetuit sanctâ lege Senatus, ne alicui ad Magistratus alios assequendos aditus pateret, qui studia aliorum, preces, & commendationum officia ad id sibi comparasset, quam legem tàm seuerè Iulius Agricola seruauit, vt nulli vllum Reipublicæ honorem largitus fuerit, qui huiusmodi artibus sibi viam adstruere contendisset, adeò vt de eo Tacitus, *Non studijs priuatis, nec ex commendatione, aut precibus Centurionum milites accire.* An nos ergò sacræ Reipublicæ minus amantes erimus, minusque solliciti de eius maiestate, quàm de prophanâ Republicâ fuerint viri superstitione fœdati? an imbecilles adeò proiectique animo erimus, vt ad prima Plut. in Cato. min. Tacit. in Agric.
C commendantium Procerum verba nostræ mentis constantiam illis explicare nesciamus; & graui supercilio eis ostendamus, quàm periculosum perniciosumque sit, vt prophana hæc officia se sacris rebus immisceant, & viri sæculares eâ potestate nos velint exuere, quâ nos Deus obarmauit, ità vt eorum authoritatis suffragium eis, quibus commendant virtutes, ingerere possit, quas Canones, Concilia, Patres & tota Orthodoxa Religio in Lithurgis necessarias efflagitant. Apage, quæcumque commendatio extera sit; virtus eos sola commendet, & vt ait Diuinus Spiritus, *Propter disciplina dona commendati.* Sapien. 7. 4.

Idem, ni fallor, è Diui Gregorij mente est, sacros ordines ad aliorum preces & commendationes, ac ad munera & datas opes elargiri: simul enim ista semper sibi conuertuntur, & quandam vtrobique speciem simoniæ componunt. Quapropter magnus ille Pontifex seriò Numidiæ Præsulem Columbum admonefecit. *Nulla sit in ordinatione venalitas; potentia, vel supplicatio personarum nihil aduersus hæc quæ prohibemus obtineat. Nam procul dubio Deus offenditur, si ad sacros ordines quisquam non ex merito; sed ex fauore, quod absit, aut ex venalitate prouehitur:* quod rursùs idem ad Ioannem Corynthium Antistitem, & D.Greg. L. Epist. 47.
D iterùm ad omnes Galliarum Præsules scripsit, quarum Epistolarum superstites aliquæ reliquiæ sacros inter Canones à Gratiano admunerantur; quibus etiam conformia hæc sunt, quæ in Romanâ Synodo Gregorius Septimus religiosissimè sanciuit. c. de ordin. ib & c. seq. 1. dist. 1. ep. 55. l. 4.

Diuus verò Bernardus omnibus seriò significauit eos, qui litterarum commendatitiarum vi ad sacros ordines euehuntur, *Sancta Sanctorum* non communi viâ ingredi, sed furtiuâ & Latronum instar in illud violentèr irrumpere. *Qui sibi possessionem vindicat furtiuarum commercio litterarum, non ne fur est & latro?* c. ordinatio. 113. cad. q. D. Bern. ep. 239.

Cum viro nobili meoq; familiari iocatus aliquando & ipse sum, cùm, tùm suis epistolis, tùm aliorum Principum commendationibus ad me transmissis, validissimè commendatum mihi sacerdotem quendam haberet, propter sacerdotium

conferendum; responsum enim ei dedi, quòd si alterum ei prætulissem, vtique iniuriosus ei fuissem, cum ex eligendis nullus adeò litteratus accessisset, ex innumeris commendatitijs litteris, quas secum afferebat. A

Quòd si vniuscuiusque dignitatis & potentiæ viri audiendi minimè sunt in huiusmodi commendationibus; quantò magis euitandum hoc idem in fęminis, quæ cum pię sexus infirmitate à quocumque sacro munere arceantur, irretire se sacris contendunt, eosque efficere, quos vel suæ domus vtilitate, vel obsequio eis non sine dedecore præstito, vel ex acceptis muneribus, vel è quadam animi voluptate, suâ beneuolentiâ prosequuntur; exardet ad istum euellendum errorem

D. Cyrillos. 3. de Sacer. Chrysostomus, eosque sic ardenter alloquitur: *Dum mulieribus placere atque obsecundare student, necessariò committunt, quæ nec eloqui quidem honestum. Eas quidem Diuina lex ex hoc ministerio remotas esse voluit; illæ verò vi factâ, intrò irrumpunt, per alios omnia facitant, ac tantam sibi vindicant potestatem.*

Compertum profectò mihi est, haud posse hæc omnia tàm seuerè seruari, quin odium plerumque nobis eorum conciliemus, qui despici contemnique se ducunt, si eorum preces repellantur, quæ eò æquiores eis videntur, quò minus ipsi sacrorum ordinum pretium dignitatemq; perpendunt: verùm si Cælo simul & terrę placere æquè non licet, vtique posthabenda illi hæc est; non hominum voluntati, sed Dei genio indulgere tenemur; non Domini diuinarum rerum sumus, at administri, nec sacrorum munerum decoctores, at dispensatores: impertiri ea prudenter & cautè debemus, non dilapidare; læthale crimen in nobis est, alienis commendationibus adhærere, & ad humanum odium effugiendum, Diuinum B

D. Chrys. l. 2. sacerd. amplexari. *Quod si Episcopus illorum gratiam saluti suæ præposuerit, admissis ijs quos admissos esse non oportet, fiet profectò, vt illorum loco Deum sibi offensum habeat; qua re quid sibi pestilentius accidere potest?*

An exiguum, quod à nobis postulare sibi videntur, cum nostrum interitum & palmare crimen efflagitant? ipsi sanè ijdem, si Episcopi essent, non vtique facerent, quod à nobis exigunt faciendum: nec miseri interea recogitant, se culpis etiam illis implicari, eisque sordescere maculis, quibus ij denigrantur, quos ipsi fouent. Quapropter Sanctissimus Florentiæ Antistes Antoninus, piusque simul & perdoctus Aluarus, inter alia Purpuratorum Principum crimina, eâdem C

D. Anton. p. 3. tit. 21. cap. 2. Aluar. de plant. & Eccl. c. 16. ferè formâ loquendi, illud etiam recensuerunt, quòd vel ad alienas preces, vel vt rei consulant suæ, sacerdotia impetrent famulis suis omni prorsus dignitate destitutis: grauiùs tamen & inexorabilius culpandi nos erimus, ni ad huiusmodi preces aures obstruxerimus.

D. Hilar. in c. 58 Isai. lib. 16. com. Sicut igitur pijssimos viros in Mystagogiam cooptare, lucrum nostrum est; sic, ait Diuus Hieronymus, qui alijs, & præsertim feminis blanditurus sacerdotia viris nulla Religione instructis conferret, quid aliud faceret, quàm ante porcos Margaritas prodigere, & se eorum criminum consortem faceret, quibus illi obruuntur?

Sed eius verba audiantur tanto oratore dignissima, licet prolixâ dicendi formâ contineantur. *Non est enim peccatum leue mittere Margaritas ante porcos, & dare Sanctum Canibus, & ordinationem Clericatus nequaquam Sanctis & in lege Dei doctissimis, sed affectis suis tribuere, & vilium officiorum ministris; quodque his dedecorosius est, muliercularum precibus, in quo considerandæ loquentis in se Christi Apostoli sapientia; qui vt ordinationis periculum demonstraret, iunxit tormenta peccantium, qui tales constituit, sic in ordinatione Sanctorum particeps est eorum iustitiæ, qui bonos elegit.* D

D. Bernard. epist. 151. Præterquàm quòd, sic iustè permittente Deo, non rarò malos in se experitur Antistes, quos malos initiauit, & facilè serpentum, quos sinu fouerat, veneno inficitur; quod sanè idem, ad Innocentium Pontificem Diuus Bernardus scripsit, & non paucis in vrbibus experientiæ approbatione cognoscitur.

Illud interim addo, non humani studio fauoris aut munerum vi, sed solâ Diuini Spiritus virtute, ad sacra hæc peragenda excitandos nos esse: initiandorum Patronus, dux, magister, & auspex vnus sit Deus: quâpropter in re tanti momenti ne decipiamur, ad preces confugiamus oportet, vt à luminum Patre

ad tan-

ad tantum opus patrandum, lumen impetremus: quàm egregiè hoc nobis eru-
A diendis Christus Magister indicauit; cùm enim ad Mystagogiæ disciplinam ar- Luc.6.
ctiùs aduocaturus esset Apostolos, montis fastigium ascendit, vt se, licet nullo ipse
indigeret, tanto operi præpararet; ab Augustini pænu hæc habes, *quid te facere* D. Ambros. l. 5. in Luc.
conuenit, cum vis aliquod pietatis officium adoriri, quando Christus missurus Apo- c. 6.
stolos orauit, & solus orauit?

Ad hanc sanè rem cęlitùs illustrata Magistra Ecclesia statuit, vt eo tempore sacrorum ordinum administratio fieret, quo quatuor temporum ieiunijs & precibus vacamus, vt nempè cùm populi totius ieiunia precesque ad propitium nobis Deum reddendum cælo offeruntur, auxilium nobis à Deo præstetur, vt vtilitèr & religiosè tantum opus exequamur.

Dubitatio hic mihi tandem enodanda est, quâ non rarò innodamur. Si à meo præcessore, ordine aliquo fuerit non nemo insignitus, quem posteà suis partibus defuisse ego cognouerim, & fędis moribus deprauatum, repellere ne illum ego
B tenear ab alijs elargiendis ordinibus, an verò licet alios etiam impertiri? Inter alia episcopi infortunia hoc etiam recenset aureus Ioannes, & primùm id significat, quod superiùs asseruimus, quòd scilicet initiandi crimina in initiantem sint tribuenda. *Nec mihi dixeris, igitur peccauit Presbyter, aut Diaconus; omnium horum crimina redundant in caput eorum, qui hos elegerunt*: inde quærit, quid igitur mihi faciendum de huiusmodi viro sit? an nulli statui addictus inutilis ad eunćta remaneat, non sacris vtilis, non Dei, non mundi famulus: *quid igitur non? oportet eligere quemquam, nec in alium reuocare gradum*, Verùm hoc illud esset explicare omnibus crimen, quod fortè plures ignorant: *verùm ita fiet, vt omnes norint illum esse malum*. Vt igitur tam periculosum scopulum effugiamus, alia etiam illi sacra munera impertienda? *Ergo ad maiorem gradum promouendus est?* grauius & fędius hoc crimen esset. *Hoc multò deterius*. Duo igitur inter mala minus eligendum; charitas illo læditur, isto iustitia violatur: si charitati s legi indulgere non liceat, iustitiæ vim expleamus; maiori seruat minor, donec Diuinæ
C beneuolentiæ vi fiat, vt vitiosas exsecans animi partes, è sceleribus emergens, consilia meliora capessat; obmurmurationibus, & querelis hinc nascituris aures obstruantur; Diuinæ voluntati postponatur humana.

D. Chrysost. hom 2. in Actus Apost.

Alienum ab excipiendis muneribus Episcopum fore.
Cap. XVI.

TRIA præ se ferrè debet Antistes quâcumque gemmâ, imo quibusue thesauris pretiosiora: Hæc porro sunt fama, libertas, & cordis integritas: horum quodlibet si deperdatur, vel congesto totius orbis auro compensari non potest, ex his, docente Philosopho, primam sibi sedem fama vsurpat; libertas, ad Senecæ mentem, quocumque pretio pretiosior est, Cordis integritas, Regum
D sapientissimo probante, gaudij fons est, æternæque voluptatis delibatio.

Aristot. l. 4. & hic. Senec. ep. 76 Prou. 15.

Probos ab improbis fama secern, seruos à liberis libertas, reprobos à pijs integritas. Nulla hominum conditio est, cui eâ sollicitudine & cura nitendum sit, vt tria ista suo in animo inconcusśâ sede permaneant, quàm Episcopis, quibus si honesta fama defuerit, nullius vtilitatis populo erunt; si libertas, ad vitia conticescent, sacerdotia iuxtà leges humanas impertientes, iustitiæ Deique leges violabunt; si integritas, è Pastoribus euadent lupi, lucemq; exuti tenebricosissimi fient.

Virtutum harum singulis fraudes struunt, moliuntur insidias munera & dona, auaritiæ incitamenta. Quàpropter tùm Plato, tùm Aristoteles è suâ Republicâ munera & questus auerruncarunt, ad eamque rem Thebani apud Plutarchum, Stobæum, & Alciatum, ad Reipublicæ Palatij fores Senatorum statuas mancas expresserunt, & excæcatum Principis simulachrum; vt nempè ea Senatus inspe-

Plato in Phed. & in Apol Socr. Arist. in pol Plutar de Isid & Osir. Stobæ ser 4 Alciat Em. blema 145.

Exod. 23. 8. Deter. 16. 19. Iob. 36. 15. 34. Prou. 15. 17. & 23. & 28. 9. & 28. 21. Eccl. 20. 31. par. 2. c.

ctans legem animo reuolueret, quâ munera repellere tenebantur & oculos recludere, non personas, vt causas tantùm respecturi: sed quod momenti maioris est, nihil ferè dixerim, aliud tantâ vi sacri codices insectantur; vt enim superiùs diximus, tùm distributiuam, tùm commutatiuam iustitiam excepta munera vitiant, Tribunalia corrumput, solia ipsa Regum susdeque perturbant & miscent. A

Quantâ virium omnium contentione, totoque animi studio suæ famæ custodiendæ incubare teneatur Antistes, satis, ni fallor, suo loco descripsimus: ex his igitur, quæ famam nobis seruare possunt integerrimam, hoc potissimum est, ab omni scilicet munere nostras manus auertere. Obtrectatorum maledica ora virtute hac obstruuntur; his artibus ipsi etiam nostri hostes nos commendare coguntur: ex aduerso autem nihil fœdius nihilque, quo magis populorum despicientiam & oblocutorum strepitum sibi Præsul conciliat, quàm munera affectare, quibus vnusquisque persuasum sibi habet, omnia fore vænalia. Incorrupta quædam Virgo Iustitia est; munera si quis excipiat, eam dehonestat, prostituit, ac facit iniustam; quandoquidem facilè in eam partem flectitur statera, ex quâ dona deriuantur; sapientissimè apud Sanctum Iob hęc Eli significauit ijs verbis, B

Iob. 36. 15. *Nec multitudo donorum inclinet te*; quod idem lepidissimum illud ænigma confirmat, *Matnegra cum murua faciant rectissima curua*; si enim inuerso characterum ordine *Matnegra* & *Murua* legantur *Argentum* & *Aurum* designant; quibus si Astreæ lances impleantur, a rectitudine declinantes, iudicium Antistitum, Principum nomen deturpant: quàm bene igitur de hoc eloquens Isaias sic

Isai. 1. 23. eos obiurgat: *Principes tui infideles, & socij furum*,

Quænam autem fœdior contumelia inferri in Episcopum potest, quàm quòd æterno suo conditori fuerit infidus, suoque muneri iniuriosus, vel vt alij legunt, *deflectentes*, ac si munerum visâ sui sacerdotij integritate eos auertat & deflectat? quid turpius quâm locum inter fures sortiri, hoc est inter flagitiosissimam hominum fœcem? his certè merito comparandos esse docet Petrus Damianus ad Cardinales Episcopos scribens, nam furum instar, ne alijs eorum crimen innotescat, munera furtiuè recipiunt. C

D. Petrus Damiaf. l. 2. ep. 2.

Memorata hæc Isaiæ verba perpendens Diuus Hieronymus ait, quàm plurimos inueniri, qui in agendis causis, non vultum clientum & amicorum spectant, at manus; *Nec os considerant amicorum, sed manus*. Adagium hìc illud menti meæ occurrit, quo Cleon Aristophanem derisit. *Dorica musa*, vsitatæ fortè intelligens Musicæ artis genera Dorica, Lydia, Phrigia, Bæotica, ac si quacumque aliâ reiectâ, Doricæ tantùm Cleon studeret, hoc est aureæ. Parthorum Principibus hi sunt conferendi, quos teste Senecâ, nulli sine munere offerendo licebat adire. *Reges Parthorum non potest quisquam salutare sine munere*.

Erasm. in Adag. Sen. ep. 17.

Non Christi populos, at dona populorum hi Præsules amant, non suæ sponsæ emigrare contendunt, at suis commodis augendis; de his acritèr conquestus Diuus Bernardus in hæc erumpit. *Non omnes sunt amici sponsi, quos hodiè sponsæ hinc assistere cernis, & qui, vt vulgò aiunt, eam quasi addextrare videntur: pauci admodum sunt, qui, non quæ sua sunt, quærant ex omnibus charis eius: nec possunt paritèr diligere Christum, quia manus dederunt Mammonæ*.

D. Bern. 97. in Cant.

D

§. I.

VT quemcumque colorem auertat, omnemque eorum excusationem Beatus Damianus euertat, qui muneribus recipiendis gaudentes asserunt, reijci ab ipsis illa non posse, eò quod benignitatem offerentium lædant, si ea reiecerint, sic eis respondet; *Dicet aliquis, ego quidem nihil quæro; sed si quid gratis offertur, accipere non recuso. Ecce hic non notantur ij, qui munera quærunt, sed qui tantum modo diligunt*. hoc ipsum in memoratis Isaiæ verbis ante Damianum Sanctissimi Patres Hieronymus & Basilius expenderunt; furtum sed occultum hoc ipsum pariter est: non satis est, vt ea non aucuperis, at ab eis animum alienum præbeas oportet. Egregiè hæc animo complexus Samuel, cum renuncia-

P. Dam. l. 2. ep. 2. D. Basil. & hier. int. d. c. Isai.

nunciato iam Rege populi regimen exuens, populum Magnatesque aduocans facultatem eis dedit, vt de administrato regimine arctissimam rationem exigerent
A à se, omniaque sibi obijcerent, quæ iniquitatem olere viderentur; hoc autem ad duo præsertim genera retulit, hoc est ad manifesta latrocinia, & ad munera accepta. *Loquimini de me coram Domino & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi*; vides igitur, vt acceptatio munerum simul cum furto connexionem quandam sortiatur?

Tanti momenti (sic verba Samuelis intelligas) est, tantique ponderis ad meum nomen, meæque famam integritatis custodiendam, quòd omnibus innotescat fides & candor, quem in meâ regiminis administratione seruaui, ne tenuissimum quidem munus accipiens, vt humanæ cuiusquam legi me subijciens, censores exactoresque vltrò aduocem, vt me de repetundis expostulent: & tamen tunc temporis asperrima lex *repetundarum* obticebat.

B Quis autem credat? nullus in populo tàm copioso fuit, qui de munere aliquo vel iustis vel benignis è causis dato, tot annorum interuallo Præfecturam administratam arguisset? quapropter inter illustrium virorum præconia illustre etiam hoc est, quo posterorum memoriæ nomen Samuelis commendatur, tantusque vates simul & Princeps prudentiâ æquè ac sanctitate celebris illustratur. *Ante tempus finis vitæ suæ testimonium perhibuit, quod pecunias, & vsque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accusauit eum homo*. Sed illud etiam cum D. Hieronymo perpendas velim, in sacro nempe codice de Samuele haberi, quòd dum palabundas sui Patris asinas Saul inquireret, oblatum Samueli fuit munus, hoc est quarta Sicli pars. *Ecce inuenta est in manu meâ quarta pars Sicli &c.* oblatum quidem legitur, non acceptum; quin potiùs vagantem Saul ipse domi hospitem excepit & pauit: quid si etiam recepisset? tenue adeò munusculum erat, vt non integrè impertitam hospiticœnam compenset: *Siclus enim viginti obolos habet, & quarta pars Sicli quinque sunt oboli*. Sic Hieronymus: Denarium iuxtà Romanam mensuram confecissent; audactèr igitur & verè pronunci- C ciare poterat Samuel à quocumque semper munere se fuisse semper alienum. *Vtinam & nostri sacerdotes, non pretia villarum, sed quinque obolos acciperent*. Ecci. 46.22. D. Hier. in c.3. Mich. 1. Reg. 9.

Quantæ fœditatis & dedecoris in populorum Præfectis auiditas munerum sit, quàm optimè Vates sanctissimus intelligebat; quàm populi offensiones augeat, quàm diuinam gloriam minuat, & forte cælitùs illustratus ex eâ tunc ætate agnouit, quàm facilè lues hæc ad nostra hæc tempora serpere deberet, plurimos è sacris viris infectura, qui non æthereа, sed terrena, non æterna, sed fluxa meditantes, eum gloriæ fulgorem obscurantes, quo sacra thiara splendescit; se ipsum iterum penitùs expurgaturus, ea confidentèr verba pronunciauit, quibus magnus Gregorius etiam sua subnectit. *Cum reprobi Pastores præsunt, principale eis propositum est, in rapinâ subditorum; quia enim æternorum bonorum abundantiam aspicere nesciunt, quo præsentia ardentiùs concupiscunt, eò auidiùs oblata recipiunt: non oblata violentèr tollunt, innocentibus insidiantur, debiles opprimunt, munera accipiunt, iuraque peruertunt*. D. Greg. l. 5. c. 2. in 1. Reg.

In eiusdem Samuelis filijs hoc egregiè patuit; hi enim paternam integritatem
D obliti, opumque augendarum immodicâ cupiditate capti, cùm se muneribus accipiendis faciles ostenderent, eò despicientiæ & contemptus apud populum deuenere, vt à supremi sacerdotij infulis induendis, quas parens optimus gestis sanctissimis illustrauerat, repellerentur; adeò vt Hebræi Numinis patrocinio, quo in suæ Reipublicæ regimine gaudebant, spoliare se maluerint, quàm eos ad Præfectos eligere. Vt enim Diuinus scriptor testatur, *declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium*: vides his, vt mutuâ quâdam connexione crimen vnum aliud trahat, & velut catenam efficiat? munerum cupiditatem auaritia excitat, è muneribus iustitia vitiatur: audi Gregorium Pontificem, *notandum quia ardor auaritiæ causa est accipiendorum munerum, & acceptio munerum causa peruertendi iudicij*. Cui paritèr Damianus adhæsit, qui hoc insuper addit, nullo alio crimine se Samuelis filios implicasse, & ex vnâ tantùm 1. Reg. 8. 3. D Greg in 4 lib. Reg. c. 4.

1. Reg. 8. D Pet. Damian. l. 1. ep. 2. ad Episc. Cardin. tùm è munerum acceptione famam simul & virtutem amisisse. *Notandum est, quod cum de illis scriptura dicit. Declinauerunt post auaritiam, acceperunt munera; protinus intulit, peruerterunt iudicium, atque contiguum est, ut post munus acceptum peruertatur etiam, corrupto censore, iudicium.* A

Act. 20. 33. 1. Cor 9. 19. 2. Cor. 9. 19. 1. Thes. 2. 9. 2. Thes. 3. 8. D Gregor. hom. 18. in Ezech. act. 18. 2. Samuelis gloriam Diuus Paulus æmulatus, non semel, at sexcenties hoc ipsum de se explicauit, vt omnibus populis, cunctisque ætatibus compertum esset, se licet omnium egenum, ab omnium muneribus declinasse, nullique molestiâ vllâ allatâ, suis sibi manibus victum tenuissimum comparasse; temperantia hæc in admirationem Pontificem Gregorium adduxit, cum perpenderet Apostolum, vt acta nobis Apostolica fidem faciunt, annum cum dimidio cum Corinthijs transegisse in Christianæ legis perfectione eos informantem, & tamen confidentèr eis dixisse, *& cum essem apud vos, & egerem, nulli onerosus fui*: quòd si de 2. Corint. 2. 9. tàm rigidâ abstinentiâ eum postulaueris, in promptu responsum eius erit, se nempè ad euangelicæ fidei decus & maiestatem tuendam, tàm parcè vixisse, & vt discrimen pateat, quo veri & commentitij Christi discipuli distinguuntur. B d.c.2.11. *Quod autem facio & faciam, vt amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, vt in quo glorientur, inueniantur sicut & nos: nam eiusmodi pseudo Apostoli sunt operarij subdoli &c.*

D. Hier. 2. Quòd autem facilis munerum acceptio decus & famam Præsulum labefactet obscuretque, Diuus etiam Hieronymus acerrimi vir ingenij docet, qui Nepotianum suum admonens illud etiam addit, quod illi ipsi, qui supplices ad ea recipienda nos impellunt, beneficio accepto, minori pretio nos habent, maiori vtique nos habituri, si ea repulissemus: *Nescio enim, quomodò etiam ipse, qui deprecatur vt tribuat, cum acceperis, viliorem te iudicat: & mirum in modum si eum rogantem contempseris, plus te posteriùs veneretur.*

§. II.

C

QVàm profectò nominis immortalitatem & gloriam sibi compararuerunt è reiectis muneribus tùm Cardinalis Martinus, tùm Gaufridus Carnotensis Antistes! in eis certè commendandis sui vim & vbertatem ingenij D. Bernardus impendit. De primo fidem facit, quòd cùm in Daciâ opulentissimâ regione, auri argentique feracissimâ Legatum Pontificium ageret, redux in Italiam fuit tàm pauper & inops, vt viæ longique itineris sumptus explere non potens, vix se Florentiæ dederit, vbi ab eius vrbis Episcopo donatus equo fuit cuius commodo ad Aulam Pontificiam tùm Pisis commorantem accessit: vnà cum ipso Episcopus idem iter illùc habuit, vt institutam ibi litem tùm suâ præsentiâ, tùm amicorum patrocinio foueret, è quibus Cardinalem fore Martinum sperauerat ob præstitum illi equi beneficium: at re verâ vota eius inania ceciderе; vt enim petitionem audiuit Pontificius Legatus, remisso protinùs ad eum equo respondit: *Decepisti me: nesciebam tibi imminere negotium, tolle equum tuum, ecce in stabulo est*; turpissimam enim suo nomini notam iniuri ipse putabat, si suum ipsi patrocinium concessi equi pretio vendidisset: ad hæc Pontificem alloquens Diuus Bernardus in hæc erupit. *Quid dicis, Beatissime Eugeni? non ne alterius sæculi res est, redysse Legatum de terrâ auri sine auro, transysse per terram argenti, & argentum nesciuisse? donum insuper, quod poterat esse suspectum, illicò reiecisse? O si talium daretur virorũ copia, quid te feliciùs? quid tuo sæculo iucundiùs? cum quàquà versum stipatum te videres tàm inclito agmine beatorum.* D

D. Ber. l. 4. de Consid. c.

D. Ber. eod. l. 4. De altero Diuus idē Bernardus testatur, quòd, cùm diù suismet sumptibus Legarum Pontificium sapientissimè & fortissimè in Aquitaniâ egerit, & eum semel ei Presbyter, quidam silurum ingentem ei largiretur, ab eo vir pijssimus flagitauit quanti nam piscem eum emisset, responsoque ab eo accepto se denarios quinq; soluisse, totidem solutis ei denarijs piscis donum recepit. Pagum quemdam semel idem profectus ab eius pagi Dominâ illustri fœminâ eleganti linteo, simul cum tribus lignei patinis affabrè elaboratis donatus illicò fuit: munus & laborem

rem Artificis diù commendauit Antistes; at posteà magnanimè reiecit. *Quando*
A *argenteas, recepisset, qui ligneas refutauit? non fuerunt qui possent dicere Legato, ditauimus Abraham.* Sic de eo Bernardus. In vit. eius c. 3. ...

Nulli horum secundus magnus Angliæ Cancellarius Thomas Morus fuit; eum enim ad suum sibi patrocinium in re magni momenti comparatura fœmina illustris vidua calicem aureum dono ad eum misisset, acceptum ille vinoque impletum ei restituit: Inusitatum hoc & mirum in eo non fuit, qui cum à primâ adolescentiá vsque ad extremam senectā illustrissimos & opulentissimos Regni Magistratus gubernasset, septuaginta tantùm aureis annuos suos census maiores effecit; hoc sanè vno, licet tot alia deessent clarissimi viri ornamenta, eius integritas & rectitudo esset immortalitati cōmendanda An non igitur longè pretiosior fama & integritas est quā sibi huiusmodi viri è reiectis muneribus cumularunt, quàm ea omnia fuerint, licet opulentissimæ Reginæ Sabæ munera, quę ab alijs excepissent?

Diuum Hilarionem prætereo, qui ex innumeris clarissimisque prodigijs in
B Siciliá patratis ad grati animi speciem oblata munera ingentiá constantissimè semper recusauit: quamobrem eius discipulus Esychius, cum toto ferè peragrato orbe eum quæsiuisset, tandemque in eius oræ littore inuenisset, mirandum illud, vt Diuus Hieronymus testatur, audiuit. *Nihil in eo itá cunctis admirantibus, quàm quòd post tot signa, atque miracula, ne fragmen quidem panis à quoquam in illis locis accepisset*: adeò vt, magis ex istâ constantiâ, quàm ipsis miraculis mirandum se cunctis exhiberet. Quin inter ipsos etiam Ethnicos tanti fuit habita virtus hæc, vt ex eis multi in gloriæ curru triumphum egerint, & commendatissimi fuerint omnibus, centenis suis linguis eos famâ celebrante. De Quinto Fabio, Quinto Vgolino, Caio Numerio quis ignoret, quòd cùm ad Regem Ptolomæum legatione à Republicâ suscepissent, magnificentissima dona, quibus ab eo Rege fuerunt decorati, in Reipublicæ commune ærarium deposuere, solam sibi seruantes gloriam, quam suæ Republicæ seruientes retulerunt; Phocion verò, cùm ab Alexandro Magno centum talenta, sexaginta scilicet, ni fallor, aureorum millia recepisset, eum interrogans, qui Alexandri nomine tàm
C ingentem auri vim offerebat, de ratione qua, tot alijs in Atheniensi vrbe posthabitis, se vnum tanto munere Macedo decoraret, respondente illo, eò quòd te vnum cæteris clariorem & honestiorem arbitretur, reiectatâ pecuniâ Regiâ respondit; *ergo sinat me talem & haberi & esse*; habes hæc à Plutarcho. O animum sanè integerrimum & magnanimum! O inuictum Heroem, qui priuatus eques cùm esset, non tantùm ad suas opes augendas magnificentissimi muneris titillationes & vim constantissimè superauit; at illud etiam ostendit, fieri nequaquam posse, vt duo hæc simul vniantur, munera scilicet, & integritas!

Hieron. in eius vitâ.

Plutar. in Apoft.

Parem his sibi gloriam comparauit Demetrius Cynicus; huic enim, cum Cæsar talenta decem dono dedisset, magnanimum illud effatum adeò à Senecâ commendatum, & fastis æternitatis inscriptum pronunciauit. *Cæsari dixeris, quòd si tentare me constituerat, toto illi eram experiendus imperio.* Senec. de benefic c 4.

§. III.

D

NEC tantùm gloriæ iubar munerum acceptio denigrat & extinguit, sed libertatem ipsam captiuat & rapit, iuxtà vulgarem paræmiam. *Qui accipit, libertatem vendit.* Maleficia quædam ea dixeris, quibus animus fascinatur & deuincitur, dum offeruntur; postquàm veró recepta fuerint, tenebris mentem obruunt, adeò vt ad ea cœcutiat, quæ videnda essent, & ad ea obmutescat lingua, quæ iuxta leges honestatis prohibenda essent, vel præcipienda. Optimè igitur Diuinus Spiritus, *Nec accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum*; quòd etiam validiùs Ecclesiastici ore confirmauit, *Xenia & dona excæcant oculos iudicum*: è Græcâ dialecto habetur, *Sapientum & quasi mutus in ore auertit correptiones eorum*: è Complutensi habetur: *& quasi frænum in ore auertunt correptiones*: quæ interpretatus Paulus de Palatio, per-

D Amb. in 2. a Corin. c. 8.

Aureol.

Exod. 23.8

Eccl 20. 31

Pau. de Palat.

doctè

doctè ait, pattatis à Christo miraculis hæc longè aduersari; illæ enim oculos & verba reddebant, hæc rapiunt. A

Quidnam infœlicius recogitari potest, quàm tàm densâ terrâque caligine Præsulum oculos à donis acceptis suffundi, vt ne quidem ea videant scelera, quæ populi totius oculis patent & damnantur? formidandum maximè illud est, quod Apoc.3.15. Deo mandante Laodiceno Antistiti Ioannes scripsit. *Vtinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo; quia dicis, quòd diues sum & locupletatus, & nullius egeo*: Diuinâ beneuolentiâ destirutum eo tempore fuisse Episcopum arbitrantur Sanctus Ambrosius, Ribera, & Alcazarius, sed quod nam eius crimen esset, ignorant: Andreas Areta & prænobilis alius scriptor in eâ sententiâ sunt, qua docent, quòd cùm Andr. Aret. Velasq. opum ipse esset amantissimus, vt ex allatis verbis colligitur, aliena munera affectaret, quibus adeò cœcutiebat, vt largitorum scelera nec argueret, nec videret; è medicamento hoc ipsi colligunt, quod in eàdem epistolâ exhibetur: Apoc.3.10. *Collirio innunge oculos tuos, vt videas*: vt oculos curet admonet, & simul cum B visu libertatem recuperans, sui sacerdotij vices expleat, dona in posterùm aliena repellens: quandòquidem egregiè, vt assolet, vit clarissimus Ambrosius, *Munera excæcant oculos, & vim auctoritatis inclinant*.

Proh Deus! ad hæc quis non contremiscat? Episcopus hic erat, eiusque ætatis Episcopus, quæ cum aurea esset, vitiorum sordes in Episcopis respuebat: nec enim vel ambitionis aurà, vel Principum patrocinij vi ad sacra subsellia euehebantur Præsules, at solius virtutis suffragio probabantur: eum certè Aureolus opinatur Diuum Sagatem fuisse, qui epistolæ illius adhortatione ad melius vitæ genus excitatus martyrij lauream fœliciterà adeptus, teneram adhùc fidei vineam suo sanguine irrigauit: hic tamen donorum fascino irretitus, suam integritatem prostituerat, suique muneris oblitus fidem suo domino debitam deserens, tùm suam tùm alienam salutem in maximum discrimen adducebat. O ad instruendos Principes & Præsules omnes aptissimum documentum! O vim planè magicam & Circæam, qua munera insolescunt, adeò vt ea offerentibus illud optimè ex Ho- C mero possit aptari.

Homer. odis. *Corripuit virgam, quæ mulcet lumina somno*
Quorumcumque velit: soluit quoque lumina somno.

Sic profectò se res habet; verùm non oculos tantùm dona excœcant, sed loquelam etiam ex ore auellunt, ita vt opportunitate datâ sermo haberi non possit, Eccl.20.31. *& quasi frenum in ore auertunt correptiones.*

Lepidissimum illud ad hanc rem est, quod Plutarchus, & Aulus Gellius scribunt; cùm enim Græcæ facundiæ Princeps Demosthenes ab Atheniensibus eligeretur ad Senatum excitandum, ne auxiliares suppetias, quas Milesiorum Legati postulabant, Athenienses concederent, pridie quàm concio haberetur, Senatusque animos concitatâ suæ eloquentiæ vi Demosthenes agitaret, ingenti auri copiâ Demosthenem Legati donarunt, manè igitur facto ad Senatum Demosthenes accessit collo fascijs obducto, & ab agendâ oratione se excusans ait, nocturno se tempore anginâ aggressum, locum non posse dare sermoni: Substitit ad hæc è Senatoribus vnus, & cum aliquid de Milesiorum munere ei innotuisset, respondit Demosthenem *non Synanchi, idest anginâ, sed Argyranchi, hoc est argentariâ laborare*. D

Plutarc. in vit. Demo. Aul. Gellio noct. attic.

Da mihi igitur Præsulem munera affectantem: Argus hic erit totus oculeus ad eorum circumspicienda crimina, qui ab eo donando se abstinent: sed ex aduerso Talpa erga eum munerantes: in illos tùm oculos tùm verba torquebit, in hos ne leuissimam quidem voculam effundet; cum istorum noxæ ad munerum splendorem aspectæ, longè ab omni fæditate & supplicio videantur. Probè igitur D. Anselmus; *laquendi libertatem amittit, & peccat, qui ab ea accipit, qui ideo dat, ne corrigatur*: munera subditorum ad vnius tantùm Præsulis amorem diriguntur; donis eius libertatem obstringere moliuntur, ne correptione obarmati in eorum mores irrumpant.

D. Ansel. in 1. Corinth. 4. 12.

Hinc porrò factum est, vt tàm austerus & Religiosus hæc in re Apostolus fuerit;

rit; cum enim honestè posset è Christianorum elargiris opibus sibi victum vesti-
A tumque parare, adhùc tamen suorum laborum vi voluit suæ paupertati prospi-
cere: *Laboramus operantes manibus nostris*; vt liberè corripere non vitia tan- 2.Cor.4.12
tùm posset, sed vitiosos, absque eò quòd de opibus & beneficijs in eum collatis
obiurgare eum vlli aliquandò fas esset; iam audi eundem Anselmum. *Propter* D Ansel. in
aliam causam apud iustos laborauit Apostolus, & propter aliam apud Corynthios: ad Thessal.
Corynthy enim tenaces erant, & multis vitijs occupati, & si quid Apostolo dedis- c 3.
sent, videretur eis, quod Apostolus deberet leniùs erga eos agere, nec eos arguere,
nec aspere increpare, sed eis blandiri propter dona ipsorum. Ad quam etiam sen-
tentiam alia Apostoli verba idem Anselmus refert, ad Corynthios scripta, *omnia* Cor 2.6.12.
mihi licent; sed ego sub nullius redigor potestate; hoc est, quis ignorat mihi vtiq; D.Ans.ibi.
licere, de altari cui seruio, eleemosinam mihi præparare? sed libertatem, quâ
omnes arguendi fruor, tàm exiguo pretio deperdere nefas sit; authoritatem
mei ministerij nolo minuere, nec vnquam opportunitatem alicui dabo, quâ col-
B lata mihi beneficia exprobret. Omnia mihi licent, *sed ego propter ista stipendia*
non redigar sub potestate alicuius, vt authoritatem meam per sua dona humiliet. Sic
idem Anselmus.

Si ergò ad sua dona conniuentem Diuum Paulum Gentium Magistrum, Dei
Nuncium muneratores cupiebant; quàm ardentiùs de nobis hoc idem peraue- Guissan in
rint, qui ad eius Giganteæ molis altitudinem cubitales Pigmęi videmur? eius vita
Sanctus Carolus, quale nomen! Sanctus Carolus oblata dona reiectans assere- l. 2. c. 4.
bat, facilè ad muneratoris beneuolentiam & fauorem suum animum flectendum,
si vnquàm ab eo vel munusculum accepisset. Quot enimuerò Præsules sunt, qui
à Fide Deo debitâ non discederent, nisi ad fidem muneratoribus debitam obstrin-
gerentur? Ni muneribus obstruerentur ora, quàm facilè, quàm validè Episcopi
oblatrarent in vitia, effrænesque Lythurgorum mores morderent? Quot è diligen-
tiâ & vigilantiâ in Domini grege seruando canes Domini vocarentur, qui ta-
men è munerum voluptate inter eos enumerantur canes, quos mandante Deo Isaia 56 10.
C corripuit Isaias Vates & vocauit, *Canes muti non valentes latrare*; quo pacto
latrauerint si obstructum os habent? quòd si tricipiti Erebi Cani hoc idem con- Eneid 6.
tigisse fabulatur poësis; an domesticis etiam canibus euenire posse negaueris? D Petrus
vt enim elegantèr Diuus Damianus scribit, *acceptis muneribus si contrà datorem* Damianus.
quid agere volumus, mox in ore nostro verba mollescunt, locutionis acumen obtun-
ditur, lingua quodam pudoris erubescentiâ præpeditur: Mens quippe percepti mu-
neris conscia, debilitat iudicialis censuræ vigorem, reprimit eloquentiæ libertatem;
nam & si iudicij rectitudo funditùs non adimitur, iudicandi tamen auctoritas ener-
uatur.

Deteriora etiam explicanda supersunt; quis credat? ipsa etiam sacros ordines
& sacerdotia dignis viris conferendi libertas deperditur, dum alij muneribus
eas sibi prærogatiuas adoptant, quibus spoliantur. A quocumque Præsule Deus
auertat, vt in hanc scelerum voraginem ruat, & tàm purulentâ peste se imma-
culet: fieri namque non potest, vt in vno crimine quàmplurima crimina, nodi
instar Gordij, se simul misceant, & glomerentur. In hoc fidem faciente D.Hie-
ronymo, fertur Michæas Vates hoc stilo. *Audite Principes Iacob, & Duces do-* Mich. 3, 1
D *mus Israel, numquid non vestrum est scire iudicium &c.* Ducibus & Principibus
hisce Præsules exprimuntur, qui munerum & muneratorum copiam affectantes D.Hier.ib
ad sacros ordines, & Ecclesiastica sacerdotia ineptos, indignosque viros eligunt,
magnam eis peccandi materiem suppeditantes, Angelicum ministerium illis elar-
gientes, suorum sordibus operum deturpandum: recitentur verba Hieronymi.
Principes siu Duces domus Israel non sunt alij, nisi Episcopi: hi quotiescumque
ordinant de asseclis suis Clericos, & vitam eorum exponunt in scandalum aliorum,
rei sunt; cumque Sacerdotes Malachias Angelos vocet, & os eorum Oraculum Do-
mini sit, sine munerum acceptione non iudicantes, legentes in Deuteronomio, munera
excæcant oculos etiam sapientum, & quasi frænum in ore, auertunt increpationem.

Fontem hìc habes, è quo incommoda omnia, de quibus superiùs egimus,
copiosè deriuantur. Hinc enim fit, vt ignaui, & ignari suum Clerum compo-

nant: hinc remota legum obstacula: hinc virtus exul, & vitium ciuitate donatum: hinc reiecta probitas, & tantùm admissa liberalitas: hinc paulatim in A Diuina septa simoniæ mercimonium irrepens, absque eò quòd eius fœditas agnoscatur, eiusque nullus ne leui quidem religione tangatur; quàm grauitèr sit hoc,
D Greg. l. 7 indic. 2. ep. 112. deflendum accipe, à Diuo Gregorio: *quid per hoc aliud agitur, nisi vt nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio; sed ille solummodo dignus, qui dare pretium sufficerit, æstimetur.*

§. IV.

IN sacræ libertatis euersione munera non sistunt aut quiescunt; ad excidium
Prou. 18. 10 enim nostræ conscientiæ progrediuntur, iuxtà ea Diuini Spiritus verba. *Victoriam & honorem acquiret qui dat munera; animum autem auferet accipientium.* Donare videtur donans, at re verâ rapit, non donat, quin etiam conscientiam B ipsam impurat; affectare vlli dona non datur, qui se ipsum non prodat, & eâ pari mensurâ, quâ facultates augere sibi videtur, sua merita, suasque virtutes ad Cæli terræque aspectum latè diminuit, tùm hominum famam, tùm Dei beneuolentiam deperdit; quotque munera imprudens domi recipit, tot hostes fouet; quibus dum blandè prosperari domestica res videtur, turbatur, euertitur: Regi
Prou. 15. 29 Salamoni fides sit hæc loquenti. *Conturbat domum suam qui sectatur auaritiam; qui autem odit munera, viuet:* Septuaginta legunt: *Dispergit seipsum acceptor munerum; qui odit munerum acceptiones, saluatur.*

Infelix Balaam hoc abundè testetur, qui Diuo Damiano docente, Eligius vo-
D. Pet. Damian. l. 2. ep. 2. cabatur, & vaticinij dote insignitus: Mohabitarum Regis munera hic repellere nesciens, oculis adeò caligauit, vt nec ea videret, quæ asina prospiciebat, ad auri oblati fulgorem famæ lumen denigrauit, & vaticinij prærogatiuam ipsismet sydetibus illustriorem deperdidit, animamque Sole ipso clariorem extinxit: quàm turpitèr in alterum hic se commutauit, docente Damiano, *dum tamen auaritia paulatim declinasset in vitium, de Prophetâ factus Ariolus, de Ariolo conuersus perhibetur in Magum.* Obitèr hic perpendas velim, Eliu hunc ipsum fuC isse, qui vt in primâ huius capitis paginâ indicaui, sanctum ipsum Iob de mu-
Iob. 36. 28. neribus repellendis erudiuit: *Nec multitudo donorum inclinet te:* quanta receptorum munerum vis sit hinc collige; hic enim qui alios illustrauit, se ipsum excæcauit.

Cæsaræ Præfectus Felix infelix hoc idem testatur: hic enim vnà cum Drusillâ sorore, Apostoli verba frequentèr audiens, de Christianâ lege eos informantis, nihil vtilitatis ab eo recepit: causam quæris? dabo; munerum fuit appetentissimus: Christianæ fidei pretiosissimum Thesaurum erogare ei Apostolus cupiebat,
Act. 24. 24 & inf. cum tamen ipse mundi opes & sæcularia dona ab eo expectaret, *simul & sperans quod & pecunia ei daretur à Paulo*, quàm profectò iste cœcutiebat! opum omnium imò mundi ipsius contemptum Paulus commendabat, & ab opum contemptore opes iste miserrimus exquirebat: Egregiè igitur ad hæc Chrysostomus, *quomodo pecuniam scelesie, ab homine contrarium prædicante inquiris?*

Admirandum præ omnibus hac in re illud mihi de Dauide videtur: Quanti D viri nomen hoc est! ad Diuinæ voluntatis amussim Dauid conformatus, & præ sui animi sublimitate supra humanam ferè naturam euectus, munerum vi captus veluti fascino fuit, quibus vitiatus posteà in flagitium æquitati maximè dissentaneum præceps ruit: cum enim perduellis Abfalonis filij iram fugiens deflecteret, Siba famulus Miphiboseth Ionathę filij cum occurrit, panem, vinum, aliaque edu-
1. Reg. lia, quibus vesceretur, ad eum abundè ferens, & vnà cum iumentis, quibus ea portabantur, offerens; tùm per summam imprudentiam pronunciauit, Dominum suum Miphiboseth adhùc Hierosolimæ commorari, vt Regalem sui sedem sibi iterùm recuperaret. Quis ad prima verba non deprehendisset scelus, quo sui Domini famam nefarius iste nebulo prodebat? quis vnquam persuasum sibi animo habuisset, vt Miphiboseth vtrimque claudicans, famulis, affectis, potentiâ

diest-

destitutus sceptrum ei rapere moliretur? eo præsertim tempore, quo Absalonis
A partibus totum ferè Palæstinæ imperium adhærebat: his nihilominus haud recogitatis, Dauid tantâ mentis perspicaciâ, prudentiæ, & experientiæ magisterio insignis, ad exiguum munus adeò caligauit, & turbatus mente fuit, vt nullâ consultatione adhibitâ, re non discussâ, eorumque oblitus, quibus amantissimè se ipsi obstrinxerat Ionathas, omnia Miphiboseth bona *ex abrupto* proscripserit, eaque Sycophantæ illi famulo impertiuerit, cum potiùs furcâ omnibus suspendendus videretur. *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth. Dauid Sanctus ex verbis & dono huius adulatoris in tantum fuit deceptus, quòd sine verborum eius examinatione dedit ei hæreditatem Domini.* In his patrandis Diuo Hieronymo, Hugoni Cardinali, Rabano, Abulensi, Caietano, alijsque compertum satis est, Dauid lethali se in iustitiam crimine polluisse: quia verò ex vno crimine facilè aliud infertur, licet Miphiboseth suam innocentiam & fidelitatem patefaceret, iniquissimam Sibæ proteruiam ostendens; adhùc tamen à suâ sententiâ vix
B Dauid abscessit, suorum medietatem bonorum tantùm ei restituens, medietate aliâ Sibæ collatâ, ex amore, quo illum pro dato munere prosequebatur. *Tu & Siba diuidite possessiones.* Quamobrem è maiorum doctrinâ Hebræi acceperant, huius diuisionis in pœnam, quâ Miphiboseth bona inter eum Sibamque diuisit, Dauid Regnum bipartitum inter Salomonem & famulum Roboamum: ex his clarè cuique constat optimè à Petro Blesensi pronunciari; munera iniustitiæ crimen secum priùs afferre, indè supplicium: *Peremptorium est in Principe, vel auram adorare munerum, vel fauorem quærere personarum; Teste si quidem Prophetâ, in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus. Transibunt verò iniquitates in pœnam, & munera in dolorem, quia testimonio Iob, ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libentèr accipiunt.* Cothurnatus verò Seneca Nuncium Tragœdijs suis immiscet, Creontis regnum è muneribus ab eius administris acceptis, immedicabili excidio deletum: In fulmina conuertuntur munera, quibus muneratores euertit Deus ob crimina ex illis deriuata;
C ferendum tamen aliquatenus esset, si temporanea tantùm hæc supplicia essent, & in vnius domus parietes & commoda vibrarentur: æterna immortalium cruciatuum supplicia parantur, quibus animus inutilitèr ingemiscet: ad eius lancem Iudicis illa munera sunt expendenda, quem nec verba demulcent, nec munera fascinant, nec nominis nobilitas vincit.

d.c.16.4. Lyran ibi.

1 Reg. 29. 29 Reg 12. 10. & inf. Auctor traditionum 3.

P. Blef. epi 10 ad Seuel. Reg. Sicil. Psal 25. 10. Senec. in Medea ac. 5

Sapiens igitur ille audiat, cælestisque gloriæ amator, qui munera vt viperas inspiciat, virulentâ eum tabe infecturas; muneratores verò vt fures, qui ad eum expoliandum accedunt, vt hostes, quibus ne præceps agatur, struuntur insidiæ; illudque animo suo imprimat, quod ad Ianuensem Rempublicam Diuus Bernardus scripsit. *Ego iuxta illud Poëtæ, vt verum fatear, semper timui Danaos, & dona ferentes.*

Mercimonia nostra, nostræ opes, thesauri nostri populi sint: his acquirendis toto studio hæreamus, his aucupandis euigilemus, & muneribus quibuscumque rectis, illud cum Paulo gloriosè vsurpemus, *Non ero grauis vobis: non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos.*

D Verùm haud satis est, vt nos ipsi tantùm à recipiendis muneribus animum auertamus; de famulis & administris nostris hæc eadem sollicitudo gerenda, ne vel iustitiam hi prodant, vel illi nostra beneficia vendant, eis tantùm ostiaria vela aperientes, quibus munerantur. Grauitèr admodum de Vicarijs nonnullis D. Ambrosius conqueritur, quòd adulterorum Mystarum muneribus obcæcati, ad ea crimina conniuerent, nullamque vel leuem operam ad eos è tàm fœdis sordibus eripiendos adhiberent. *Est & aliud scelus valde pessimum, quod ab ijs, qui Archidiaconi appellantur, committitur: nam ab Adulteris Presbyteris pretium accipiunt, & tacendo malum, consentiunt, quod per auctoritatem, quam ab Episcopis acceperunt, emendare possent.* illud etiam de famulis dicendum, satis nempè nos è graui supplicio edoceri, quo Iezi mulctauit Elisæus: si tamen hoc inutile fuerit, saltem illud nobis adhæreat, quàm plurimos scilicet inueniri tùm in aulâ Romanâ, tùm alibi, qui è famulorum ingluuie famam suam dehonestarunt; & animi inte-

D. Ambr. in cap. 11. Ap. tom. 3.

integritatem non leuitèr obscurantes, tùm hominum, tùm Dei sibi odium compararunt. A

§. V.

NON quæcumque tamen munera reijcienda videntur, cum aliqua Iudicibus & causidicis leges permittant, ea scilicet, quæ ad mensam spectantia, biduò, vel triduò possunt absumi: Plebiscitum de hoc Romani statuerunt à Modestino allatum, & recensitum in Pandectis. *Plebiscito cauetur, ne quis Pra-*
l plebiscito. *sidum munus donumque caperet, nisi esculentum, poculentumque, quod intra dies*
18 ff. de off *proximos prodigatur*. Quod idem Paulus secundus ad Ecclesiasticæ ditionis Iu-
Præsid. dices diploma suum dirigens confirmauit. Anxuri etiam lapidi insculptum mo-
Paul 2 côst. numentum visitur, quo narratur, quòd Eugenius Tertius iudicibus præceperit,
3 in Bull. ne dum causa agitur, quidquam recipiant à clientibus, at post latam sententiam, B
Baro. ann. *verecundè & cum gratiarum actione susciperent*: quod etiam intelligendum est,
1 35. dummodo eo animo sententia lata non fuerit, vt ex illâ sibi munus acciperent; hoc namque bono ipso abuti esset, vt Diuus Gregorius docet: populi oblocu-
C. qui rectè tiones facilè patitur iudex ille, qui vel esculenta munera recipit; qui enim
66. 1. q 3. sententiâ latâ percutitur, iniustam arbitratur è munerum vi, quibus aduersarius iudicis æquitatem vitiauit; qui verò ad ea excipienda mutilum se præbet, & mancum, obstruit maledicorum ora, & calumnias suâ virtute suffocat, hoc sanè modo Plinius se gessit à ratione quam affert. *Oportere, quæ sunt inhonesta,*
Plin epist. 5. *parumque decora, non quasi illicita; sed quasi pudenda vitare*. Quantùm autem
D. Anton. hoc Deo placeat, ex eo satis argui potest, quòd de viro Ethnico Diuus Antoninus refert; cum enim hic quoad vixerit, è veritatis amore nulli vnquam pro recipiendo munere vænalem suum sermonem fecerit, extremum iam spiritum exhalaturus, reliquo toto corpore extinctus, in suâ tantùm linguâ plurimum annorum interuallo vitæ spiritum seruauit, donec certior de hoc factus Episcopus, C cęlesti lauacro eum expiauit, postque ad superos fœliciter euolauit: si tanta hæc præmia Aethnicis viris largitur Deus, an non Christianis viris maiora paran-
Prou. 15. 27 tur? satis hæc tùm Salomonis ore nobis promisit Deus, *qui odit munera viuet*,
Isa. 33 15. tùm ex Isaiâ, *qui excutit manus suas ab omni munere &c. iste in excelsis habitabit*.
D. Pet. Damian. l. 6 ep. De Apostolicæ Sedis administris suâ ætate degentibus, narrante Diuo Petro
31. Damiano, habemus, munus omne ab eis reiectum, qui rem aliquam agendam habebant in Curiâ, sed ab alijs facilè ea recipiebant. Præfecti omnes & superiores mori huic adhæreant velim; vt enim apertè loquar, munera quæ sunt amoris argumenta, & venerationis amicorum speciem præbent, repellere, inurbanum quiddam est, rude, asperum, ipsique liberalitati repugnans: quam etiam ad rem epistolæ elegantissimæ partem recitat Vlpianus, ab Imperatoribus Vero, & Antonino olim scriptam; eam tibi & ipse do. *Quantum ad Xenia pertinet, audi*
L. solet. 6. de *quid sentimus, vetus prouerbium est. Nec omnia, nec passim, nec ab omnibus.*
off Proconf. *Nam valdè inhumanum est à nemine accipere, sed passim vilissimum, & omnia auarissimum*.

Nec absimili more se magnus Pontifex Gregorius componebat; hic enim, D cum Ianuarius Calaritanus Antistes ingentem ad eum frumenti copiam dono misisset, vendi illud illicò iussit, pretiumque ex eo relatum, ad Vitalem Sedis
D. Gregor. Apostolicæ in Sardiniâ defensorem remisit, vt integrum Ianuario restitueret,
l. 2. ep. 3. deque restitutione habitâ fidem scriptâ assumeret, assumptamque transmitteret: hoc tantùm effecit Pontifex, quandoquidem in eam dementiam deuenerat Antistes ille, vt cùm eius Consiliarios sacris interdixisset Pontifex, ex illo munere sperauerat Antistes sibi Pontificis animum conciliaturum: hoc pariter modo se gessit cum Fęlici Messanensi Hierarchâ, qui fortè in Aulâ Romanâ rem aliquam agendam habebat; gratijs enim illi à Pontifice amanter relatis, ne sumptus eius in eo remittendo munere augeret, vænale fecit, pretiumque ex eo collectum ad eum cum Epistolâ misit, in qua hæc habentur: *& quoniam non delectamur Xenijs,*

Xenÿs, palmatianas, quas tua direxit fraternitas, cum gratiarum actione ſuſcepi- D.Greg.l.1 ep.64.
A *mus; ſed eas, ne quod exindè potuiſſes ſentire diſpendium, digno fecimus pretio ve-*
nundari, & id fraternitati tuæ tranſmiſimus ſigillatim. Beneuolentiſſimè è contra
aliqua munera recepit, quæ non ſemel tantum, at bis ad eum miſit Dominicus
Carthaginenſis Antiſtes, eo quòd ab obſequentiſſimo eius Antiſtitis animo, D.Greg l.5 ep.19. & 62
longè ab alio vel mercimonij, vel beneficij recipiendi titulo prouenirent; illud
tamen non omittebat illis indicere, ſibi ſcilicet quocumque munere gratius fore,
optimas de populorum virtutibus relationes accipere. *Xenia vero temporalia à*
vobis directa, licet nos talibus non indigeamus, tamen cum dubià charitate ſuſce- d ep 62. in fin.
pimus: egeam autem de veſtra debità charitate, atque commiſſi vobis regiminis
ſollicitudine gratulari. Nec enim vlla voluptas ſupremo Pontifici delectabi-
lior & iucundior eſſe poteſt, quàm Epiſcoporum zelus, & cura, quibus ſui par-
tem regiminis confidentèr ipſe commiſit. Qui tamen duriuſculus, & ſatis reli-
gioſus ſuis in moribus erat Diuus Damianus, nunquam deuenire eò potuit, vt mu-
B nera vlla, vel ad vnius argumentum amoris exhibita reciperet: Lepidum quid ad
rem hanc ex ipſius Epiſtolâ habes, quam ad Præfectũ, & Aſcetas Sitrienſes, ſcripſit
quorum Abbatia plurima poſſidet in hâc meâ Eugubinâ Diœceſi: iam illud ac-
cipe non alio quàm ſuo ſtylo exaratum. *Mediolanenſem vrbem Domini Nicolai* D.Petr.Damian.l. 6. epiſ 31.
Papæ legatione functus, adiui, ibi dum eſſem, Abbas Sancti Simpliciani vaſculum
mihi argenteum loco muneris miſit, quod dum oblatum repentè vidiſſem, primo qui-
dem aſpernatus abhorrui, & cur ille mihi munus afferret, ſubtilitèr inquiſiui. Suſpi-
catus quippe ſum, ne ille negotium fortaſſis haberet; atque ideò me anticipando præ-
ueniens, muneribus occuparet. Mos quippè eſt apud nos, Miniſtros videlicet Apo-
ſtolicæ ſedis, ab his, quorum adhùc negotium pendet, nihil prorſus accipere; ab his
autem qui omnino quieti ſunt, ſi dare voluerint, non abijcere: & hæc regula non
omnium noſtrum, ſed illorum dumtaxat eſt, qui meliuſculè ſe ab auiditate cuſto-
diunt. Quid plura? Conuenitur ad commune colloquium, cur donum ſit largitus,
inquiritur, vtrum cauſam habeat ſciſcitatur. Vndique quietus ex omni reperitur
C *parte ſecurus, ità vt re ipsà reſpondere videretur: in medio populi mei habito, ad-*
hùc tamen, quæſiui, vtrum dum ad Eccleſiaſticos gradus aſcenderet, ſiue cum mona-
ſterij regimen ſuſcepiſſet, venalitatis fortè commercium irrepſiſſe cognoſceret. Cumq;
hæc omnia ille funditùs abnegaſſet, & non pro talibus ſe dediſſe munus aſtrueret, ſed
ob hoc ſolùm, vt in noſtram amicitiam aditum ſibi reperiret; reſpondi, vt, quod
ſuum erat, tollens amicitiam noſtram non more ſecularium mercede redimeret; ſed,
quod inter fratres eſt legitimum, gratuitò poſſideret. Inter hæc tamen, vt vobis
in aure loquar, mens mea talis erat, vt poſtquam etiam diſtrictè requirens, nihil in
eo noxium reperi, ſi ille mihi ad ingerendum munus importunus exiſteret, eius
mihi violentia nullatenus diſpliceret. Volebam ſiquidem vim mihi fieri, & velut
inuitus ad vota compelli. Cumque ille ad recipiendum quod ſemel dederat, ſe pror-
ſus auerteret, & ne aurem quidem petitionibus inclinaret; ego tàm ſecurus & auda-
cior factus, duriùs, vt ſua reciperet, ingerebam. Interea dies elabitur; cumque pe-
culiaribus pſalmis nocturnus meditator inſiſterem, cœpit me conſcientia acriùs remor-
dere, & quaſi ſub quodam ratiocinia conuenire: ſi ille, vt videtur, bonus eſt vir, in
innocenti homini ſuam voluiſti pecuniam tollere, cum illi capitulum non obſiſtat, in
D *quo tuum neceſſe ſit auxilium expectare; Porrò ſi negotium habet, indignum eſt, te*
ſancto fratri linguam tuam venalem facere, quæ tanquam vtriuſque communis ſibi
quoque debet, vt tibi, gratuitò miniſtrare. Cumque hæc aduerſum me pugna perſe-
ueranter ingrueret, iamque ego clamorem cogitationum remordentium non perfer-
rem, decedente crepuſculo, mox ad hominem properans, mancani, eique tabeſcentis
conſcientiæ vulnus aperui. Cumque vterque noſtrûm hinc inde inuicem confligerent,
& ille ſe, quod ſemel dederat, non recipere: ego me aſſererem non tenere; tandem ami-
cæ contentioni hunc ego terminum poſui: duo, inquam mihi noua ſunt monaſteria,
vnum ad calcem iam, Deo auxiliante, perductum; alterum vero, nec dum Epiſco-
pali dedicatione firmatum. Sanctorum itaque locorum, ſi placet, participium ſu-
ſcipe: atque, vt libet tibi, quod animæ tuæ proficere debeat, donum pro benedictione
tranſmitte. Hoc igitur argumento cupiditatis meæ turpitudinem palliaui, & tam-
quam

quam non accipiens, astutus accepi: postmodum verò ad eremum rediens, cellulam quidem festinus intraui, sed memetipsum intrare uix potui: & qui extra me inordinatè sum fusus, iusto iudicio in me sum postmodum, ut ita loquar, satis difficultèr ingressus. Inter cætera uerò, tanta animum meum muneris illius caligo confudit, & tamquam uermis scatens mea corrodere uiscera non cessauit, ut teste conscientiâ, mallè me leprâ percussum, quàm illo munere sauciatum. Attendebam porro illius tantam fratris liberalitatem, qua mihi nihil debebat, & obtulit; hinc meam auaritiam, qua, quod per officium non merebatur, accepit. Quid igitur? Rixam mentis mea ultra non perferens, sancto fratri munus suum remittere studui. Deinde, Deo auxiliante, dum uixero, contra sordes munerum iam cautiùs uigilabo. O illibatum animi A candorem ipsis fortè cælestibus mentibus comparandum! si tàm seuero supercilio de pulchris & speciosis rebus supplicium capiebat, quid ergo de fædis & turpidibus fecisset? O chrystallinum speculum, cui ad semetipsos componendos se semper obijcere deberent Antistites! O lydium lapidem, ad quem suorum operum experimentum facturi essent, vt dignoscerent, an ex auro sint adulterino, B an obryzo? mihi tamen hæc potissimùm accommodantur, qui Eugubinæ huic sedi tot annorum spatio a Sanctissimo Purpurato prudentèr simul, & piè gubernatæ indignè præficior.

De Correctione ab Episcopo proximis faciendà.

Cap. XVII.

AD debitam rectitudinem seruandam, ea nunc agamus oportet, quæ ad vindicem iustitiam referuntur; ne aut Pastorum & Patrum amorem exuamus, ab illis supplicijs exordium capiamus, quæ non verbere aguntur, at linguà: parcere interdum gladio, paterni amoris est, nec ferro, sed verbo ad meliora consilia filios reuocare; priusquàm baculo percutiatur, Pastoris est sibilo errantem ouem admonere; & iustiori viæ reducem dare. Quia frequentèr accidit, vt vel rei dexteritate & potentiâ, vel ex ministrorum infirmitate & vitio, nullus alius remedio locus detur ad crimina coërcenda: quo euentu necessaria C
Matth. 18. 15. planè est correctio iuxtà legem, quâ nobis eam magister cælestis præcepit. *Si autē peccauerit in te frater tuus, uade, corripe eum inter te, & ipsum solum*: quâ lege licet omnes, iuxtà Diui Augustini, & Aquinatis doctrinam, Christiani nominis
Eccl. 17. 12. D. Aug. l... de Ciuitat. 7 Dei c. 9. 10. 15 Ezech. 33. 6 asseclæ obstringantur, quandoquidem, *Vnicuique mandauit Deus de proximo suo*, cum se in omnes porrigere charitas debeat; adhùc tamen potiori aliquo nexu Episcopos deuincit, eò quòd sint morum Censores, populorum Magistri, criminum emendatores, & quorum vita sit virtutum exemplar, & censura vitiorum. *Qua in re non utique parem, sed longè grauiorem habent causam, quibus per Prophetam dicitur, ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autē eius de manu speculatoris requiram. Ad hoc enim speculatores, hoc est populorum Præpositi constituti sunt in Ecclesijs, ut non parcant obiurgando peccata.* Sic Augustinus: duo D
D. Tho 2. 2. q. 33. ar. 2. ad hæc roboranda Aquinas annectit; quòd scilicet sui gregis custodia Episcopo tanquam Pastori commissa fuit à Deo; tùm etiam quia ad eum è iustitiæ lege spectat scelera castigare; ad quam rem illud è Diuo Hieronymo refert.
D. Hiero. *Sacerdotes studeant illud Euangelij implere, si peccauit in te &c.* ubi perpendit nomine Sacerdotum Episcopos indicari, quorum idcirco Diuus Hieronymus potissimum esse munus affirmat, vt verbis alios emendent. Hoc sanè ad Diui Isidori Pelusiotæ sententiam mysterium illud exprimebat, quo non e purpurâ aut bysso, sed e lanâ Pallium Pontificis intexebatur. *Vt errantes oues reduceret,*
Isid. Pelus. *reductasque corrigeret.*

Formidanda maximè omnibus sunt verba superiùs ex Ezechiele delata & relata ab Augustino: quis ergò erit, qui exactissimam non ignorans sibi rationem red-

ridendè de Christi ouibus custodiæ suæ traditis, pœnas alieno sceleri infligendas
A sibi le voluerit, ex ignauiâ, quâ ab eis corripiendis vel puniendis se auertit? vt D.Greg.l.1
enim Pontificio calamo statuit Magnus Gregorius. *Cum in subiecto peccatum non* epist.33.
corrigitur, in eos qui præsunt sententia retorquetur. Ad Venantium Italiæ Cancellarium scribens Diuus Gregorius, qui vt sæculi magnificentiæ se manciparet, religiosis claustris abscesserat, vt legem, qua obstringebatur eum corripiendi, significaret, eadem vatis verba recitat, simulque cum eis alia connectit, quibus
populo Ephesino Paulus liberè mentem suam aperuit. *Mundus sum a sanguine* Act.20.26. & 27.
omnium; non enim subterfugi, quominus annunciarem omne consilium Dei vobis; è quibus formidolosa hæc & horrenda colligit: *Mundus ergo a sanguine eorum non esset, si eis Dei consilium annunciare noluisset; qui cùm increpare delinquentes noluerit, eos procul dubio tacendo Pastor occidit.* Sibiq; hæc accommodans pergit. *Hac igitur consideratione compulsus, velis, nolis, locuturus sum: quia omni virtute aut te cupio saluari, aut de tuâ morte me eripi.*

B Arctissimum mandatum, in lege etiam scriptâ, legum omnium conditor Deus
significauit, tunc quando præcepit, vt ex Vrbibus, quas Leuitis adscripserat, Num.35.6
sex asylum componerent, ad quod tuti homicidæ confugerent. Insolitatum profectò est, vt cum Leuitis sicarij associentur, cum Sacerdotibus hominum interfectores, cum sacris viris facinorosi homines, & Martis asseclæ cum Dei admi-
nistris: *Quid Leuitæ cum rebellibus, quid sæculares cum Sacerdotibus? quid spiri-* Theod.q.in
ritus cum carne, quid boni cum reprobis? Sic olim Theodoretus, qui interroganti num.35.
sibi responsum accommodatissimum præbet. *Deputantur Leuitæ Ciuitatibus refugij; vt si peruersa gens aliquod scelus patraret, illicò libertate, qua decet seruos Dei, correctionem adhiberent:* hinc ergò colligere liceat, potiori quodam iure voluisse Deum, vt ad sacros viros, non ad sæculares corripiendi flagitiosi spectarent.

Non lumine cælitùs emisso, at naturaliter impertito hoc ipse Plato comprehendit: in suâ enim Republicâ construendâ statuit, vt in hoc amoris munere
C exercendo probatissimi tantùm Ciues adhiberentur, do eius verba. *Si quis ob* Plut.l.1.de
aliquod delictum, ne abeat impunis, in carcerem iniectus fuerit, ad illum vadant legibus.
optimi quique Ciues & inculpatæ vitæ, qui antè oculos ponant sceleris enormitatem. Vbi per breui stylo tùm corrigendi modum, tùm correctoris dotes egregiè colo-
rat, de quibus etiam nos luculentiùs infrà. Tanti ponderis hoc est, vt è Sanctis In vita Pat.
Patribus non nemo non aliâ de causâ fieri pronunciauerit, vt pessum eat, & deteriori semper lue orbis inficiatur, quàm è virorum defectu, qui grassanti mor-
bo medicamen correctionis afferant salutare. Diuus verò Augustinus tres affe- D. August.
rens rationes, quarum vi vnà cum viris improbis viri pijssimi affliguntur, potis- l.1.de Ciuit.
simam esse ait, quia humanis rationibus ducti proximorum emendationem omit- cap.9.
tunt: quid aliud hoc est, authore Senecâ, quàm se alienis criminibus impiare? Senec. in
Amici vitia si feras, facis tua. Prouerb.

Multò accomodatiùs hæc in Episcopo labi quis non intelligat, cùm eorum munus ad populorum vtilitatem referatur? quandoquidem, vt idem Seneca asseruit, qui non vetat peccare, cùm possit, iubet; & sanctiori calamo Gregorius
Magnus ad Augustodunensem Hyerarcham Siagrium scribens exarauit: *Num con-* D.Greg.l.
D *sentire videtur erranti, qui corrigenda, vt resecari debeant, non corrigit:* Aliena 7.epist.119.
nos vitia deturpant, & proximus ignis nostras etiam ædes inuadit: inter alienas sordes nos quoque sordescimus, & in populi criminum partem accedimus, dum conniuentibus nobis, non tantùm à vitij semitâ non recedunt, sed audaciores ad crimen accurrunt, ac si nostro silentio facultas eis peccandi tribuatur: *quis-*
quis patitur peccatum, is vires subministrat, ait Arnobius. Siquis ergo è nobis Arnob.l.4.
suo muneri hac in re defecerit, multum meritò lachrymarum effundat, & illud contra gentes.
Diuini Vatis mœstus vsurpet. *Væ mihi, quia tacui.* Me miserum! quânam in Isa.6.5.
re meum sermonem impendendum seruaui, dum vitiorum Idolis meum populum se deuouentem aspiciens tacui, eiusque licentiam meis verbis non refrænaui? Infido cani conferendus videor, qui Christi oues mihi commissas, tartareo lupo deuorante, latrare non valui: ad suam gentem custodiendam, in Episcopalis hono-

Ezech.3.17 honoria fastigio me Deus excubitorem statuit. *Fili hominis speculatorem dedi te domus Israel*, proditor ego nefarius meritò appellandus, qui ad scelerum & Dæ- A
monum irruptionem, nullum admonui, ad arma non conclamaui. *Væ mihi, væ mihi*: vel enim potentiam metuens, vel odium aliquorum, vel ne obsequium amicitiam & munera deperderem, me ipsum oblitus, à ministerio meo desciui: *Silentium hoc adulantium*, ait Diuus Hilarius: capitis rei sunt illi Antistites,
D.Hilar. in Psal. 138. *quorum adulatorio silentio plures in interitum inciderunt.* Sed audi, quo tremitu horrendo intonet in horum ignauiam, eorumque desidiam fulminet iratus Deus.
Isa.56.10. *Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vniuersi, canes muti non valentes latrare, ipsi ignorauerunt intelligentiam*: quæ seriò perpendens Diuus Ambrosius Epis-
D.Ambros. l.9. exam. c.4. copos alloquens ait. *Sunt Canes, qui nouerint latrare pro Dominis, nouerint sua tecta defendere; unde & tu disce curam tuam exercere pro Christo; quando ouile Ecclesiæ incursant lupi graues, disce in ore tuo uerbum tenere, ne quasi mutus canis commissam tibi fidei custodiam quodam præuaricationis silentio deseruisse uidearis.*
Deus immortalis! quàm timendum vtique est, ne ad Dei tribunal aduocetur B
tanquam custos infedelis & proditor, ignauus administer, nefarius præuaricator: Quis ad hæc tàm grauia, tàm palmaria non contremiscet, & quî exprobrationi
Psal.49.18. illi Dauidicæ respondebit, *Et cum adulteris portionem tuam ponebas*? adulteros, impudicos viros non arguere, eorum est fouere libidinem, & confirmare licen-
D. Chrys. ibi. tiam; quapropter acutè Diuus Chrysostomus perpendit, nequaquam dici, *& tu adulterium patrabas, sed portionem tuam ponebas*; hoc est crimen illud dissimulans, eius te participem effecisti; postque subdit. *Papè quàm malum est aliorum turpitudines occultare! socium enim ait esse supplicij, quod illi delicto debetur.*
D.Thom: Diuus verò Thomas ait, quòd qui ex officio tenentur, vti Patres familias & Præsules, si dormitauerint, & eorum, quibus præsunt, errata coërcere non studeant, si possint, ijs quodammodo assensum præbent, eorumque facilè numero associantur, de quibus loquitur Apostolus; *qui talia agunt digni sunt, non*
Rom. 1.38. Agapit. n.8 *solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*: breui hoc idem, at sapienti effato complexus Agapitus Pontifex est, peccare & non cohibere pec- C
cantes, pari in gradu puniuntur. Quàpropter in Cæli rationario criminibus illis, quibus Heli filij se impiauerant, in ipsummet Heli scripta conuertuntur, ac si ea
1.Reg.2.25 ipse patrauerit, vt ex his verbis, quibus exprobratus Heli fuit, agnosci facilè potest, *ut comederitis primitias omnis sacrificij.*

Speciosissima & maximè necessaria virtus in Præsule patientia est; hæc tamen hac in re virtutis iubar exuens, vitij tenebras induit: virtus ea non est, at ignauia & stupiditas, specioso lenitatis nomine personata; cæcus sui amor est, qui præ formidine alicuius detrimenti, quo res sua deterior esset, Antistitem in quoddam ex eis Idolum immutat, *quæ oculos habent & non videbunt, aures ha-*
Psal.113.5. Zacch.11.17 *bent & non audient, os habent & non loquentur.* Aptissimè igitur in eos obiurgatio illa sacri Vatis refertur, *ò Pastor & Idolum.* tàm stolidam insipientiam auertat à nobis Deus, quà consortes alienæ proteruiæ euadimus, & alijs leniter parcentes in eosipsos sæuissimè ferocimus. Pastorali vigilantiæ indecorum silen-
Genes.9.22. tium hoc est, & iniuriosus hic somnus. Dormiat Noe; suæ statim impudentiæ Cham filius laxat habenas: Quiescat Isboseth; quiescet simul & Ianitrix, hostesq;
2.Reg.4.5. Matt.13.25 D. Chrisos. ibi. præ quiescentia incuriâ irrumpent in Vrbem; Agricolæ dormiant, en suprà frumentum zizania seminat Dæmon; quam similitudinem explicans Diuus Chrysostomus, socordes & oscitantes Antistites increpat, cùm ex eorum ignauiâ & sopore, *tanta facultas Diabolo data sit, ut iam illis in medio prolatis, multò minus laboret.* De hac tamen desidiâ opportunior dicendi locus erit. D

§. I.

STatutâ igitur, quâ obstringimur lege, vt populos subditos æquâ animaduersione corripiamus, & fine nobis constantèr proposito, vt nempè ad melioris vitæ frugem eos reuocantes, virtutum amorem, vitijque odium eorum

animis

animis insectamus, & vt ait Seneca, *faciatque vitiorum odium pretium virtutum*: A rationes iàm expendendæ videntur, quibus id assequi valeamus. Tres porrò hæ sunt, quarum prima discutienda nobis hic erit, reliquis duabus proximè examinandis; de integritate igitur nostrâ sermo primùm hic erit, de lenitate, & de prudentiâ infrà scribetur. Senec. l. 1. de ira c. 5.

Vt à primâ igitur exordiar, ad id refertur, quòd in Episcopo Apostolus exigit, *ut sit irreprehensibilis*, vt scilicet confidentèr & validè alios arguere possit: quis enim lutulentâ aquâ sordes abstergat. *Mundus ipse a vitijs debet esse, qui curat aliena corrigere*; sic Gregorius: multò autem magis ab eo vitio alienus esse debet, quod sugillat in alio: secus enim non emendare ipse alios posset, sed emendandus ipse ab alijs esset, & facultatem sibi cęlitùs datam sibimet ipse eriperet; liber ad ea redarguenda non esset, quibus reum suamet conscientia postularet; sapienter ergo Hieronymus. *Quomodo potest Præses Ecclesiæ auferre malum de medio eius, qui in simile delictum corruit? aut quà libertatè corripere peccantem potest, cum tacitus ipse respondeat, eadem admisisse quæ corripit.* D.Gregor. 17 moral. c. 16. D Hier. in epistol. ad Titum.

B De Gorgiâ Plutarchus testatur, quòd cùm ad concordiam fouendam vberrimâ dicendi copiâ Græcorum animos excitaret, argutè Melantius ait, ad concordiam hic nos ad hortatur, quam tamen domi suæ habere non potest, cùm tamen tres tantùmmodo ibi versentur, Gorgias scilicet, vxor, & famula; famulam hîc aliquatenus deperibat, eàque de causâ in virum & famulam assiduo strepitu vxor inclamabat. Plutar. in Conuiu.

Diuinâ voce sacratur ea parœmia, *Medice cura te ipsum*, & vulgo ab ijs circumfertur, qui ab aliquo correpti, corripiendum eadem de re correptorem lepide significant, nec absimili Plutarchus vtitur. *Huiusmodi autem qui leuis est & moribus prauis, si liberè obloqui alijs conetur, licebit semper occinere illud alijs, medetur suis vlceribus scatens.* Luc. 4. 23. Plutarch.

Egregium in promptu nobis exemplum est Samuelis Vatis, simulque summi Pontificis: Hebræum tunc populum prauis cupiditatibus captum, omnique C vitiorum luxu diffluentem, hic pro suo munere emendaturus, se ipsum prius ei corripiendum obiecit, rationem de suo regimine redditurus; cum pleno approbantium suffragio susciperetur, nihilque notâ dignum ei exprobrarent, tunc vim suæ correctionis exerens ait. *Hùc ergò state, vt iudicio contendam aduersus vos &c.* Setiò hæc verba, Cardinalis Hugo expendens nos adhortatur, vt alios correpturi Samuelem imitemur, qui antè faciendam animaduersionem eorum, priùs se correctioni subiecerat, vt liberiùs simul & vtiliùs eos animaduerteret. Nostris igitur primùm à moribus auspicium suum aliena debet habere correctio, vt validiori vi in alios posteà efferatur, iuxtà ea Bernardi. *Omnis correctio in suo auctore sumat exordium, & sic demùm secura procedat in publicum.* 1. Regum. 12. Vgo ibid. D. Bernar.

De Charitate, & prudentiâ in corrigendis alijs adhibendâ. Cap. XVIII.

D

CHARITAS, quam secundo loco constituimus, duo hâc in re præstat saluberrima, diligentiam scilicet & lenitatem. Diligentissimus sit oportet Antistes ad morbi initia eradenda, antequàm magis inualescat morbus, eòque se porrigat, vt vix longâ asperâque medicaminum pugnâ profligetur; facilè vitia euellentur, nisi altè animo fibras immiserint; nullâ ferè adhibitâ vi superantur, si renerescant; at si validâ iuuentâ adoleuerint, hoc opus, hic labor; audi Hieronymum. *Dum paruus est hostis, interfice; nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine,* D.Hier. ep. 2 ad Eustoc.

Lenitatem designat nobis Apostolus: *Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis,* Gal. 6. 1.

Isidor in elimol. intimo scilicet quodam benignitatis affectu, qui verbo simul & gestu exprimatur: adeò vt correctionis pharmacum dulcedine quâdam aspersum libentissimè propinetur, & blandâ quâdam vi eius amorem obstringat & corripiat, qui castigatur: hoc certè Diuo Isidoro monente, nomen ipsum *corripe* sonat, idest *cor rape*. A

Exod. 21.19

Vt absolutissimo auro emunctoria constarent ad templi candelabra emungenda, præcepit Deus; in his autem, iuxtà Dyonisij Carthusiani mentem, animaduersio exprimitur: *emunctoria intelliguntur verba fraterna correctionis, per qua superflua resecantur*. In cordis igitur fodinâ è Charitatis auro, emunctoria ista componantur, vt sint salutaria; correctionis autem simbolum in emunctorio exprimi non cum latuit, qui pro symbolo illud apposuit, epigraphem subijciens *Noxia demit*.

D Ambr. l. 3. offic.

Macrob. l. vit, satum. c. 3.

4 Reg. 4.

Aptissimè pariter Diuus Ambrosius ait, *quòd plus proficit blanda, quam dura correctio*: ad maculas abluendas aptior est dulcis aqua, quàm salita, vt Macrobius refert. Extinctum puerum reuocaturus ad vitam Iezi, baculum ei Elisæi apposuit, sed irrita eius vota cecidere; vt vitæ eum reddas, qui spirituali morte correptus obriguit, non terrores, non minas, non ictus adhibeas; benignitate & lenitate vtaris, Elisæi instar, qui mortuum puerum blandè palpat, fouet, osculatur, & hisce artibus extinctum vitæ redonat: quàm benè hic Damianus, *Quem virga terroris suscitare non potuit*. B

Xenoph or. de Agesilao Pausanias.

Agesilaum, Xenophon refert, plurimas arces ferro & vi inexpugnabiles, humanitate & clementiâ occupasse. Pausanias autem author est, Delphi Apollini dicatum templum fuisse, quod è melleis laterculis, & mellea calce apum ingenioso conamine fuit elaboratum: commentitia hæc ipse arbitror, & tantùm ad vim suauitatis exprimendam inuenta, qua viri sacri in subditorum animis templum debent erigere, vbi numen colendum statuant, & è quo vitium auerruncent: his fortè aptissima erunt, quæ Diuus Leo subministat: *Plus tamen erga corrigendos agat beneuolentia, quàm seueritas, plus cohortatio, quàm commotio, plus charitas, quàm potestas*. quod idem ante Pontificem, ad Aurelium Episcopum scribens Augustinus Antistes admonuit, hâc dicendi formâ: *non ergo asperè, quantùm existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur, magis docendo, quàm iubendo, magis monendo, quàm minando*. Aliâ etiam admonitione hac in re nos idem Augustinus instruxit, nullùm scilicet vnquam à nobis corrigendum, nisi priùs optimè omnibus recogitatis, amoris & charitatis magisterio edocti, correctionem instituamus; quod si acciderit, *dilige, & dic quod vis*; amor enim rectissimâ viâ nos ducet, sermonemque ad rem accommodatissimum nobis suppeditabit: nulla Rethorum disciplina efficax adeò est ad aliorum animus conciliandos, quàm si ostenderimus, amore dictante, nos loqui, & charitatis stimulo ad animaduersionem habendam excitari, vt candidas omnique labe depuratas Christi oues videamus: si Latinam simul & Atticam facundiæ vim immiscueris, non eâ sanè vi præstabunt, quam vnius amoris sermo sortietur. *Nihil enim*, vt Chrysostomus ait, *ità confert ad hoc, vt qui audit persuadeatur ad recipiendum qua dicuntur, atque si cognoscat, quòd eum magnâ dilectione dicantur*. C

D. Leo ep. 84.

D. August. epist 63.

D. August. in ad Galat c. 6. l.

D Chrys. homil 20. in ad Eph.

Illud etiam recogitemus, quod Pisonem Galba, è Taciti fide, informauit: *Impetraturus es hominibus, qui nec totam seruitutem pati possunt, nec totam libertatem*. D

Tacit. l. 1. Histor.

§ I.

Locum hic suum prudentia charitati connexa sortiatur: nos animarum Archiatros esse hæc admonebit, ideòque non in ægrum, sed in morbum vires nostras impensuros: à Senecâ hæc habes: *Morbis medemur, nec irascimur: atqui & hic morbus animi medicinam desiderat, ipsumque medentem minimùm infestum infirmo*.

Senec. l. 1. de Clem. c. 18.

Quamobrem iuxtà temporum, personarum, morborumque genera medici-

nam

nam adhibeamus oportet; frequentissimè enim noxium huic remedium est, quod A alteri est salutare, nec varia pharmaca tenera corporis habitudo pati potest, nec si leuia nimis fuerint, quidquam vtilitatis in robustum stomachum deriuabunt: quæ venas inuasit febris, non abstinentiâ curatur, aut mitigatoriâ potione. Optimè Cassiodorus, *Aegris non vna causa salutis; hic lauacra mollia, ille ferrum quærit ad vulnera*; cæco enim casu operareiur qui eâdem correptione omnia, singulaque vitia curaret. Quapropter potissimum in Antistite munus esse ait Nazianzi Magister, animaduertere, quandonam virga sit exerenda, & quando sit tibiâ modulandum; magni etiam Gregorij mens fuit, pro ouium diuersitate diuersa etiam medicamenta ouibus esse à Pastoribus adhibenda, ne quod vtile alteri est, sit alteri perniciosum: ad climatum quoquè diuersitatem referendum hoc esse Diuus Hieronymus asserit; quæque enim prouincia singulari suâ affectione dirigitur, itâ vt in hâc dignitatis stimulus, in aliâ terroris, laudum in aliâ, in aliâ dedecoris inualescat. Quâ in re commendatissimum Paulum habet auB reus Ioannes; hic enim ad Galatas rudes, hebetes, & stolidos scribens, amentiæ titulo velut aculeo eos cruentat. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit?* cum è contra Romanos, vrbanè comitèr, ingenuè; & obsequentissimè cum eis agit.

Cassiod. l. 5 epist.

D. Gregor. Naz. orat. 7

D. Gregor. Papa.

D. Chrys. in ad Galat. 3.

D. Hieron. in d. c. 3. Galat. 3.

Diuersâ quoquè viâ Præsules duos idem Apostolus dirigit. Ad Timotheum enim Ephesinum Præsulem scribens, qui delicatulo populo, gregique non pari labe infecto præerat. *Insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientiâ & doctrinâ*: Titum è contrà Cretensem Antistitem monens ægerrimum populum sibi præ manibus esse, gentemque inertiæ, luxui, fraudibus, omnique vitiorum fece inquinatam, de quâ Poeta quidam, quem per iocum eius Prophetam appellabat, non mendacitèr recitauit, *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri*, eum adhortatur, vt eos vehementèr & asperè obiurget; *quamobrem increpa illos durè*; è quo sermone egregiam admonitionem ad omnium Episcoporum commodum Chrysostomus instituit, quam placeat afC ferre: *hoc loco non alienos vtique, sed qui peculiariter sibi crediti erant, hoc est Cretenses indicat, durè; profundiorem, inquit, infige plagam: neque enim pari, eodemque modo omnibus infligendum est vulnus increpationis; sed discretim & uarie, & habitâ uniuscuiusque subditorum ratione.*

2. Tim 4. 2 Tim. 1. 13.

D Chrys. hom. 3. in epist ad Titū

Hinc fit, vt cum Dynastis, Magnatibus, & Principibus lentiùs & leniùs sit agendum; hi enim plerumque faciliùs admonitione flectuntur, nisi tamen, itâ consuetudine diuturnâ confirmatus fuerit & obcalluerit morbus, vt eorum mentem obcæcauerit. Dauid, Nathan, & Diuus Ioannes Baptista hoc ipsum abundè confirmant. Horum enim primus de iniquissimâ insectatione, quâ vexabatur, Saulem animaduertens, in eos crimen reuoluit, qui suam fidem falsò accusabant, & mendacitèr dicta in suum ergâ Principem obsequium disseminabant. *Quare audis uerba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduersum te? Vides*, ait Chrysostomus, *Crimen transtulit in alios, nisi ut illi præbeat occasionem excusiendi malitiam*. Alter regnantem Dauid correptuturus parabolam præposuit, vt scelus suo leuius ipse Rex ore damnaret, verbisque suis postea irretitum Diuini D furoris interpres eum validiori ictu percuteret. *Tu es ille uir &c.* Elegantem hunc corrigendi modum Diuus Gregorius expendit, expensumque cunctis Episcopis exhibet imitandum. De Nathano inde hæc habet. *Absconditigitur ferrum medicinale sub ueste, quod eductum subitò fixit in vulnere, ut secantem gladium sentiret æger, antequàm cerneret, ne si antè cerneret, sentire recusaret.* Ioannes demùm licet præ lasciuientis Herodiadis lenocinijs insanientem Herodem aduerteret, suisque flagitijs impotentèr se ingurgitantem; haud tamen in iurgia & probra erupit, non in asperas minas efferbuit, non regni corruptelam, sceptrique sordes exhibuit; sed simplici tantùm pennicillo sui criminis eius fœditatem colorabat, eiusque pondus sceleris ad sanctitatis lances demetitus aiebat, *Non licet tibi habere Vxorem fratris tui*: an modestiùs, & obsequentiùs loqui alter potuisset? fidem his facientem do Chrysostomum: *non dixit scelesté, pallute, prævaricator, ac prophane, conculcasti Dei legem, contempsisti quæ statuta sunt, po-*

1 Reg. 20. 10 Chrys hom de Dauid, & Saul.

2. Reg. 12. 6 D. Greg l. 3 Pastor. ad m. 3.

Marci 6 19

D. Chrysost. hom. 28. in 2. ad Cor. 6.

sententiam tuam legem fecisti: sed in reprehensione apparuit multa mansuetudo viri & mittitas: dixit enim, non licet tibi habere uxorem fratris tui: erat enim magis A
Guissan in vita l.8.c.15 *verbum docentis, quàm reprehendentis, erudientis magis, quàm punientis*. S. Carolus, sicut Principes & Præsules libentiùs præ alijs admonebat, eò quòd lentiùs ad istos corrigendos accedentibus alijs, omnes ferè eorum genio indulgent, solutasque cupiditates palpant, sic etiam in hoc præstando præclarissimè se gerebat, & frequentèr suas labes aperiens, nec virum ei esse plorans, qui eas ei detegeret, solertissimâ industriâ, vulnera absque lauciati molestiâ tractabat simul & conglutinabat.

§. II.

VErùm si paternæ correptionis lenitate & amore quis abutatur, nec crimen exeutiens in eo duriùs confirmetur, ad prudentiam simul, & charitatem spectat, vt lenitate excussâ, seueritatem induat, sanctâque quâdam iracundiâ obarmatus, ad eos arguendos irruat; probatur hoc ab Aquinate Magistro, in ijs etiam, B
D Thom. qui perlongâ vitiorum consuetudine inter scelera obduruerunt; vt enim sapientissimè
Clem. Alex. 1 Pedag. c. 9 Prouer. 25 20. Clemens Alexandrinus loquitur, *qui ad gratiam loquuntur, parum diligunt; qui autem ad vtilitatem acerbi sunt, in futurum sæculum beneficio accipiunt.* Quin Diuinus idem Spiritus in perobscuro illo ænigmate hoc idem illustrauit, *acetum in Nitro, qui cantat carmina cordi pessimo.* Lenia & blanda verba inutilia prorsus sunt, vt prædurum, & contumacem animum flectant, eo prorsus modo, quo nitrum aceto ablutum inualidū & impotens est ad eas oblitterandas maculas, quæ vestibus inhærescunt; ardore, asperitate, minis opus est, quibus tonare, fulminare videamur; ad quam mentem ea Apocalipseos verba à Diuo Ambrosio accipiuntur:
D Amb. l.6 c 3. *Loquuta sunt septem tonitrua voces suas.* Sanctorum etiam Præsulum pietas suo armatur aculeo; *sunt enim mansuetudinis amatores, veruntamen acres, & pugnaces*: quis enim, si secus fiat, emendationi locus erit? sermonem simul, & C
Cyril. n'o. n 44 tempus inutili labore absumit, qui lenitate verborum obdurati animi robur superare contendit; iocari potiùs videtur, in re tàm graui, & zelo Ecclesiastico fucum facere: leuibus hisce & lenibus vrbanitatibus Præsulis munus non expletur, prudentia non quiescit, vitia non euelluntur. *Etenim tunc placidè alloqui*
D. Chrys. in ad Galat. c. 1. *subditos quando opus est acrimoniâ, non superieris, sed corrupteris potiùs fueris, & hostis*. Sic è Chrysostomo.
Nissen de vita Moysis n.2. 10. Ad hæc Diuus Gregorius Nissæ Hyerarcha in eâ fuit sententiâ, quòd supplicium à Deo Moysi illatum, ne terram promissam ingrederetur, ex eo deriuatum fuerit, quòd non eâ vi verborum, & impetu sermonis Iudæorum proteruiam effregerit, quam tantum flagitium exigebat; illa enim tantùm verba pronuncians, *Audite rebelles, & increduli*, ex illis Dauid verbis hoc ipse haurit, vbi de Moyse loquens ait, *non distinxit in labijs suis*.
Psal. 105.34 Hinc Sanctus Ildebertus Cenomanensis, Antistes, cùm diù humanis lenibusq; epistolis Presbyterum effrænatissimè flagitijs tædissimis se inuoluentem, ad rectam reuocare viam labore irrito contendisset, de suâ contemptâ humanitate sollicitus, & peracutis scrupulis vexatus, quod tandiù aspera, acerbaque medi- D
Ezec. 13.18 camenta distulisset, ne inter eos enumeraretur, timuit, ab Ezechiele sonorè derisos, eò quòd ad eorum flagitia conniuentes, eorum adeò vitia fouere videntur, vt dulciùs in ijs obdormiscant; Heli hebetem desidiam imitatus, quàm vereor,
D Hildeber. ep. 7. Guissan. in vita l. 8. c. 15 ne supplicijs etiam Heli perdar & ruam! *Ne igitur eodem plectar excessu, patrem exuens, indui Pontificem: blanditias increpationibus mutaui: pro lenibus aspera sum mutuatus, vt si contemnis tibi me proximum effici, ego ipse mihi proximus efficiar.* Huiusmodi viros Diuus Carolus eubiculis pro carcere vsus inter ieiunia, & flagella eos interdum detinebat, interdum etiam exules à suâ Diœcesi ablegabat, donec consilia meliora induissent.

Ad Charitatem hic spectat ità prudentiam moderari, vt furori non obtemperet, nec animi tranquillitatem perturbatus excutiat, odio vitium persequatur,

A ſed amore vitioſum proſequatur, vt Dei opus, & ſui gregis ouem, acritèr quidem
obiurget, ſed moderationis frena ſentiat acrimonia; nec enim vitio ſanari vitium
poteſt: inualida inaniſque correptio eſt, cùm incompoſitum animum correctoris
oſtendit, nec amori paterno adſcribitur, ſed contumelioſæ potiùs iracundiæ. Sa-
pientèr Auguſtinus. *Quidquid lacerato animo dixeris, punientis eſt impetus, non* D. Auguſt. l. de finibus.
charitas corrigentis. Præ alijs autem ab ijs omninò verbis abſtineat, quæ con-
tumeliam ſonant, famamque dehoneſtant: his enim non tantúm pondus non
additur noſtræ correptioni, quin potiùs animum magis obdurant, & volunta-
tem exacerbant: do Hilarij acroama. *Ne ſit admonitio contumelia, ne ſit emendatio* D Hilar. in Pſal. 14.
opprobrium, ne ſit doctrina conuitium.

Si lignis excindendis vacans aliquis, & manubrio è ſecuri excuſſo, alium Deuter. 19. 5.
fortuitò occidiſſet, præcepit Deus, vt ad extincti conſanguineorum odium
declinandum, in aliquam è refugij vrbibus exul abſcederet; ad mores com-
ponendos explicans hæc, iuxtà conſuetam ſcribendi formam, Gregorius Ma-
B gnus docet, tunc nos ad ſiluam ligna collecturos accedere, cum ſiluæ inſtar D. Greg. l. 10. moral. c. 5.
luxuriantia vitia correctionis ferro reſecamus; tunc verò ſecurim è manibus ex-
cuti, cum veſanâ quâdam impotentiâ ducti, in aſpera & indecora verba erum-
pimus, tùm pergit; *ferrumque de manubrio proſilit, cum de correptione ſermo durior*
excedit, & amicum percutiens occidit, quia auditorem ſuum prolata contumeliâ à
ſpiritu dilectionis interficit: non tantùm ſubditorum amorem, & obſequium ad
nos non trahimus, ſed illos potius à nobis auertimus, eorum indignationem, ob-
trectationes, ſcommata excitamus, eorum noxas non minuimus, at augemus; Petr. Bleſs. epiſ. 14.
hac igitur è causâ Petrus Bleſſenſis ait, non gratam Deo fore correptionem, quæ
leges charitatis ignorauerit.

Minas, quibus germanos ſuos vexauit Ioſeph, ſuſpicionem, quam de eis con- Geneſ. 42.
ceperat, vt exploratores eſſent, aliaque id generis, quibus Ioſeph ſuis cum
fratribus agens, expendit ad rem hanc Seleucienſis Antiſtes Gregorius; indi-
C gnationis quidem ſpeciem hæc exhibebant, at re verâ præferebant amorem;
fraternam non exuens dilectionem, alienum odium inducere videbatur: *Terricula-* D Baſil Seleuc. orat. 8.
mentis ludicris vtitur, minas quaſi in ſcanâ conſequitur, iras hiſtrionicè repreſentat. Phil Hebr. lib. de Ioſp.
quod idem, ſed alio ſtylo prius Philo Hebræus expreſſerat: *Alienum cultum in-*
duit, toruo aſpectu, & grandiori voce illos percutit: turbetur quidem aliquatenus
noſter vultus, & non obſcuretur; ſolem referat, qui tenui nube obuelatam ſuo-
rum radiorum pompam blandus effundat; interioris etiam dilectionis radius ali-
quis è noſtro vultu proſiliat, adeò vt amans quædam in nobis iracundia videatur,
quæ in ipsâ indignatione non iraſcatur; ſupplicia quidem minetur, ne inſtigat,
bellum indicat ad pacem ſtatuendam: quàm concinè de ſe ſuiſque Senatoribus Caſſiod. l. 1. epiſ. 36.
habes hæc à Caſſiodori facundiâ: *Iraſcebamur placati, minabamur innoxij, & ne*
potuiſſemus lædere, terrorem videbamur inferre.

Trium Antiſtitum exempla, ter alloquens Diuus Gregorius Nazianzenus af-
fert, vt hæc confirmet: commendantiſſimum hac de re primùm Diuum Baſilium
habet; ait enim mirabili quàdam induſtriâ duo ſimul hæc in correptionibus fa-
ciendis diſpenſaſſe, lenitatem ſcilicet, & rigorem: hunc etiam arduum æquè ac Greg. Naz. 17.
D ſapientiſſimum nexum in clariſſimo viro Athanaſio ſingulari ſtilo colorat & ornat:
ſi namque alios ipſe animaduertebat, eius verba è charitatis myropolio emer-
gebant, non odioſa & moleſta, ſed odora & blanda: rurſus ſi alium ipſe lauda-
uerit, grauitatem quandam, & temperantiam tàm benè compoſitam eius ſermo
induebat, vt non inanem gloriam, at virtutem foueret; *vt & increpatio pater-*
nam charitatem, & laudatio imperio dignam grauitatem obtineret, nec aut mollities
diſſoluta, aut ſeueritas tetrica, & rigida eſſet.

Tertio demùm loco ipſius Nazianzeni Gregorij genitor Gregorius ſtatuatur, D. Nazianz orat. de laud. Patris.
de quo refert, in ipſa correctionum aſperitate, diuino quodam more ſe omnibus
amabilem præſtitiſſe: *Ac proinde ipſi (res mira atq; humanis ſenſibus aliena) contin-*
gebat, non vt ſolus obiurgator eſſet, ſed vt ſolus ijs etiam, quibus ſuccenſebat, & amori
& admirationi eſſet; illius enim aſperitas etiam ipſa propter vtilitatem ſuauis eſt. De
patente hic filius.

Ipſe

Niceph l. 17. c. 36. Ipse idem huius virtutis in alijs commendator eximius Gregorius, commendandum adeò in eâdem se præbuit, vt eum Nicephorus non sine ingenti admiratione, humanum simul & rigidum, blandum & seuerum, in habendâ animaduersione intueretur. A

§. III.

Sicut autem tùm prudentię, tùm charitatis est, vt suo studio populorum vtilitati dent operam, sic etiam conantur, vt peccantium famam tueantur, eorumque honestati prospiciant, clam & occultè de occultis noxis eos arguentes, iuxtà illam Christi Domini legem *inter te & ipsum solum*: Egregiè hoc nostræ voluntati fauet: quicumque enim animaduertit, sua sibi vulnera, clàm à nobis aperiri, & silentij pallio ad sui nominis decus seruandum obuelati, alacriùs correctionem excipiens, vtilissimam sibi eam experitur: docuit hæc Origenes, *seruari sibi magisterium videt ille qui peccat, seruabit & ipse emendationis pudorem*. Cum ex aduerso si palàm sua crimina corripi audierit, & publicâ animaduersione omnibus referari, insaniet, erubescentiæ fræna excutiet, & quâcumque emendatione despectâ, licentiosiùs ruet in scelera: rursus do Origenis verba: *si verò diffamari se viderit, illicò ad denegandam impudentiam conuertetur, & non solùm non emendauerit peccatum, sed & duplicauerit*. Nihil vtilitatis à publicâ correctione expectes, non medetur illa, quæ dehonestat, & aliorum crimina sonorâ voce decantat: *Si solus nosti & eum vis coràm alijs arguere, non es corrector, sed proditor*: Sic Augustinus. Vt euulgata, & publica sua quis crimina viderit, peccandi rubore deperdito, personam probitatis excutiet, & de nullâ famæ iacturâ faciendâ sollicitus, cupiditates suas palàm soluet, & dissolutâ peccandi licentiâ flagitijs suis nouum scandali flagitium superaddet; cauè igitur, & occultè eum castiges, *ne si semel pudorem atque verecundiam amiserit, permaneat in peccato*.

Matth. 18. 15.

Orig. in c. 33 Leuit. B

D. August. ser. de Verb. Domini.

D. Hieron. in Matthæ c. 18. C

Cum Nauiculam ingrederetur Christus seruator, Abulensis obseruar, quòd cæteris alijs dimissis, Apostolos penes se retinuerit; debacchantium enim tempestatem prænoscens, & leuem suorum discipulorum fidem à se corrigendam: *Quid timidi estis, modicæ fidei?* ad eorum noxas alijs occultandas eos, è naui dimisit. Eiusdem Christi Domini exemplo ad hoc roborandum Diuus Chrysostomus vtitur; cùm enim in Pontificis atrium, eâ nocte, quâ cruciatus immanitèr fuit, Petro occurrisset, ab eo de suâ perfidiâ corripiendo abstinens, silentio verbis indicto, oculos tantùm loquaces fecit; *& conuersus Dominus respexit Petrum*: fulgur è pupillis immissum in eum vibrauit, animumque percussit. *Votem emisit per ipsum intuitum: non enim ore loquutus est, ne ipsum fortè redarguat inter Iudæos, & proprium confundat discipulum*.

Abulens. 3. p. Matt. 9. 3. Matth. 8. 26. Luc. 22. 61. D. Chrys. hom. 9 de Pænit.

Adulteram fęminâ Scribis Christo exhibentibus, vt eam sententiâ suâ damnaret, eorum vt ipse scelera increparet, ea exarauit in puluere, adeò vt alienis ignotis, agnoscere tantùm sua quisque posset; quâ in re, vt Hugo Cardinalis docet, illustri nos documento monuit, subditorum vitia tàm circumspectè corripienda, vt nulli alteri innotescant: Optimè enimuerò pronunciatum ab eo fuit, qui protulit, tot idiomata à Præsule habenda, quot subditi sibi essent, ne in eis corrigendis, aliena vitia possit quis vnquam agnoscere. D

Ioann. 8. 8.

Vgo Card. ibid.

Quis vnquam iniquior, scelestior, proteruior Iudâ; eius tamen nefariam proditionem nusquam alijs amantissimus Christus aperuit; maluitque, vt cæteri tristarentur Apostoli, eò quòd quis eorum magistrum proditurus esset ignorarent, quàm proditoris nomen euulgare; Accipe Chrysostomum. *Sustinuit omnes in agonem induci, ne vulgaret proditorem, ac manifestâ redargutione redderet etiam impudentiorem*.

Matth. 26. 28.

D. Chrys. hom. 1. de Laz.

Aliena crimina licet plurima obuelare charitas facilè potest, & vt optimè Chrysostomus idem scripsit, *Charitas aureis alis omnium, quos complectitur, vitia tegit*, dummodo ea detestemur: sæuire potest in vitia, sed peccanti parcere,

D. Chrisost. hom. 33 in 1 ad Corin.

A cere, publicè honores, occultè pœnas impertit: Prodigum filium pœnitentem excipit, eiusque squallentes, & obsoletas vestes aureâ clamyde exornat; peccata nescire videtur, eiusque tantùm innocentiam euulgat. Sed venustissima Chrysologi verba audias velim. *Delicta non videt nisi amoris, & ideò Pater peccata filij redemit osculo, clausit amplexu: ne nudaret pater filij crimina; pater filium non fœdaret.* D Chrysol. serm. 3. de dub. fidei.

In semet ipso hæc omnia Diuus Augustinus exprimit, aitque, quòd de patrato homicidio conscius ipse, nec homicidæ crimen detegendum arbitratur, nec correctionem amittendam. *Prorsus nec prodo, nec negligo, corripio in secreto;* ad quod idem faciendum nos omnes adhortatur: *Propono ante oculos Dei iudicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo pœnitentiam.* Fontem hic habes vberrimum, è quo ex illorum ore innumeræ obtrectationes exundant, qui sibi nimium confidentes Diuinæ legis zelum vindicantes, in Episcoporum opera imprudentèr, & impudentèr vituperanda facilè effeṙuntur. *Vnde quandò homines reprehendunt nos, quod quasi non corripiamus, aut putant nos scire, quod nescimus, aut putant nos tacere quod scimus, sed forte quod scit, & ego scio, sed non coràm te corripio, quia curare volo, non accusare:* ad adulteros inde procedit, qui domi clàm peccant, at plerumque Episcopis produntur ab vxoribus, zelotypia ne an zelo incertum. *Nos non prodimus palàm, sed in secreto arguimus: vbi arguimus malum, ibi moriatur malum: non tamen vulnus illud negligimus, ante omnia ostendentes homini in tali peccato constituto sauciamque gerenti conscientiam, illud vulnus esse mortiferum.* D Aug. 16. de verb. Domini.

B

Verum tamen quòd cum publica scelera fuerint, summamque offensionem populis afferant, publicè etiam sunt castiganda, tùm quia peccans amplius non erubescit, suamque effrons famam despicatur, tùm ne de silentio nostro populus offendatur, nostramque item desidiam, & ignauiam reprehendat. Et licet semel D. Carolus primarium suæ Diœcesis oppidum inuisens, Lithurgi cuiusdam dissolutam effrænatamque viuendi rationem, populique de lutulentis eius moribus offensionem audiens, occultâ solùm animaduersione eum castigasset, non sine ingenti populi admiratione, qui seueram asperamque de eo pœnam exigebat; adhùc tamen de vitiosâ eius consuetudine, vtrâque corruptâ emendandâ, certissimum se Diuus Carolus habuit, vt re verâ ex eo ipso tempore factum est. Guissan in vit. l. 8. c. 15

C

Eximium hac in re & commendatissimum se Sanctus Thomas è Villâ nouâ præstitit; oculis enim correptionibus frequentèr hic vsus, vberrimos ex eorum animis, quos animaduertebat, sacri doloris gemitus hauriebat, & plerumque coràm eis verberibus sua crucians membra, Dei priùs auxilio precibus ardentissimis expetito, illustres de Diabolo laureas reportauit: quis autem ignoret in Sanctis suis Deum esse mirabilem? arduum hoc nimis in illis esset, qui tàm sublime virtutis fastigium non attingunt: quapropter satiùs est, vt vulgari semitâ incedamus, viæque ab Augustino detritæ adhæreamus: *Ergò ipsa corripienda sunt coràm omnibus, quæ peccantur coràm omnibus; ipsa vero corripienda sunt secretiùs, quæ peccantur secretiùs.* Iosida & dolosa administratio, quâ sua bona decoxerat ille Præfectus, cognita apprimè erat Patri illi familias, cui vel occultissima cordis arcana patebant; ad suum tribunal eum noluit aduocare, vt eum publicè emendaret, & vt eius perfidia omnibus innotesceret, adeò vt *diffamatus est apud illum:* eius improbitas per omnium ora circumferebatur, fora, oppida, vrbes de eius flagitijs resonabant; abhorrebant ab eius nomine populi, cælum, terra, elementa, singula in eius caput fulmina diuinitatis acuebant; teste enim Chrysologo, *Clamabat terra, clamabat Cælum, dolebant Angeli, quando tam tetra sæculi fama loquebatur:* ad tot tantosque clamores amantissimus Deus velut expergefactus suam etiam addidit vocem, vt castigaret. *Quid hoc audio de te;* vt compertum omnibus esset, quanti sit Episcopis populorum notoeo habendum. D Tho. de villa noua; in eius vit. l. 8 c. & 9. D. August. loco cit. Luc. 16. D. Chrysol. serm. 225.

D

Prudentiæ demùm pariter munus est, vt ad suam vim correctioni impertiendam, opportunè habeatur: medicum imitetur, qui non tantùm ægri morbum expendit, at criticos etiam dies, Lunæ vices, syderumque aspectus, vt salutaria medicamenta componat & præbeat. Sic Ambrosius.

In

D. Amb in Psal. 37. In hoc sanè ab hoste medicus differt: opportunum illi quodcumque tempus est ad necem ferendam, huic horæ tantùm aliquæ dantur, ad purulentum sanguinem è venis emittendum, ad pharmaca propinanda: concinè hæc Augusti- A
D. August. epist. 48. nus. *Qui trucidat non considerat, qui autem curat considerat, quemadmodum secet; ille enim persequitur sanitatem, iste putredinem.*

Post Dauidis animum emollitum, vt coniugis insolentiam retunderet Abigail,
1. Reg. 25. eique ostenderet quàm imprudenièr tàm illustris Principis furorem lacessiuerit, & in extremum ferè discrimen vitam domumque totam adduxerit, cum è conuiuio hilariùs, quàm par erat, egressum eum aspexisset, vsque eò sermonem distu-
1Reg. 25. 30 lit, quòad digesto & superato vino aptiorem correctioni se faceret: *Non indicauit ei verbum pusillum, aut grande vsque mane;* posteram diem expectans,
Abul. ibi q. 12. eius facilè mentem illustrauit. *Obseruauit Abigail tempus ad loquendum viro,* sic de fœminâ sapientissimâ sapientissimus Abulensis.

D. August. l. 9. confess. c. 9. De Sanctâ Monicâ suâ genitrice Diuus Augustinus refert, quòd vehementiam agnoscens, quâ coniux in furorem assurgebat, iratum eius aspectum euitabat; cùm verò pristinæ quieti & tranquillitati se reddidisset, vrilissimo cum alloquio B admonebat; subditque, salutarem hanc prudentiam plures illustres fœminas docuisse: in æstu iracundiæ, & sapientis cupiditatis insaniâ aliquem corripere, desipere est; quin, eius vulnera exarcebat, eius flammas auget, cursum eius impellit; vt salutaris emendatio accedat, opportunè fiat, nam vt Diuus Ambrosius
D. Ambros. scribit, *dum culpa feruet in corpore, & anima exagitatur corporis passionibus, non cogitat Deum sensus errans.*

Si ergò vtilis nostra correctio fuerit, summoperè gaudeodum nobis erit, eò quod nostri gregis ouem è Stygij lupi faucibus videamus ereptam, & leni placidoque medicamine morbum deletum: ne tamen ab eâ in posterum nos alienos præbeamus, quin maiori eam amplectamur & foueamus amore, Cælestem Patrem imitemur, qui filium prodigum reserato charitatis sinu excipit, eiusque errores oblitus, totum se in eius amore demergit; huius lenitatem Diuus Chrysologus contemplatus, hæc habet: *Non dixit vnde venis, quid fecisti? vbi sunt* C
D. Chrysol. ferm. 3. de dub. fil. *quæ tulisti, quare tantam gloriam tanta turpitudine commutasti? sed citò proferte stolam primam & induite illum. Videte quia delicta non vidit vis amoris? & date annulum in manu eius: paterna pietas contenta non est innocentiam reparare solam, nisi pristinum restituat & honorem.*

D. Gregor. ep. 14. l. 10. Hàc eadem Charitate Diuus Gregorius Pontifex se gessit, cum de quodam opportuno Samnite audiens, ingenti eum tristitiâ affectum è peracerbâ animaduersione, quâ eum arguerat, humanissimè ad eum scribens solatus eum est, eique contendit ostendere, non odij ministerio, sed magisterio amoris illas suo in animo flammas æstuasse.

Vt autem piæ humilitatis thesaurum seruemus, & ne nostrorum laborum præmio fraudemur, non viribus nostris, nostrique virtuti sermonis, nostrorum operum fœlicitatem tribuamus; Diuinæ potiùs beneuolentiæ, eiusque auxilio omnia vertamus; vt enim optimè Apostolus ait, *Neque qui plantat est aliquid,*
1. Cor. 3. *neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Adeò ab his alienus erat Diui Bernardi animus, mellifluà cuius verba virorum myriadas è cœno vitiorum extra-
D. Bernard. ep. 13. ctas Cælo redderent, vt potiùs diceret, *profectò lex Domini conuertit animas.* D Altissimi dexterâ hæc tàm excelsa patrantur, & è Cælo diuinitatis hæc ingentia bona deriuantur. Admiranda hæc sui vi sanguinis Deus patiens operatur, vni ergò illi soli tribuenda: venustissimo stylo hæc exprimentem Clementem Alex-
Clem. Alex l. 1. Pedag. c. 1. andrinum accipe: *Verbum paternum solus est humanarum ægritudinum pæonius medicus, & sanctus ægrota anima incantator:* è Pæonio Cælesti Archiatro metaphoram ipse desumit, quem tanta medicæ disciplinæ vi præstantem fabulosa Homeri Musa descripsit, vt ipsummet Plutonem Herculeo robore sauciatum sanitati
Homer. l. 5. Iliad. reddiderit: Cyrci etiam conferre eum videtur, cuius magicis carminibus in monstra homines mutabantur: cum è contra sui suauitate veneficij è belluis in homines noster nos incantator inuertat.

Verùm si admonitionum suauitatis, & correctionum asperitas ad improbo-

rum

rum emendationem fuerit inutilis, ad potentiora medicamenta accedamus
A oportet, quæ nobis sunt proximè explicanda.

De supplicijs ab Episcopis in eos inferendis, quos habita correctio non emendauit. Cap. XIX.

AD populorum scelera extinguenda, voces igneæ Cælo non desunt: fulgura primùm, vt admoneat, blandè diffundit, in tonitrua inde minans erumpit; fulgura & tonitrua mox fulmen consequitur, quo montium celsiora fastigia quatiuntur & ruunt. Venustè hic Præsules designatos habes; quos Cæli loco habet & veneratur Ecclesia: si correctionum fulgetris, & tonitribus minarum ab
B scelerum præcipiti viâ reuocare populos non potuerint, fulmina rotent necesse est, & ad superborum frangendam ceruicem, supplicia inferre tenentur: Oculum & linguam Præsulis si despexerint gentes, manum saltem timeant, & supplicij infligendi formidine auerrantur à criminibus, quos virtutis amor reuocare non valuit: quæ pudor haud obtinuit, timor faciliùs impetrabit, vt solidè Aristoteles docuit. *Non enim ità natum est, vt pudori obsequatur, sed vt metui: nec vt abstineat à prauis ob turpitudinem, sed ob supplicia & pœnas.* Arist. l. 10. Ethic. c. vit. Plut. in moral.

Tres hominum species satis sibi discordes Plutarchus expendit: alij namque sunt, qui virtutis amantissimi Magistros & Duces appetunt quibus corrigantur: alij, qui correctores non appetunt quidem, sed non respuunt: alij demùm, qui non eos inquirunt, sed eos respuunt; de his Regum Sapientissimus. *Non amat pestilens eum, qui se corripit: nec ad sapientes graditur.* Primos ille ijs comparat, qui dentium dolore cruciati, medicorum opem inquirunt; alios ijs confert, qui Prou. 15. 12
C febri laborant, & medicum libentèr excipiunt; alios demùm ijs, qui cum insaniant eos expellunt; de his actum est; veternosis viris hos comparat Augustinus, qui obcæcati lumen reijciunt, eosque obiurgant, qui eos excitare conantur. *Recede à me ait Lethargicus; quare? dormire volo: sed ille, morieris; ille inde, amore somni mori volo, respondet*: an ergo perituros eos omittemus? Apagè nobis hoc fit, ne de charitatis caritate damnemur: *sed charitas desuper, nolo*: non raro mihi accidit, vti nunc quidem hæc scribenti, vt ceruicosos adeò & perduros corrigam viros, quos nullus admonitionum amor, nulla pœnarum formido à consuetâ peccandi licentiâ valuit amouere; vix enim à me abierunt, vt rem prohibitam repererint, repertâque fuerint oblectati: è munere igitur meo duxi, vt eorum saluti prospecturus virgam arriperem, & mitigatorijs medicamentis rejectis, ad veternum ablegandum, asperis vterer & cruentis. D. August. ser. de verb. Domini.

Nec aliâ quidem de causâ Astræam veteres exprimebant, vel vt alij vocant Nemesim, puellari veste indutam, & seuero rigidam vultu, dexterâ lancem, læuâ gladium gerentem, vt scilicet duo Iustitiæ potissimùm munera designarent; sicut enim suum vt cuique tribuat, lancem librat, sic vibrat ensem, vt suo
D quemque circumscribat officio, sontesque castiget: vbi ergò inualida verba fuere, sit potens manus, rigorem experiatur, quem benignitas non emolliuit: si suâ abuti clementiâ populos Antistes agnouerit, Iustitiæ gladium euaginet, iuxtà documentum, quo Anatolium Constantinopolitanum Antistitem Diuus Leo informauit; *ità vt his, quibus prodesse non potuerit correctio, non parcat abscissio*: quicumque correctione à Præsule habitâ persistit adhùc in errore, ad mentem eximij Doctoris, & purpurati Turrecrematæ, vt inemendabilis, est puniendus. D. Leo epist. 76. Turrecrem. in c. 1. 45. dist.

Ea sacri Codicis verba meditatus Clemens Alexandrinus, *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium*, his veluti gradibus loquens incedit: quem humanæ admonitiones non emendant, minæ terreant; quos autem, licet virgâ percussos, adhùc crimen irretit, *eos ignis depascet*. Ipsissimet Isa. 2. 7. Clem. Alex. 1 Pedag. c. 7

Senec. l. 1. de ira c. 5. met verbis hæc Sanctus Magister hausisse videtur è Senecâ, qui Rempublicam & Præfectum Medico comparat (factum esse Medicum etiam Antistitem superiùs ostendimus): hic autem, si leuis fuerit morbus, salutarem primùm viuendi rationem adscribit; ni satis hoc fuerit, ad maiora se componit; victum extenuat, seueram inediam præcipit; si adhùc inualescat morbus, ad pharmaca procedit, quibus fœdis, & purulentis humoribus stomachus exoneretur; ad vulnera inde & sectiones, quibus tùm venas aperit, tùm membra rescindit, ne in cætera morbi vis irrepat; hæc omnia tamen, licet re verâ molestissima sint, adhùc tamen alacritèr ab ægro excipiuntur, eò quòd salutaria illi apprimè videantur & sint. *Ità legum Præsidem, Ciuitatis Rectorem decet, quandiù potest verbis, & his mollioribus ingenia curare, vt facienda suadeat, cupiditatemque honesti & æqui conciliet animis, faciatque vitiorum odium pretium virtutum*: correctiones hic primum blandè illatas habes: *transeat deinde ad tristiorem orationem, quâ moneat adhùc & exprobet*: iam vides obiurgationes & minas: *nouissimè ad pœnas, & has adhùc leues, & reuocabiles decurrat*: supplicia hic indicantur; & si hæc inutilia fuerint, ad acerbiora deuenitur; *vltima supplicia sceleribus vltimis ponat: vt nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis intersit*. Lenia & mitia medicamenta si fuerint inualida, ad scammoniæ potum venias, è fomentis, ad vulnera, ne ex impunitate peccandi licentiosiùs improbi insolescant. A B

D Chrysost hom. 59. in Genes. Imperitus & rudis sit ille medicus oportet, qui vbi ferro & vulnere agenda res est, mitigatorijs & malagmatis vteretur; profectò immedicabile ipse vulnus efficiet, cum medicæ disciplinæ sequatur leges, nec vrgenti necessitati prospiciat.

Diogen. Laertius l. p c. 1. Eâdem pariter ratione cum ijs ambulandum nobis est, quos vel inemendabiles, vel supplicio dignos experimur, cum correctio sit quoddam hominis carmen, ad quod viri perditi suas aures obstruxerunt. Quam ad rem Laërtius concinnum Zenonis acroama recitat: hic enim, cùm aliquos adstantes viros de singulari aliquâ noxâ castigaret, è consulto quendam non emendatum omisit; hic igitur, vt se alijs componeret, Philosophum rogauit, quânam de causâ suorum criminum correctionem præteriret; cui Philosophus, *quia tibi non credo*: Obduratus in vitijs adeò ille erat, vt ad ea euellenda inutilis omninò correctio videretur. C

Ferro imp. fo 413. Vgo Vict. de Inst. Nouit. Amicus, qui peccandi consuetudine obealluerit, ferrum videtur ad nostros vsus inutile, nisi malleo contusum flectatur: ad rude durumque adeò metallum accommodandū, ictus tantùmmodo prosunt & verbera: quamobrem ferrariam officinam suis cum instrumentis quidam expressit subiecto lemmate, *Dant vulnera formam*: non admonitiunculis & verbis, non obiurgationibus, & minis agenda res est, ad ictus, ad ictus Steropio brachio insi geodos accedas, vt tenerescat: Hugonem de Sancto Victore profero hæc docentem. *Difficile est cor malitiâ induratum ad formam disciplinæ, & speciem honestatis incuruare: sed necesse est, vt dura materia, cum facilè ad formam non flectitur, et acriori flammâ incendium, & mallei grauioris percussio adhibeatur*. Hoc paritèr modo Theodoretus perpendit, flagitiosissimos mores, quibus Heli filij sordescebant, non verbis, at verberibus fuisse corrigendos; frustrà admonitionum vim in eis corrigendis Sacerdotibus adhibebant, qui non prohibendi tantùm ab vsu Sacerdotij erant, sed ipsomet Sacerdotio spoliandi: do eius verba. *Horum iniquitas non egebat leuibus medicamentis, sed acerrimis & asperrimis. Oportebat ergò, cum post primam & secundam admonitionem perseuerassent in nequitiâ, eos a templi ambitu expellere*. D

Theodor. in p. Reg. 9. 10.

Arctè nimis obstringuntur Antistites ad supplicia adhibenda, vt ijs ostendant, se res illas detestari, quæ Diuinis humanisque legibus aduersantur: in sublimi fastigio nos collocauit Deus, vt ex eo, tanquam è speculo, corruptelas vitiorum inspiceremus, ad eas curandas, & obducendas; quò igitur excelsiori in apice versamur, eò etiam longiùs abesse debemus à vitijs; eaque à nobis auertamus, quæ ab alijs amouere contendimus; vt enim Cassiodorus ait. *Euectus in excelsum, indè magis vitia despice*.

Cassiod.

In criminibus plectendis nullo vtitur Antistes arbitrio: arctissimo ipse vinculo iusti-

A iustitiæ obstringitur, vt suæ satis conscientiæ faciat; sic definit Aquinas vnâ cum omnium Theologorum suffragio; nostro muneri deficiemus, si in nobis iustitiæ zelus defecerit: potissimùm sacerdotio tàm illustri decorauit nos Deus, vt peccatorum & scelerum venenola germina euellamus; virtutum verò segetes in Ecclesiæ campis excolamus: Hyeremiæ ore hoc ipse Deus nobis indixit: *Ecce ego constitui te super gentes, & super regna: vt euellas, & destruas, & disperdas, & ædifices, & plantes*. Ad quod significandum in veteri lege qui exulabant, ab vrbibus, quas refugij vocabant, abscedere nunquam poterant quoad viueret Pontifex, & vt paternas domos repeterent, abire prius è viuis supremus Sacerdos debebat; explicat hæc Philo Hebræus; quia enim Pontifex, vt populorum suorum Præfectus, & Pater *vniuersæ gentis in commune cognatus & propinquus est Pontifex, crimina illa impunita non omisisset. Hunc igitur timere debet quisquis inuitus cædem patrauit, vt propugnatorem, & protectorem necatorum: continereque se intra sua receptacula, si modò cupit, sine periculo viuere*.

D Thom. 22. q. 3. ar. 4 c. — D Hier. 1 10. — Philo 1. de specia.ibus legibus.

B Deo illi nos inserimus, qui Isaiæ pennicillo nunc lucis, nunc ignis colore describitur, vt ostendat, inquit Ambrosius, ignem se in eos futurum, qui se vt lucem contempserint; id fortè tantus Magister ab Hebræo Philone desumpsit, cuius ea sententia fuit, non aliâ de causâ inter flammarum globos legem suam á Deo in monte præscriptam, nisi vt significaret, eos, qui ad ignis lumen se non emendauerint, ignis ardore cruciandos; ad eius lucem qui cæcitatem animi non exuerit, ad eiusdem flammas cæcitatis pœnam luat; qui ad tonitrua adhùc obsurduerit, fulminibus exarescat; aculei vim patiatur, qui mellis dulcedinem aspernatur; qui aduncâ litui Episcopalis parte trahi non gaudet, ferratâ eius acie percutiatur.

D.Ambrof. ser. 8. in Ps. 118. cap 2 Philo.

Quàpropter in suo Pastorali Antistites instruens Diuus Gregorius pronunciauit: *Plerumque a subditis etiam sancti viri timeri appetunt, sed quando ab ijsdem subditis Deum minimè timeri deprehendunt; vt humana saltem formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant*. sed quî hæc eum illâ potestate consonant, quâ Deus Adam obarmauit, ad belluis tantùm terrorem inijciendum?
C do solutionem ex eodem. *In eo enim quod metum sibi a peruersè viuentibus exigunt, quasi non hominibus, sed brutis animalibus dominantur; quasi videlicet ex quâ parte bestiales sunt, subditi ex eâ etiam debent formidini iacere substrati*: quod idem priùs Diuus Augustinus docuit.

D.Gregor. in p.Pastor. c. 6. — Genes. 9.2.

§ I.

NEC ad auertenda sibi aliena odia hanc potissimam sui ministerij partem omittere debet Antistes: illud apprimè sciat, quod liberè insinuauit Apostolus, iniustè scilicet Dei administri nomen & munus ab eo sibi vsurpari, qui vt hominum voluntati voluptatique blandiatur, eos arguere, & animaduertere, cùm opus fuerit, detrectat.

Imperitus certè & prorsùs insipiens Medicus ille, vel Chirurgus audiret, si vt ægri nauseæ, & vulnerati doloribus indulgeat, amaras ille potiones ad febrim
D auerruncandam non præscriberet, hic ad putulenta, corruptaque secanda ferrum minimè adhiberet: salus omninò danda est; licet igitur potio amarescat, licet ad vulnerum latebras inquirendas, & abstergendas sordes, ferri acies erueiet; ad pretiosissimum omnium bonorum, hoc est sanitatem comparandam, perpeti omnia decet & tenemur: ad spiritalem sanitatem reddendam animis, medicamenta quæcumque, licet peracerba & aspera, Antistes adhibeat; amarescunt illa quidem, sed sanant; cruciare videntur, at iuuant: *non enim nocent, sed medentur, specie nocendi*, vt ait Seneca: quòd si ab eis abstinueris, morbus augetur: lenitatis emplastrum in venenum desciseeret; non pietas, at crudelitas esset; doleat quidem & sonorè conqueratur è præstitâ sectione; vt resipuerit æger, gratias secanti referet, & blandus eum excipiet, in quem priùs maledictis assurgebat, vt suum benefactorem amplectetur, quem priùs vt carnificem tortoremq;

Senec l. 1. de ira c.5.

abhorrebat; habes hac in re stylo clarissimo Diuum Cyprianum spatiantem. *Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum, virus inclusum, dum seruat, exaggerat: aperiendum vulnus est, & secandum, & putraminibus amputatis, medela fortiore curandum; vociferetur & clamet licet, & conqueratur ager impatiens per dolorem, gratias aget postmodum, cum senserit sanitatem.* Magistrum hic suum Tertullianum vel imitatus, vel æmulatus videtur, eadem enim ab illo habentur, licet alio sermonis colore descripta. A

D. Cyprianus l. de lapsu.

Tertull. ad Gnost. c. 5.

Vlcerosum facilè vulnus & breui computrescet, ni ferrum exerat Chirurgus: ni ægrum pharmacis amarulentis vexauerit Medicus, deteriùs, & insanabilitèr febricitabit; quidni igitur salus erit eis comparanda? quis arcem ab hostili irruptione tutam faciet, si speculator, ne obdormientes milites excitet, non conclamauerit ad arma? quis populorum campos venenosis herbis spoliauerit, si ad delictorum supplicia deses & ignauia fuerit Præsulis manus? Tertulliano magistro scias ò Præsul, *Quod feritatem existimas, gratia est*: Et si delinquens conqueretur, eum cum Augustino instrue, *de pœna tua peccatum accusa, non Iudicem.* B

Tertullian. contra Gnostic. c. 5.

D. August.

Si autem vel ipse, vel qui eius iniquitati patrocinatur, illud præferat, quod frequentissimè viri prophani, ac si sacros viros velint instruere, Episcopos obiurgant, hoc est, quod cum nos amantissimi & blandissimi Dei simus administri, Deum imitaturi in pietate sumus, quâ benignissimè veniam ijs impertitur, quos suorum criminum pœnitentia tetigit, obstruere os eorum debemus, simulque in rebus sacris, quas prorsùs ignorant instruere: sicut enim homo è læthali peccato non tantùm culpæ reum se facit, sed etiam ad luendam pœnam paratus esse debet, ità vt culpæ reus Diuinam indignationem subeat, sique eo temporis articulo moreretur, Diuini aspectus beatitatem æternam deperderet, & pœnæ reus ad æternos inferorum cruciatùs destinaretur; si autem patrati criminis eum pœnituerit, & doloris lauacro se abluerit, Dei indignatione remotâ, culpa quidem remittitur, sed adhùc pœnæ aliquid exoluendum remanet, ità vt, cùm æterna prius esset, temporanea euadat, & vel in præsenti vitâ, vel in futurâ sit exoluenda: deleta igitur crimina punit in hac vitâ Deus, ne cruciatu maiori inter purgantes flammas illa castiget, adeò vt quæ sæuitia videtur, benignitas & pietas sit, vt ait Diuus Paulinus. *Tanta est summi Patris pietas, vt etiam ira eius misericordia sit, & ideò castigat vt parcat.* C

D. Paulin. epist. 10.

Nec rarò ipse idem ad peccati vomicā sanandam, ferri instar molestias exerit, & quia vult parcere, parcere non videtur: ferox Chirurgus audit, cū sit pijssimus Parens; ingemiscat fauciatus, lacrymetur, & de dolore, quo vexatur tristissimis vocibus conqueratur; Deus namque amantissimus eā doloris vi vulnus conglutinare contendit: *Deus non parcit, vt misereatur, nec considerat patientis dolorem, sed vulneris sanitatem.* Sic Hieronymus. Verùm, si antequàm omnimoda pœna Diuinæ iustitiæ exoluta fuerit, fortè moriamur, licet deleta culpa fuerit, quis ignorat, pœnæ totius reliquum exoluendum Deo rigido eius exactori? & quamuis breuis fuerit peccati voluptas, proh Deus! quàm grauis & prolixa pœna nos manet; *Productior est enim pœna, quàm culpa, ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna.* D

D. Hieron. Ezech. 4.

D. August. tract. 124. in Ioan.

Tu Deus, qui in eodem misericordiæ solio, Iustitiam simul iubes assidere, & vt ait alibi Augustinus, *veritatem dilexisti, hoc est impunita peccata eorum etiam quibus ignoscis, non dimisisti; sic prorogasti misericordiam, vt seruares & veritatem: ignoscis confitenti, agnoscis sed te ipsum. Sic seruatur misericordia, & veritas.* Quid ergò Deus arguitur, eò quòd ad suæ iustitiæ dedecus peccantes non impunè dimittat, & liberiorem viam scelestis aperiat?

D. August. in Psal. 30.

§. II.

A

§. II.

EX his, quæ præmissa certissima sunt, alia sanctus idem Magister consequentia trahit, quibus & auertuntur, quæ scioli quidam magistelli temerè effundunt & effutiunt; Amorem infinitum, quo nos prosequitur Deus, quis velit omittere? molestias tamen & pœnas in nos immissas quis etiam nesciat? Deum igitur & tu Præsul imitare; tuos populos ama, sed eorum simul scelera castiges, si namque impunita prætericris, eorum amor & salus tibi cordi non erit; audi Augustinum. *Sicut ergo ille diligit, & tamen corripit; sic & tu, si habes aliquem in potestate, quamuis serues affectum dilectionis, noli tamen negare flagellum correptionis: quia si negaueris, non tenebis dilectionem; quia ille moritur in peccatis, qui fortè correptus ea relinqueret; & magis tibi imputatur verum odium.* D. August. ser. 1. in nouiss. de lu-ctatione Iacob.

B Sic ad fœcunditatem dandam, aratrum sæuit in tellurem; sic ad rubiginem eliminandā, lima ferrum vexat & eruetat; sic demùm signo calcatur cera, vt sculptā formā imprimatur.

Suorum cruciatuū certamen Christus Dominus initurus, Apostolos alloquens ait, *sed nunc qui habet sacculum tollat, similitèr & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium:* Luc. 12. 36. cum autem paulò post ad Christi præceptoris vitam tuendam gladium exercere voluit Petrus, & nefarios illos sycophantas arcere, eum verbis illis corripuit: *Conuerte gladium tuum in vaginam:* Matt. 26. 52 Io. 18. 10. elegantèr ad hæc explicanda suum sermonem accommodat Diuus Ambrosius, & Petri personam induens, Christum Dominum de ratione percontatur, quā gladio eum obarmauerit, dum in ipsomet certamine, gladio eodem exuitur: quorsum gladius ferendus, vt semper vaginā claudatur? *Cur ergo ò Domine emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur habere præcipis, quod vetas promi:* D. Ambros. in Luc. 22. 36. Gladium ab Apostolorum manu Deus auertit, ne cruciatus, quos ipse vltrò

C subibat, ei præpedirent; gladium autem eundem stringendum eisdem dedit, vt in eos ipsi iustitiā armarentur, qui suis criminibus iterum cruci eum affigunt.

Quàpropter Hugo Victorinus, ac si Diuo Ambrosio interroganti responsum adhibeat, ait: *hic est gladius spiritualis, quo Prælati vitia hominum ferire debent, quem illis Petrus reliquit, si tamen eius feruoris hæredes existunt.* Hugo de S. Vict. in allegor. Gotfridi Talmani ad c. 22. Lucæ. Simul cum dignitate potestatem etiam nobis suam impertiuerunt Apostoli, ad eas vlciscendas iniurias, quibus Diuinitatis sanctitas violatur: in re tanti momenti blandiores & benigniores ipso Deo esse non licet, cum Diuinæ gloriæ detrimento, populorumque pernicie: optimè igitur nos alloquens idem Hugo hæc habet. *Videte igitur o Pastores quid facitis: Christus in oculis vestris crucifigitur, & vos gladium in vaginā habetis? quid in passione Christi fecissetis, qui modo ad percutiendum pigri estis?*

Non igitur pietati tribuendum, si scelera impunè ferri permiseris: pietas dicenda non est, quæ subditis parcens, eorum licentiam fouet, eisque habenas tradit, quas suarum cupiditatum, & vitiorum arbitrio moderentur: quis nudum gladium insanienti præbeat? qui, vt pueri lachrymas sistat, ei nouaculam præacutam tradat? quæ Diuus Augustinus ad Lotharium scripserit à Gratiano relata,

D referam & ego. *Qui vitijs nutriendis parcit, & fauet, ne contristet peccantium voluntatem, tàm non est misericors, quàm qui non vult cultrum rapere puero, ne audiat plorantem; & non timet ne vulneratum doleat, vel extinctum.* c. qui 38. 23 q. 5.

Vt Dynastis quibusdam gratificaretur Siciliæ Pro-Rex reum carcere homicidij causā damnatum absoluit; alium breui rursus ille necauit, & eùm carcere rursus detineretur, Proregem iterum Dynastæ adierunt, petituri ab eo, vt reo beneficium vitæ conferret: rogantibus ille respondit hoc sanè memorandum; nefas omninò est, vt à proximè inferendā ei morte eum reuocem, atque vtinam ei aliàs non pepercissem: primum namque homicidium ille patrauit, alterum è nimiā facilitate, quā peperci peccanti, ego patraui.

Si filiorum profligatos mores rigidè Heli castigasset, decus eorum, sacerdotium,

tium, vitam, beatitatem seruasset; è nimiâ & immodicâ clementiâ, quâ eos agebar pater blandissimus, omnia miserrimè perdiderunt: ne eis displiceret, Ponti- A ficem se esse oblitus, Pontificium decus amisit, seque vná cum ipsis calamitatibus extremis inuoluit; tunc sanè se parentem simul & Præsulem omnibus præstitisset, cùm suppliciorum seueritate à vitiorum lenocinijs ad virtutis asperitatem eos reuocasset: illa siquidem ad Hennodij mentem, *dignus Patre amor, quem censura conciliat: deuenustat institutoris genium, qui per solam gratiam vult placere.*

Ernod epis. ad Laur. Mediol. habetur in Cóc. Roman. sub Simaco.

Si de proditione in fratrem intentatâ Absalonem eâ, qua fas erat, seueritate Dauid animaduertisset, nunquam ille paternam clementiam tantâ perfidiâ decepisset: è condonato fratricidio ad parricidium moliendum breui ille deuenit; eò quòd è paternâ beneuolentiâ, quâ blandissimè illum Dauid excepit, eò insolentiæ, procaciæque deuenerit, vt è Patris excidio ad regium conscendere solium cogitaret: verùm comet capillo carnifice miserrimus perijt, quem coronandum sibi parauerat; sed do Chrysostomum. *Semper enim scelera, dum non resecantur,* B *increscunt, & in augmenta facinorum prolabitur, quoties securâ impunitate peccatur; dum enim in Absalone fratris occisi facinus non uindicatur, in parricidium Patris recidiuum facinus iteratur.*

Quis insipiens adeò & insanus esset, vt maximâ egestate laborans se eius obsequio non deuoueret, qui liberalitèr illi vitæ alimenta suppeditaret? qui arctissimè se ei non obstrictũ haberet, à quo palmares sibi condonarentur iniuriæ? pari prorsus mensurâ benignus & liberalis ille dicendus Præsul est, qui subditorum delicta castigat; si namque iuxtà Alcuini doctrinam Canonibus sacris immixtam, triplex Eleemosina datur: *tria sunt genera eleemosinarum, una corporalis, egenti dare quidquid poteris: altera spiritualis, dimittere a quo læsus fueris: tertia delinquentes corrigere, & errantes in uiam reducere ueritatis*: cum primæ illæ duæ vtilissimæ sint, eò quod corpoream vitam seruent, vtilior illis & hæc postrema dicenda est quæ sublimiorem sibi finem obiectat, corporis nempe salutem, & animæ beatitatem. Nec aliâ de causâ Hyeremiæ virga vigilans pri- C mùm se dedit aspiciendam, vel vt Diuus Ambrosius, & Iansenius legunt, *uirgam floridam*, & inde posteà feruentem ollam, nisi quia qui Episcopali virgâ correptus non leuitèr fuerit, facilè in tartaream ollam flammis æternis æstuantem detrudetur; profero Ambrosij verba. *Hyeremias priùs uirgam florentem, & postea ollam succensam uidit, quia qui uirgâ correptionis non caditur, in ollam mittetur ut ardeat.*

c. tria sunt. 12. 45. dist.

Hier. 1. 2. 3

D. Amb. ibi

Hoc etiam ex illis bonis est, quo aliquem licet inuitum cumulamus, ait Diuus Augustinus; quò enim magis sui ipsius inimicos agnoscimus, eò ardentiùs saluti rerum omnium pretiosissimæ eorum laboramus. Hoc planè more se Diuus Paulus cùm obscœno Corintho se gessit, quem frustrà ex incestuosis sordibus auertere suarum admonitionum fragore tentauerat: stygijs tortoribus eum cruciandum obtulit: immodicè seuerum Paulum non nemo pronunciabit; minimè verò, ait Paulus: mihi quidem medica disciplina cognita satis est; vt salus animæ detur, hæc cura corpori adhibenda: statuta lex est, sententiam tuli. *Tradere huiusmodi sathanæ interitum carnis, ut spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi*: ad hoc obstrictum fuisse Apostolum Diuus Ambrosius docet, D vt ignauiam Episcopi administrorumque desidiam compensaret: sequentia sanè verba hoc videntur indicare: *Non est bona gloriatio uestra*: è quibus colligitur ignauè satis & mollitèr tàm fœdo sceleri eos obstitisse: *a quo crimine mali Doctores aut dissimulabant aut negligentiùs arguebant.*

D. August. in Enchirid. c. 3. c & qui 11. 45. dist. 1 Cor. n. 5. 5.

D. Ambr. ibid.

§. III.

HAEC tamen vtilitas non in solâ peccantis personâ consistit, in alios etiam deriuatur: eadem pœna eos, qui pari culpâ turpantur, manet & percutit: vnius pœna, plurimorum magisterium est: mirum quiddam hoc est; ab vno tantùm

tantùm pharmacum propinatur, & in plures optata valetudo redundat: hoc
A sanè nos è Cælo monemur. *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit* non is Prou.19. 5
tantùm, qui tunditur fulmine, obtunditur, in alios etiam latè spargitur terror: qui simili propè culpâ sordescit, leuissimæ quidem mentis esset, si alieno supplicio sibi non caueret, & alieno sumptu sui parsimoniam non addisceret; quî præcipitem viderit socium, si compos sui fuerit, dispari viâ præcipitium declinabit. *Nimium praeceps est, qui transire contendit, vbi conspexerit alium cecidisse; & vehementèr infrunis est, cui non incutitur timor, alio pereunte: & ipse est prouidus, qui sollicitus fit cladibus caeterorum.* Sic Gregorius magnus & maximus. D. Cyp. 1.

Tribus è rationibus, quibus plectenda sunt crimina, hæc etiam recensenda est, ait Gellius, vt scilicet, ad supplicium vnius, omnes à vitio arceantur: quâ pariterè sententiâ loqui visus fuit Diuus Augustinus, quem Sacri Canones referunt, superiorijs nempè munus esse reum plectere, *vt aut ipse, qui plectitur corrigatur experimento, vt alij terreantur exemplo.* Membrum vnum sapiens medicus cruciat, vt ab irrepente contagione cætera seruet illæsa: ad populi igitur totius sanitatem, cruciетur torqueatur vir flagitiosus: audi iam Præsulum exemplar & Magistrum. *Dum vnus corripitur, plurimi emendantur, & melius est, vt propter multorum salutem vnus condemnetur, quàm vt per vnius impunitatem multi periclitentur.* Aub. Gell. l 5. cap. 14. D. Aug l. 19 de Ciuit c. 16 c. non est 23 q. 5. D. Gregor. epist.
B

Hinc patet in vrbem totam vniuersamque Rempublicam suppliciorum vtilitatem deriuari; ad huius sanè commodum dirigenda esse supplicia Romanus orator docuit. *Omnis enim animaduersio debet non ad eius qui punit aliquem, sed ad Respublica vtilitatem referri.* Quápropter Massiliensis Præsul Saluianus docuit, euellendorum criminum studium gloriosissimum supra cæteros titulos esse, quibus non Episcopus tantùm, sed quisque mortalium decoretur; do eius verba. *Procurator enim est quodammodo salutis humana, qui non tantùm id agit, vt ipse bonus sit, sed efficere hoc innititur, vt alij mali esse desistant.* Cic l. 2. de offic. Sa'u. l. 7. de Gubern.

C Magni vrbibus momenti est, vt fœdas fœtidasque vitiorum latrinas obstructas habeant, ita vt nullus sit Ciuis, qui vel proborum candorem obscuret, vel suis criminibus Diuinam indignationem obarmet, vel suorum morum impunitatе licentiâ alijs malo exemplo sit, ad ea seruanda vestigia, quibus peccandi impunitas viam sternit. Humani corporis exemplo Romanus hæc confirmat Orator; in hoc enim vt cætera membra seruentur, vnum abscinditur: abscedant ergò, & è numero ciuium abscindantur viri nefarj, ne alij eorum societate & exemplo putrescant: breui hoc idem Diuus Augustinus indicauit: *timendum est, ne plura putrescant, dum pluribus parcitur.* L congruit ff de offic. Præsid. Cicero. D August: ep. 89.

Hinc statuit Aquinas, iudicem subiectum reis gratificari non posse, sed teneri ad ea inferenda supplicia, quæ Rempublicam iuuant, *ad cuius bonum pertinet, quod malefactores puniantur*: & quamuis haud ipse inficietur, Principem, & consequentèr Episcopum id facere interdum posse; adhùc tamen illud addit, *si hoc publicæ utilitati uiderit non esse nocumentum*; quod accuratè perpendendum in eos est, qui reprobos viros patrocinantes, importunis precibus Hyerarchas fatigant, vt eos cunctis pœnis absoluant: hi certè, tùm quià arrogantèr petunt, tùm quia omnia indiscriminatim petunt, nihil prorsus ab eorū clementiâ essent recepturi. D. Th. 2. 2. q. 57 ar 4.

D Improbitatem plectens, innocentiam seruas, vitium eliminas, virtutem coronas, populos beas: recentissimis Christi fidelibus in Galatiâ commorantibus hanc precabatur fœlicitatem verbis illis Diuus Paulus. *Vtinam & abscindantur, qui nos conturbant*, quibus enixum satis amorem ostendit, quò parentis optimi in morem illam Ecclesiam deperibat, & licet diris deprecationibus defigere reos videatur, iuxtà mentem nihilominus Diui Hieronymi, dici potest, *quòd Paulus non tàm maledixerit eis, quam orauerit pro illis; ut eas partes corporis perderent, per quas delinquere cogebantur.* Galat 5. 12 D. Hyeron. ibid.

Othonem tertium Cæsarem hac in re præconio illustri celebrauit Diuus Petrus Damianus; ipse enim præclarissimis iustitiæ operibus reliqua sua egregia facinora illustrauit, cùm tres imperij sui magnates oculis spoliari iusserit, eò quòd inopes & imbecilles viros suâ potentiâ suisque opibus abutentes opprimerent. Damianus. l. 7 ep. 11. in fine.

Viden,

Viden, vt faluberrima populis supplicia sint, & vniuersam fœlicitatem foueant? vt enim de eo Damianus pergit, *Vnde per ora populi hac te praconij fama diffuderat. In euulsione sex oculorum unum pacatum est Regnum. Tres facti sunt caci, & omni populo quietis optata lumen infulsit.* Nulla vberior videtur resonare posse facundia ad commoda explicanda, quibus è paucorum supplicio tota vrbis tranquillitas cumulatur; ad huius tranquillitatis partem ipse etiam Præsul aduocatur; quandoquidem præter gloriam, quam ex orbis famâ comparat, suæ dignitatis robur & vigorem seruat inuictus; hâc sanè de ratione ad mulctanda crimina superiores Gellius adhortatur: *Cum autheritas dignitasque eius, in quem peccatum est, tuenda est, ne pratermissa animaduersio contemptum eius pariat, & honorem leuet.* A

Gell. l. 6. c. 14.

Verùm, quòd potissimum est, Dei beneuolentiam ipsi sibi conciliat, eum iniquos plectere gratissima omniũ victimarũ Deo, cuius causa agitur, sit, & illa prorsus, quâ Sacerdotij supremi dignitas impetratur: illi, qui nullâ vel sanguinis, vel amicitiæ ratione habitâ, Diuinitatis iniurias vlcisceretur, in Deuteronomio promisit Deus, vt thimiama posset ipsi adolere, & ad Diuinam indignationem extinguendam offerre holocausta; profectò Leuitæ, eò quòd Moysis hae de re alacritèr præcepta seruauerint, illud è Moysis ore exceperunt; *Consecrastis manus uestras hodiè Domino*; & sacerdotij hæreditatem in suâ Tribu acceperunt; eâdemque de causâ supremum sacerdotium tùm sibi, tùm suis Phinees Diuinâ è manu comparauit. *Eris tàm ipsi quàm semini eius pactum Sacerdotij sempiternum, qua zelatus est pro Deo suo.* &c. B

Deuteron. 33. 9.

Exod. 32. 29

Num. 25. 13

Quàm indecorum in Episcopo sit, vt crimina impunita prætereat. Cap. XX. C

EX ijs, quæ superiùs attulimus, liquet, quàm perniciosum & indecorum sit, vt criminum licentia impunè vagetur: æquè vtile est illa animaduertere ac vlcisci, quàm noxium sit ea nimiâ clementiâ dissimulare. Ex Episcopi hebetudine, specioso benignitatis nomine conuestitâ, fit, vt subditorum noxis impunitis, vitio famuletur virtus; eiusque enorme iugum patiatur: Rgenandi leges nescit, qui tùm virtutum mercedem, tum vitiorum pænas omittens, improbos hau d coërcet, & probos non extimulat.

Lepidâ satis loquendi formâ Laeon quidam Chorilaum Regem, vt ad regnum administrandum ineptum expressit: cùm enim eius laudes ab alio perciperet, vt è Plutarcho habetur, ironicè respondit, *Qui iste probus sit, qui ne malis quidem acerbus est*: pari quoque argutiâ de Antonino Cæsare iocatus est Auidius Cassius: *Homo sane optimus, qui dum clemens dici cupit, eos patitur viuere, quorum ipse non probat vitam.* Egregiè enim verò: in abusum enim facilè elementia degenerat, in licentiam abusus, inexcidium licentia.

Plutar. de amic. & adul. discer. Auid. Cass.

Quis pietatem ignoret in Christianâ Religione tanquam in suâ sede immorari? sed iniusta pietas esse dedignatur; immò iustitiæ tantùm sororis veluti manibus, optat coronari; suo illa periculo didicit à iustitiâ non disiungi, ne vilescat, & laudibus amissis cachinnos, & scommata patiatur: hinc ea Diui Ambrosij verba in Canonibus sacris exarata. *In ipsâ Ecclesia, vbi maximè mereri decet, teneri quàm maximè debet forma iustitia*: D

D. Ambr. ser 8 in Ps. 118. vers. 1 c. 33. 23. q. 4

Ad familiarem suum Præsulem Diuus Petrus Damianus scribens, strenuè eum excitat ad suorum Clericorum obscœnitates, & impudicitias castigandas: ex eâ singulari lege, quâ fontes punire tenentur Episcopi, *quos nimirùm necesse est, vt contra vitia subditorum Sacerdotalis zelus ferner accendat.* Quia verò Romæ mos inualuerat, vt in luxuriosos, obscænosque viros, & potissimùm lithurgos nulla causa ageretur, eo nomine, ne scilicet cum sæcularium offensione sacrorum virorum

D. Pet. Damian. l. 4. ep. 15.

rorum luxus, & libidines euulgarentur, ex huiusmodi impunitate, & conniuentiâ, Impudicitiæ vitium adeò saeris viribus, & legibus iniuriosum in immensum propè se porrexerat, & familiari more agebatur; hinc autem fiebat, vt perniciosa potiùs, quàm vtilis medicina esset; si quidem sæculares viri, quò magis de punitis flagitijs acquieuissent, eò etiam magis de eorum impunitate eruciabantur. Nicolaum igitur Secundum supremum Christianæ Religionis Præfectum seriò Petrus Damianus admonuit hâc formâ. *Nostris quidem temporibus genuina quodammodo Romana Ecclesia consuetudo seruatur, vt de cæteris quidem Ecclesiastica disciplinæ studijs examen, pro vt dignum est, moneat: de clericorum verò libidine propter insultationem sæcularium dispensatoriè conticescat; quod certè satis correctione dignum est: ne vnde vulgus omnis conqueritur, inde potissimùm à magistris Ecclesiæ in iudicio taceatur; si enim malum hoc esset occultum, fuerat fortassè vtrumque ferendum: sed ob scelus, omni pudore postposito, pestis hæc in tantam prorupit audaciam, vt per omnia volitent loca scortantium nomina concubinarum.* D. Petr. Damian. l. 1 epist. 6.

Alia vberrimè ipse suppeditat, quibus plures sententias è sacro codice peritas adiungens, legem ostendit, qua obstringuntur Antistites, vt populorum crimina animaduertant. Priuatas suas iniurias vltrò remittat Antistes; hæc enim illi gloria est, vt suum decus videatur oblitus; quin è Christi lege ad hoc præstandum ipse tenetur, vt Christi æquè discipulus sit ac minister: quas verò in Deum patrauit iniurias hominis audacia, condonate ipsi nullatenùs potest: iure igitur merito de nonnullis Diuus Hieronymus conqueritur, qui debitum ordinem permiscentes, lenissimi ac facillimi sunt in eis remittendis iniurijs, quibus Numen violatur, cum è contra seuerissimi sint in suismet puniendis. *Sciendum, quod si peccauerit in vos frater uester, & qualibet causa uos læserit, dimittendi habet is potestatem, imò necessitatem, quia præcipitur, ut debitoribus nostris debita dimittamus: Si autem in Deum quis peccauerit, non est nostri arbitrij. Nos è contrario in Dei iniuriâ benigni sumus, in nostris contumelijs exercemus odia:* quam eandem doctrinam non semel tantus Doctor exercuit, & charitatis gladio offensam illam diuidens, quæ Deum lædebat ab eâ, quâ ipsemet lædebatur, columbæ instar mitescere visus est in suis sufferendis iniurijs; cum è contrà ad Dei gloriam tuendàm Leonis instar insæuijt; hinc ea: *meam iniuriam patientèr sustinui, impietatem contra Deum ferre non potui.* Nulla quidem adeò illustris laus est, quâ pro dignitate eius Episcopi lenitas cōmendatur, qui in suâ causâ agenda se iudicem esse non patitur; cum ex aduerso probris omnibus dehonorandus videatur ille, qui nullam redolens Christianam pietatem, Diuinas iniurias æquo animo suffert: illud Chrysostomi quis ignorat? *In proprijs iniurijs patientes esse laudabile est:* Ethnicus ille idem scriptor hæc non ignorauit, de quodam enim pronunciat, *quod lentus in suo dolore esset, Reipublicæ iniurias ne largiretur.*

D. Hieron. in Matth. 18, 15.

D. Hieron.

D. Chrys. in Matth.

Tacit. l. 3. annal.

§. I.

DVT tamen statutum ordinem prosequamur, illud tutò asserimus, delictorum impunitatem perniciosissimam tùm ipsis delinquentibus esse, iisque, qui eâdem maculâ polluuntur, tùm Vrbi, & Ecclesiæ, ipsique præ alijs Antistiti condonanti. Iam verò vt sermonem de delinquentibus habeam, quem latet, prurigine vitiorum eos extimulari, quos nulla tangit formido pœnarum? criminum fomes illecebra, & lenocinium quoddam impunitas est: prædurus, & ceruicosissimus Pharao fuit? hoc forsan è facilitate profluit, quâ Moyses eius precibus delinitus supplicia remouebat; semper enim æquè facilem ac benignum Moysem fore, misertimus ille æstimabat; *Quis ignorat maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem.* Sic Romanus Orator. Cic. orat. pro Milone.

Non cautior tantùm, & prudentior è pœnarum formidine homo fit, sed ab ijs etiam criminibus vltrò abhorret, quæ ipsa pœna consequitur. Si è delicti dulcedine rapitur voluntas ad delictum, è supplicij ac rbitate ab ipso delicto retra-

hitur: si nulla supplicij ratio habeatur, cupiditatis æstuantis vi premitur voluntas, & ad ea vel inuita rapiatur & ruit, frænoque æquitatis excusso, verecundiam exuens, audaciam induit, eòque deuenit, vt eo solùm titulo peccet, vt videatur: quid hoc deformius? atque adeò Eugenium Pontificem, omnesque in eo Præsules seriò Diuus Bernardus admonuit: *quid petus impunitate vitiorum? impunitas filia est incuria, mater insolentia, radix imprudentia, nutrix transgressionum.* A

D. Bernard. l. de Consid.

Si quis scelera impunè prætereat, eaque beneficij conferendi titulo condonet, sub amoris specie odium exercet, & amici personam ferens, sæuitiam hostis exequitur: quid hoc perniciosius? vitio enim obcœcatus delinquens beneficij loco ea recipit, quæ reijcere vti venenata dona deberet. O quantò salubrior est virga Præsulis, quàm hebes indulgentia! Eximiè de re hac sermonem habuerunt viri illustrissimi, Magistrique nostræ Religionis admirandi Ambrosius, & Augustinus: non semper filio blanditur Parens, ait Ambrosius, sed interdum verbera in eum infligit; *ergò quando castigatur qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur. Habet enim amor plagas suas, quæ dulciores sunt, cum amarissimè inferuntur.* An quancumque benignitatem salutarem esse opinaris, interrogat Augustinus, & quodcumque verber immanè? longè deciperis. *Non omnis qui parcit amicus est, nec omnis qui verberat inimicus.* Qui lenissimis in suis remittentiis criminibus Præsul est, non amat te, sed te decipit: ipse enim in causâ est, vt in eodem crimine obdurescas: verè ille te diligit, qui te vel nolentem reuocat à delicto: *melius est cum seueritate diligere, quàm bonitate decipere:* qui insanientem obstringit, qui lethargicum excitat, molestus vtrique fatis est; sed molestus est, quia amans eius est, non igitur ex odij officinâ, sed ex amoris armamentario fulmina illa erumpunt, quibus identidem sæuire videtur Præsul, vt à vitio te auocet, & rapiat ad virtutem: hac certè in re discrimen inter verum Pastorem, & latronem gregis agnosces, ex eiusdem Augustini sententiâ. *Nouerit aliquando furem auertendis pecoribus pabulum spargere, & aliquandò Pastorem flagello ad gregem pecora errantia reuocare.* B C

D. Ambr. serm. 84. c. non osculatur 1.5 q.5.

D. August. epist. 84. c. non omnis 23. q. 5.

Aptissimè locum hic sermo habet, quem ad aliud explicandum Seneca intexit: multa febrici anti negantur, (sic ipse) quæ aucè ab ipso poscuntur: an non ex amore fit, vt gladium ab eius manu remoueas, qui doloris vi, & impatientiæ aculeis victus, ad egere suo illum pectori meditatur? rursus non ne amor est, qui ab amantium affectu son item insani amoris aue tit? *sunt quadam nociua impetrantibus, quæ non dare, sed negare beneficium est:* cùm è contra, si quæcumque petuntur dederis, eorumque voluntati fatis animo feceris, sæuissimus appellaris. *Excitati in perniciem regentium sana bonitas est.* Adeò verum est, quòd *sæpè nihil interest inter amicorum munera, & hostium vota?*

Sene. 2. de benef. c. 10.

Mihi satis hic non aberiam, si Sanctos Patres imitatus, rursum hîc medici exemplo vtar.

Si igitur medicus ægri arbitrio rationem viuendi tribueret, si pater ad filiorum incompositos & dissolutos mores cœcutiret, an non proditores eorum essent, & merito illum medicus daret, hunc flagitiosissimum pater efficeret? potionem & dapes ab ægro medicus rapit, sique insaniat, vinculis eum irretit; filium arguit & verberat pater, vt ægro ille vitam seruet, hic vt filij innocentiam tueatur; si secus vterque ageret, efferatus & cæcus vterque diceretur esset. Ad Bonifacium Comitem scribens hæc dedit Augustinus. *Molestus est medicus furenti phrenetico, & pater indisciplinato filio; ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligenter; si autem istos negligant, & perire permittant, ista potiùs mansuetudo falsa, crudelitas est.* D

D. August. ad Bonefac. Comitem.

Quàm longè à veritate discedunt, qui eos tantùm Præsules in pretio habent, quos hebetes & ignauos in suis corripiendis vitijs experiuntur: beneficia quidem non ista sunt, at detrimenta; tot ipsi sinu viperas fouent, quot cupiditates enutriunt: eâdem ipsâ impunitate rigidiùs eos puniunt, quàm seueritate pœnarû, & dû pati non sunt vt in corruptè perdiscere vt ... in malis vitijs consuetudinem inueratá vertere: efferatissimû & acerrimum hostem obarmant, quo rûm in futurâ, tùm in præ-

senti

ſenti vitâ miserè torquebuntur: fidem mihi de hoc facientem do rurſus Au-
A guſtinum. *Nihil enim infælicius fælicitate peccantium; qua pœnalis nutritur im-* c. 2. 33. q. 1
punitas, & mala voluntas velut hoſtis interior roboratur. Vlteriùs etiam D. Cy-
rilli Hyeroſolimitani Hyerarchæ ſuffragio innixus, loquitur Diuus Petrus Da-
mianus; ait enim, quòd ſicut huius vitæ ſupplicijs futuræ vitæ ſupplicia vel de-
ſentur, vel minuuntur, *ſic per imminutionem, æterni ſupplicij cruciatibus reſerua-*
tur. Verùm, quia non deerat, qui nimis rigidum hac in re Diui Damiani zelum
prædicabat, illudque Cæli oraculum obijciebat, *Noli eſſe iuſtus multum,* vt hu- D. Petrus
iuſmodi notam ſibi raperet, pergit, *Et ego tibi econtra reſpondeo, noli eſſe nimium* Damian l. 1
pius: ſicut enim ſub immoderatâ iuſtitiâ puſillanimitas frangitur, ita ſub pietate ni- epiſ. 12. Ecc-
miâ malè liber animus ad inſolentiam procaciter effrænatur. cleſ. 7. 17.

§. II.

B Verùm leuiſſimum detrimentum impunitatis eſſet, ſi in vno delinquente
immoraretur: Ex iſtâ in arguendo, caſtigandoque hebetudine & languore
alij ad peccandum prouocantur, & vitiorum magna proles egerminat: vnum
abſoluit, plures damnat, immodicè in vnum clemens, in omnes væſanè ſerociens:
quàpropter Diuus Ambroſius animi infirmitatem, & ſocordiam, quam inſonti- D. Ambr.
bus non puniendis Præſules aliqui præferebant, ſuo ſermone ſigillans, hæc ha- in Pſal. 117.
bet apud Sacros Canones. *Non ne cum vni indulges indigno, plurimos facis ad* ver. 2. 5.
prolapſionis contagium prouocari? facilitas enim veniæ, incentiuum tribuit delin- c. eſt iniuſta
quendi: quod idem concorditèr aſſerunt Aureus Ioannes, & Magiſter Aquinas, 33. 23. q. 4.
qui ſtatuunt, ſtolidam hanc patientiam vitiorum eſſe parentem, eiuſque igna- D. Chryſ. in
uiæ nutricem, qua non tantùm improbi, ſed probi ipſi vocantur, & trahuntur ad Pſal. 31.
crimina. Hinc ratio patet, quâ Corynthio Præſuli, eiuſque vrbis Primatibus D. Tho. 2. 2
ſermonem ſuum confirmauit Apoſtolus, de obſcœniſſimo illo viro in exilium q. 158 ar. 8.
C ablegando: *Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* quàm- 1. Cor. 5. 6.
plurimas inficiet oues vna ouis infecta, niſi ab eis abſceſſerit: plumbeus ſanè Galat. 5. 6.
Paſtor eſſet, ſi vnius tantùm amore, cæteras omnes lue deuorandas pateretur; D. Auguſt.
aptiſſimè verba hic Auguſtini audiantur. *Timendum eſt, ne plura putreſcant cum* ep. 89.
pluribus parcitur.

Vides, vt iam totam vrbem morbus inuaſerit? dum enim reprobi ſuis vitijs
adhæreſcunt, eorumque exemplo vitiorumque dulcedine probi etiam capiuntur,
vitiantur mores, diſciplina elangueſcit, leges euertuntur, & ſua cuique voluntas
pro lege fit; adeò vt illud vſurpari poſſit, quod è Iudicum libro habetur, & á D. P. Dam.
Petro Damiano refertur, *In diebus illis non erat Rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque,* l. 7. epiſ. 2.
quod ſibi rectum videbatur agebat: Demum ad Romani Oratoris ſententiam, pro- Iudic 17. 6.
ceditur, vt frænum poſteà de bacchantibus vitijs imponi non poſſit, & ad mode- Hier. 2. d.
randam vrbem quæcumque recta forma deperdatur. *Adhibendâ eſt Reipublicæ*
cauſa ſeueritas, ſine qua adminiſtrari Ciuitas non poteſt. Quis nauim inter flu-
ctuum diſcrimina moderetur, ſi vela, rudentes, remi, ab imperitis, imò à furioſis
tractentur?

D Quàpropter Catonis effatum erat, vt habes è Plutarcho, non ſolùm delendos
eos Magiſtratus eſſe, quorum authoritate ſontes viri non plectuntur, ſed fas etiam
forè, vt lapidibus obruerentur, eâ de ratione, *ne ex pæna neglecta ſalus Reipu-* Plut. in vita Catonis.
blica labefieret.

Hoc idem Epiſcopis omnibus Diuus Gregorius non ſemel pronunciauit, vt
non tantùm ad ſuam, ſed etiam ad alienam vtilitatem eâ vterentur, ne ſci-
licet in probos ſæuirent, & cum improbis manſueſcerent, & ne paucis diſpliceant,
toti populo immedicabilitèr noceant. *Cum immoderatiùs cuſtoditur virtus man-* D. Greg. 3.
ſuetudinis, ſoluuntur iura regiminis, & fiunt in ſubditos grauitèr impij, cum circa Paſtor adm.
impios ſunt ſine diſcretione pij. 27. & 18
moral. c. 19.

O veram pietatem, ô benignitatem commendabilem, vt paucis parcas, om-
nium ferè ſalutem in diſcrimen adducere? Ita ne verò! quid vnquam inſipien-

tius, quid stolidius, quid perniciosius? quàm validè in hoc assurgat Origenes, accipe. *Quæ est ista bonitas, ista misericordia, vni parcere, & omnes in discrimen adducere?* cùm æquè populum integrum vitiosus vnus inficiat, ac totum gregem morbida ouis pestilentiæ contagio labefactet. *Polluitur enim ex vno peccatore populus, sicut ex vnâ oue morbidâ vniuersus grex inficitur.*

Orig.

Ex vnius Achab delicto totum Hebræorum exercitum fuisse mulctatum, Origenes idem accuratè perpendit, atque hinc Episcopis significari, quòd dùm ne paucorum odium & maleuolentiam sortiantur, eorum vitia palpant, & sacerdotalem seueritatem obliti, eorum indulgent arbitrio, Diuinam indignationem in populum totum irritant, *& dum uni parcunt, vniuersæ Ecclesiæ moliuntur interitum.*

Orig. in c. 7 Iosue.

Elegantissimum hac de re de Theodosio Cæsare exemplum affert Diuus Petrus Damianus Goffredo Duci, & Tusciæ Marchioni, ad quem de flagitiosis viris acritèr puniendis epistolas duas satis prolixas, & validas exarauit; frequentissimè cum pijssimo Anachoretâ Cæsar ille versabatur, vt ab eo tùm vitæ, tùm tegni rationem reposceret; quia autem crebrescentia sæculi vitia simplex & rectus ignorabat, totus fuit, vt Augustum de pietate, & lenitate in supplicijs adhibendis admoneret; illud eius animo imprimens, quòd iuxtà ea, quæ cælestis Magister asseruerat, eâ nos mensurâ benignitatis in nostrorum veniâ criminum obtinendâ à Deo tractabimur, quâ alios agemus: eius sententiæ Cæsar adhærens pietatem maximam in remissione criminum induit, adeò vt inualescente postmodum vitiorum licentiâ, pro sui arbitrij libertate quisque ad quælibet duceretur, breuique toto ferè imperio latè dominaretur iniquitas: ad hæc tùm Consiliarij Regis, tùm Regni Magnates lenitatem suam Cæsari obiectabant, vt fontem improbitatis, & scelerum omnium scaturiginem: è suis igitur Aulicis non neminem ad sanctum Anachoretam Cæsar expediuit, vt ab eo sententiam suam exciperet; incertus hic diù hæsit; tandemque mutandam regiminis rationem arbitratus, Aulicum in hortum adduxit, nullâque verborum responsione datâ, ad euellendas noxias herbas, hortumque purgandum manum adiecit; intellexit ex his Cæsar quid faciendum sibi inposterùm esset, regnique colendi rationem. *Sic itaque mundus, qui perire cæperat per ignauiam, ad æquitatis atque iustitiæ refloruit disciplinam.*

D. Pet. Damian. l. 7. epist. 2. & 12

Math 7. Marc. 4. Luc. 6.

Anachoretæ huius admonitio cum eâ valdè consonat, qua Pontifex magnus Gregorius omnes instituit; plectenda scilicet acritèr esse scelera, ne ea dissimulantes fouere videamur: venenatorum itaque germinum instar amputanda sunt, *ne dissimulatione vires dare prauis actibus, quos falce nos disciplinæ resecare conuenit, videamur.* Si secus fiat, non tantũ Christi vinea siluescet, & crebrescentibus in dies sceleribus vires suas improbitas efferet; sed etiam adeò altas radices immittet, vt vix posteà gladio sit locus. Idem etiam Innocentio Secundo obtestatus est Diuus Bernardus; cum enim elanguidè satis & remissè in sceleribus castigandis se gereret, illud è Bernardi calamo accepit. *Quanta putamus impunitas ista in Ecclesiam parturit punienda?*

D. Greg. l. 2. ep. c. 52.

D. Bernar. epist. 218.

§. III.

PRAE omnibus alijs perniciosissimus ipsi Episcopo languor huiusmodi in remittendis sceleribus est; mihi certè quoties de re istâ sermo est, supremus Sacerdos Heli mihi semper occurrit, in statuam salis, Loth vxorem imitatus, immutatus; omnium enim Sanctorum Patrum sententiâ, vt Episcoporum exemplar obijcitur, qui in Diuinis iniurijs vlciscendis dormitet, & torpescat.

Incompositos & lubricos suorum filiorum mores sæpius ipse intelligens, eos sermone redarguit, vt superiùs ostendimus, & licet animaduerteret obstructas à sceleribus filiorum aures ad admonitiones excipiendas, ad maiora supplicia non processit. Aequissimum Numen hæc impunitas tàm acritèr irritauit, vt ei significauerit, simul cum vitâ, tùm etiam supremum sacerdotium tùm sibi, tùm suis

1 Reg. 2.

fuis rspiendum; nullum è suis posteris ad maturam ætatem peruenturum; eà-
A demque die filios suos, quorum immoderatum amorem suæ Diuinitatis amori præposuerat, infœliciter perituros; omnia hæc & deteriora etiam euenere: Iudeorum enim acies, quibus Heli filij miscebantur, permittente Deo, Philistęorum manu extremâ internecione deletę sunt, cæsa triginta Hebręorum millia, & simul cum reliquis impedimentis bellicis Domini Arca in hostium potestatem accessit. Hæc Nicolao Secundo explicans Diuus Petrus Damianus sciscitatur ab eo, quonam pondere à Deo Præsulem eum esse plectendum, qui tepescit in sceleribus castigandis, si Heli ignauiam in suis filijs mulctandis tanto supplicio damnauit Deus? *Si erga Heli propter duos duntaxat filios, quos non eà, qua digni erant correptione corripuit, cum eis simul, & cum tot hominum multitudine, perijt; qua arbitramur dignos esse sententia, qui in aula Ecclesiastica, & solijs iudicantium præsident, & super non ignotis prauorum hominum criminibus tacent?* Hinc ad Sanctuarij lancem grauitatem concessæ impunitatis expendens, & tacitam excu-
B sationem refellens, indecorum scilicet esse, vt Lithurgorum errata euulgarentur, hæc addit, *cum de honestate homines in publico metuunt, ad contumeliam superni Iudicis diuinæ legis mandata confundunt: & dum perditis hominibus amittendi honoris officium seruant, ipsum Ecclesiasticæ dignitatis authorem crudelitèr inhonorant.* Vides igitur, vt Præsules, qui specioso titulo Clericorum famæ prospiciendi, eorum scelera impunè prætereunt, scelestos honorent, innocentiam opprimant, Christo verbera infligant; & dum eorum decus tueri videntur, qui Deum dehonorant, ipsammet Diuinitatem cuius sunt administri, conculcent: quę dementia, vt eos, qui sacrum ordinem deturparunt, venerentur, & sacrorum ordinum conditorem Christum nullo pretio habeant?

Verum quidem est, quòd cum sacrorum virorum errata occulta fuerint, euulganda omnibus minimè sint, cùm leuius malum sit aliquâ ex parte impunes eos abire, quàm optimam famam, quâ præstabant, deperdant: sed si obducto sipario omnibus ea patent, supplicium etiam pateat oportet, vt pernicies ex eorum
C cognitione illata aliquatenus sarciatur. Sot. de ratio tegen. vel non deteg. Scat apud Nauar. in rubr. de indic. n 56. Nald. in sum v. scau. nu. 6.

Quod terrori omnibus esse debet, illud est, iuramento adhibito obtestatum fuisse Deum, nunquam Heli se pariturũ, licet ad extorquendam veniam thimiamatis & victimis aræ suffumigarent, & grandescerent. *Iuraui domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vsque in æternum.* Proh Dei fidem! quænam veneni vis in Præsulum indulgentià adhæret, vt ad eius veniam obtinendam imbecillia sint, & inutilis ipsamet holocusta, quibus ad omnia impetranda Diuina indignatio emollitur?

Accuratissimè hoc ipsum Diuus Damianus etiam expendit, ideòque iure prosequitur. *Si ergo victimis & muneribus omnia crimina diluuntur, sola autem falsa in Episcopis pietas veniam non meretur, videat qui eorum dijudicare mala dissimulat, quàm durę sententiæ apud districtum iudicem se obnoxium reddat?*

Ad Taurinensem Antistitem Cunibertum idem Damianus scribens, ostendit in suorum Clericorum impudicitià dissimulatà, suæ prudentiæ candorem non leuitèr obfuscari; nec tantùm suæ integritatis mercede non se donandum à Deo, sed eorum etiam in partem suppliciorum vocandum, quibus illi ex impunitis ob- D Pet. Damian l. 4. epist. 3.
D scænitatibus implicabantur: eodem prorsus se in statu versari, quo Thiatiræ Antistes erat, quem de eàdem conniuentià in sui Cleri luxu coërcendo Diuus Ioannes increpauit; illud denique addit, satis omnibus effatum approbari, *facti culpam habet, qui quod potest negligit emendare*: quod Ioannes etiam Octauus Pontifex, sicut & alia vsurpauit, quod nempè *negligere cum possis deturbare peruersos, nihil aliud est, quam fauere; nec caret scrupulo consensionis occultæ, qui manifesto facineri desinit obuiare, nihil prodest alicui non puniri proprio, qui puniendus est alieno peccato*: Sicut ex aduerso, *probat odisse vitia qui condemnat errantes*: quæ omnia in Epistolâ à Diuo Eleutherio Pontifice ad Galliarum Episcopos scripta abundè repereris. Apoc. 2. 18. e negligere SS 2. q. 7.

Diuini furoris fulmina in Heli caput immissa, & vniuersalis iudicij seueritatem perpendens Diuus Chrysosthomus, cùm in alienis criminibus animaduertendis D. Chrys. hom. 26. & 28. ad populum.

D.Pet. Daman. l. 1. ep. 6.

tendis mitior, quàm par esset, sibi videretur, totus horrore perfundebatur, ac si nulla salutis via sibi superesset; id potissimùm recogitans, quòd si in veteri lege A naturalis amor, quo suos filios dulci quadam tyrannide captus prosequebatur, eius socordiam & ignauiam excusare non valuit, multò minus in recenti lege Pastores populorum eâdem immoderatâ lenitate excusandos; in horrendum etiam est tum aliàs ille Diuino quodam æstu concitatus erupit, plerosque scilicet Præsulum sibi æternùm damnatos videri; eò quòd sacerdotium hoc, *excelsum requirit animum*, ad obiurgandum, arguendum, puniendum, licet ægrè, & inuitò, paratissimum.

D. Chrys. hom 3 in Act. Apost.

Illustre quiddam memorandum hic mihi præfertur de Galliarum Rege Sanctissimo Ludouico; ab hoc enim cum horarias preces recitaret, Dynasta quidam vitæ, quâ damnabatur, veniam pro flagitioso viro facilè impetrauit; sed cum in recitandis precibus prosequeretur, illud è Regio Vate oraculum legenti ei occurrit, *Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore*; his verbis tanquam fulminis acie percussus, hæsit, suamque pietatem incompositam B fuisse animaduertens, impetratum beneficium reuocauit, illudque tanto Rege dignissimum pronunciauit, Principem scilicet, qui, cum commodè punire crimen valeat, impunitum illud præterit, æquè apud Deum se illo reum facere, ac si verè patrauisset; adeò pium est nullam in sontes exercere pietatem.

Annal. franch.

Psal. 105.5

Quàpropter in hoc potissimùm viri spirituales frequentèr impingunt, quòd scilicet languorem animique imbecillitatem pro pietate æstimant, & patientiæ virtuti ducunt in criminibus condonandis ignauiam: quanta sanè mentis inopia est, vt ex eâ hebetudine laureas sibi donandas cælitus arbitrentur, pro quâ cruciatibus destinantur. Hinc Anatolium Constantinopolitanum Hyerarcham ad Presbyterum quendam valide puniendum excitaturus Leo Magnus ei ostendit, quàm indecora, & pectore sacerdotali prorsus indigna esset eius patientia: *Abyciendа prorsus pestifera hæc a sacerdotali vigore patientia est; quæ sibimet peccata aliorum parcendo, non parcit*. Nisi Antistes hæc fecerit, se ipsum damnans alios absoluit, quin ne hos quidem absoluit; pœnam enim contumimodo temporaneam ab eis eripiens, ad æternos cruciatus eos, & se ipsum obit inger, audiatur hic Sanctus Prosper. *Ille cui dispensatio commissa est, etiam si sanctè viuat: si arguere aut erubescit, aut metuit, cum omnibus qui eo tacente pereunt, peribit*. C

D. Leo ep. 76.

D. Prosp.

Mirandum enim verò maximè est, quòd suis ab aris, inter tot victimas, & hostias quæ adolebantur Deus reijceret mel: *Omnis oblatio quæ offertur Domino absque fermento fiet, nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino*. Ita ne verò? tam dulce opus, tam suauis liquor, vtilissimus simul, & iucundissimus, tantoque apum artificio elaboratus damnatur à Deo, longèque à suo templo, suoque à cultu arcetur? Admirationem hanc extinguit, & delet Petrus Blesensis, qui asserit, impudicam Prælatorum dulcedinem, & indulgentiam melle significari, quæ autem ingrata adeò Numini est, vt tanquam noxia & virulenta suis ab aris Dei longè excludatur: *Mel non acceptatur in Sacrificio Domini, nec acceptat est Domino quia significatur in melle, blanda & dissoluta lenitas Prælatorum*. Potestò cum omnium suffragio pateat, fontes viros esse puniendos, qui nam placere ille Deo poterit, qui præ animi languore flaccescens & eneruis, ad opus tam excelsum non valet assurgere? Quòd si in puniendis improbis, Diuinitatis administer Superior est, quàm formidandum est, ne Dæmonis ad ministri euadamus, si vll o sine supplicio eos inter crimina grassari permittamus? hoc certè Goffredo Hetruriæ Duci Diuus Petrus Damianus significauit: *Si Dei minister est, qui mala facientes in iram vindicat; Diaboli procul dubio minister est, qui criminosos ac reprobos suauitèr palpat: Et sicut Deo prabet obsequium, qui peruersos vlciscitur, sic minister aduersary, qui perpetrantibus iniqua blanditur*. Nos igitur, quibus sui oculi pupillam, suam sponsam, sui sanguinis pretio redemptam commisit amantissimus Deus, vt placeamus hominibus, displicebimus Deo, & vt nostræ ignauię studeamus, ab eius stipendio abscedentes Dæmonis vexilla sectabimur? D

Leuit. 2. 11.

Petr Bless. epist. 109.

Rom. 1. 3.

D Petrus Daman lib. 7. epist. 2.

Præter quàm quòd toto Cęlo Præsules illi aberrant, qui vt quietè & tranquillè degant, debitam seueritatem abijciunt: Ipsis eos supplicijs Deus animaduertit,

quibus

quibus abeſſe conabantur: moleſtijs, & angoribus longè maioribus eos onerat A quàm ſi magnanimè plectendis improbis ſtuduiſſent: fidem huic meæ ſententiæ facit vir ſuprà quàm dici poſſit commendatiſſimus Auguſtinus: *Iure iſtam vitam quando diuinitùs affliguntur, amaram ſentiunt, cuius amando dulcedinem peccantibus amari eſſe noluerunt.* (D. Auguſt. l. .. Ciuit. Dei c. 6.) Hæ tamen moleſtiæ præludium earum ſunt, quibus in futuro ſæculo cruciandi tradentur: vt enim Damianus loquitur, *Sacerdos, ſi immoderata circà ſubiectos pietate reſoluitur, & ipſe ſententia diuini furoris non immeritò condemnatur.* (D. Petrus Damian. l. 7 epiſ. 9.) Grauiſſimis, & validiſſimis verbis hoc ipſum antè Damianum pronunciauit Diuus Cyprianus, qui etiam addit, in ſuos humeros ea ſupplicia congeri à ſuperioribus, quæ flagitioſis à viris, non exegerunt. (D. Cyprian de Aleatorib. initio.) Ne illatas in Diuinitatem iniurias impunè prætereamus, Deus nobis imperat; nos ipſe pro ſuo nomine tuendo Iudices deſignauit, & tanquam eorum nos exactores inſtituit, quibus cum ipſius iuſtitiâ alij obſtringuntur; eos igitur impunè dimittere, & liberalitèr abſoluere, noſtræ facultatis vim tranſgreditur, & in æternum Iudicem B iniuſtitia eſt; ſed accipe verba Gregorij, cuius ſententiam Gratianus recitat. *Si is qui Prælatus eſt debitori Domini culpas impunè dimiſit; non mediocritèr profectò offendit,* Leuis iſta culpa non eſt, *qui debita cæleſtis Regis & Domini ſuâ ſumptione reſoluit. Ea namque, quæ in nos committuntur, facilè poſſumus dimittere; ea verò quæ in Deum commiſſa ſunt, cum magnâ diſcretione, nec ſine pœnitentiâ debemus relaxare.* (D. Gregor. hom. c. 15. qui 28 23. q. 4.)

Eò quòd Rex Achab contrà Dei mandatum Benadab Aſſyriorum Regem pietate quâdam væcordi ductus, incolumem ſeruauerit, & morte omiſsâ captiuum tantùm fecerit, vitam cum Regno, Diuino Vate ſententiam ferente, deperdidit; (3. Reg. 10. 39.) ipſe etiam Saul ineptam Achabi pietatem erga Amalecitarum Regem Agag imitatus, reiectus à Deo eſt. (1. Reg. 15 23.)

Quàm magna clementia hæc eſt, quæ ipſam Dei clementiam præſtare audet! quàm magna pietas, quæ circumſcripta cum ſit, cum eâ Dei pietate contendit, quæ nullo limite definitur! an non exigua Diuinæ pietatis ſtilla totum pietatis C humanæ fontem, imò pelagus exuperat? quâ de causâ cùm Deus præcepiſſet vt nefarius ille Rex Diuinæ iuſtitiæ immolaretur, nulla pietas, clementia nulla danda erat, quæ eum capite liberaret. *Oportebat ſtultum intelligere, quod vna gutta Diuinæ bonitatis, & clementiæ vincit omnium hominum bonitatem: ſed infelix cum Deus iuſſiſſet punire, miſertus eſt:* De Saule ſic Theodoretus. (Theodor in 1. Reg. 33.) Simili nos in causâ verſamur; vt crimina caſtigemus, nobis præcipit Deus; ſi Deo miſericordiores nos eſſe contendimus, Diuinam in nos iram obarmamus (de Præſulibus illis hìc ego ſermonem non habeo, qui vel munerum vi, vel humanis rationibus ducti, ſontes punire detrectant; hi namque ad Hugonis Cardinalis mentem Iudæ ſectatores ſunt, Deum venalem facientes). Incompoſita hæc clementia Diuinam, vt abſoluatur, clementiam poſcit, cum non tantùm impunitorum ſcelerum conſortes fiamus, & ipſammet iniquitatem docere, ac fouere noſtrâ ſocordiâ videamur: do Nazianzenum. *Veniâ ipſi opus habent vltra modum alijs ignoſcentes, vt ſic vitium non modò non reprimatur, ſed etiam doceatur.* (D. Gregor. Nazia. orat. 21.)

Extremam capiti huic manum imponat Diuus Eligius Nouionenſis Antiſtes, qui duos inter ſe comparans ſupremos Sacerdotes Heli & Phinees, in diuinis vl-D ciſcendis iniurijs, hunc ſtudioſiſſimum, & ignauiſſimum earumdem contemptorem alterum; ex huius ignauiâ terrorem Epiſcopis infert, & ex eius ardore, ad eiuſdem imitationem nos excitat, vt Heli ſupplicia declinantes, Phinees præmia aſſequamur. *Vos Sacerdotes pendite, quæ mala negligens Heli perpeſſus eſt: & quàm gloriam Phinees, qui zelo Dei commotus eſt, ipſo remunerante percepit. Et ideò quanto poteſtis ſtudio procurate, vt animæ vobis commiſſæ in futuro iudicio potiùs æterna gloria perfrui mereantur, quàm in exteriores tenebras proijciantur.* (D. Eligius hom. 15.)

Indecoram in Episcopo esse supliciorum acerbitatem: hæc autem quomodo temperanda sit, ostenditur. Cap. XXI.

SI remissus in sceleribus puniendis sugillandus Episcopus est, æquè etiam vituperandus videtur, si seueritate immodicâ erga sontes plectendos vtatur: ibi enim iustitiam, hic pietatem lædit, vtrobique Deo iniurius est: desidem Præsulem impunitas ostendit, imprudentem acerbitas, vtraque Sacerdotij ministerio indignum: effrænes illa subditos facit, hæc ceruicosos, vtraque incompositos. Elegantèr, vt moris est, ait Diuus Chrysostomus, non supremis mentibus, & cælestibus genijs suam dedisse medendam Religionem sapientissimum Deum, vt potè qui corporis imbecillitatem non experti, & ab omni culpâ alieni, nimiâ seueritate in puniendo vterentur: homines verò ad sacram hanc Præfecturam euexit, qui propriæ infirmitatis conscij, rigorem in supplicijs infligendis moderarentur. B

D Chrysost. hom. de Petro & Helia & ser. 58. de diuers.

Carpatius Philo perpendit Sacerdotij munere reiectos à Deo fuisse qui incompositum & distortum nasum habuissent; de ijs hoc ipse intelligit, qui seueri nimium & nasuti feruntur in alios; hi autem tanquam inepti reijciuntur à Deo; do eius verba. *Ob id enim in Leuitico tanquàm minus idonei respuuntur a sacerdotio, qui paruo, vel grandi naso fuerint; quod illâ vindicandi, atque censendi temperantiâ careant, & virtute, quam discretionem appellant, quæ quidem Gubernatoribus maxima virtus est, maximèque necessaria*: quâ de causâ inter Episcopi dotes eam requirebat Apostolus, *non percussorem*, hoc est, Diuus Anselmus & Theophilactus explicant, non iracundum, & violentum. C

Philo Carp. in c. 7 Cant.

1. Timot: 3 Theop. Ans. & Hieron. ibid.

Sed multò validiùs huiusmodi viros suis à subsellijs reijcit Christus Dominus, vt docet Diuus Hieronymus: *Percussorem Episcopum ille condemnat, qui dorsum posuit ad flagella, & maledictus non maledixit*: hoc fortè percussoris titulo vsus Apostolus est, ex consuetudine, quâ flagellis & virgis Episcoporum manu plectebantur delinquentes, eosque fateri ea crimina cogebant, quæ illi pertinacitèr denegabant: significantur hæc à Diuo Augustino in epistolâ ad Marcellinum Tribunum, qui *virgarum verberibus* ad criminum confessionem reos quosdam coëgit. *Qui modus correptionis, & a magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus, & sæpè etiam in iudicijs solet ab Episcopo adhiberi.* Sic Augustinus: iuxtà hæc Paschasio Antistiti Magnus Gregorius præcepit, vt Hilarium quemdam Subdiaconum Ioannis Diaconi calumniatorem suo munere spolians verberandum eum flagellis traderet, & exulem aliò ablegaret, *vt vnius pœna, multorum possit esse correctio*: eà enim ætate talionis pœnâ calumniator damnabatur: ea autem verba *verberibus publicè castigatum*, intelligas velim, coràm Clero, non autem ad aspectum sæcularium. D

D. August. epist. 159.

D. Greg. l. 9 epist. 66.

Hac de causâ nefas semper fuit Episcopis, vt suâ manu reos percuterent; tùm Apostolorum Canone, tùm Concilij Agathensis lege sancitum hoc est: hùc ni fallor, Diuus Gregorius respexit, cùm ad Ioannem Constantinopolitanum Præsulem scribens ait, *quid autem de Episcopis, qui verberibus timeri volunt, canones dicant, benè vestra fraternitas nouit. Pastores etenim facti sumus, non percussores.* Quin duorum mensium interuallo rerum sacrarum vsu Ferentilli Episcopum interdixit, eò quòd acerbiùs, quàm par erat, mulierem flagellandam dedisset.

c. Episcop. 7. 45. dist. & c. non licet 25. 86. dist. D. Greg. l. 2 epist. 52. Baron. ann. 523. n. 6.

Episcopalis lituus longè differt à virgâ censoriâ, vel à Delphico gladio, quo, teste Aristotele, Sacerdotes tùm ad victimas sacrandas, tùm Carnifices ad maleficos mactandos vtebantur. Humano sanguine sacræ leges non sunt exaratæ,

Arist. 1. Pol. c. 2.

earum

earum instar, quas Draco Athenienfibus dediſſe narrante Cælio, dicebatur; Agni A Diuini mitiſſimus cruor has ſcripſit. Humanâ ſatis imbecillitate, quę ieneſcente iàm morbo infirmior eſt, manſueſcere docemur, & veterem illam ſeueritatem exuere, adeò vt cum Tacito opportunè dixeris. *Nocet priſcus rigor, & nimia ſeueritas, cui iam pares non ſumus.* Epiſcopi ſumus hoe eſt ſpeculatores: ne igitur, vt eum Petro Bleſſenſi loquar, ſpiculatores, & carnifices euadamus: ſi autem, Diuo Gregorio docente, in belluam immutatus Rex Nabuchodonoſor fuit ex imperioſâ nimis ſpecie, rigidoque regimine, quo populos moderabatur, compertum cuique ſit, quàm grauitèr ille plectendus eſſet Antiſtes, qui Paſtoris nomine honeſtatus, lupi inſtar ſæuiret in gregem. Sol Eccleſiæ Epiſcopus eſt: quodnam ergò incommodum, quodnam portentū eſſet, ſi in maleficum Saturni aſtrum ſe conuerteret, & cruentâ ſemper ſpecie ſe orbi daret aſpectandum. Cel lib. 10. c 6 Tacit.l.hiſt. Petr Bleſs. ſerm 44. D.Greg. 5. moral. c. 8.

Sculptoribus imperitis imprudentes Principes ſapientiſſimè Plutarchus confert: ſicut enim illi tunc elegantiſſimum omnibuſque numeris abſolutum ſimulachrum elaboratum arbitrantur, quando vultu horridum, oculo toruum, diſtentum cruribus, buccis tumidum manibuſque elatis illud elaborarunt, ac ſi vociferari, terrere, percutere velit; ſic propè Principes, qui verè Principes non ſunt, totam Principatus maieſtatem, totumque ſceptri pondus in minis, in ſupplicijs, in cruciatibus ſtatuunt: hoc autem ſi iuxtà Philoſophi mentem inhoneſtum, & deforme in ſęculari Principe videtur, quàm commendandus ille eſt, qui ſacro regimini addictus, Patris & Paſtoris in morem, cùm ſubditis ſuis ſe gerit, ac ſi ſuæ oues eſſent & filij. Quàpropter eùm Anicius Probus Italiæ Præfectus, Inſubriam, Liguriam, Aemiliam adminiſtrandam Diuo Gregorio dedit, hæc ait, *Vade, age, non vt Iudex, ſed vt Epiſcopus.* Plutar. l.de Doctr.Principis. B Paulin. in vit D.Ambroſ.

Sæuiſſima & ſupra quàm dici poteſt, omnibus inuiſa ea crudelitas fuit, quâ parentes quædam, cum Hyeroſolimæ Vrbs Titi armis obſideretur, ne filios fame confectos aſpicerent, eos aſſauerunt, iuxta ea Hyeremiæ vatis: *manus mulierum miſericordium*, vel vt Origenes legit, *ex miſericordiâ coxerunt filios ſuos*: maternam quis huiuſmodi pietatem appellet? nonnullorum Præſulum hîc acerbitas C exprimitur, qui ad ſubditorum noxas iracundi, ſæuo quodam rigore, rigidâque ſæuitie ad eos puniendos accedunt; ſic ſanè ea Hyeremiæ Vatis verba Diuus Paſchaſius ad nos inſtruendos explicauit. *Illi quaſi per miſericordiam filios decoquunt ſuos, qui culmine regiminis ſublati, zeli flamma coquunt animas natorum, dum nimis iuſti ipſi videri cupiunt, & dum per tyrannicam poteſtatem eos excruciant, quaſi per miſericordiam eos zeli flammâ decoquunt.* Diuinâ in domo tyrannidem quandam refert immoderata ſeueritas; longè hæc à noſtrâ dignitate abeſſe debet, quæ Chriſti amorem refert, Deique exprimit lenitatem. Tren.4 10. D Paſchaſ. in Tren.l 4.

Ingenioſum Semyramidis fuit inuentum, vt columbam ſanguinolentum enſem roſtro vibrantem ſuis in vexillis præferret expreſſam, vt eo ſignificaret, fęmineâ ſub ſpecie animum ſibi erectum, ſpirituſque praeferoces ad maxima quæque facienda ebullire: an non igitur monſtri loco in nobis eſſet, qui clementiam, ipſam in noſtrâ dignitate induimus, aſperitatem, & iram fouere, & oſtentare?

Extremum Hyeroſolimæ excidium, totique Iudeæ regioni, dum fatidico ore vaticinaretur Hyeremias, Phaſo quidam alapâ prius in eum impactâ, carceri D poſteà eundem commiſit: monet hic Diuus Hieronymus, *quòd erat hic Pontifex templi, & datâ ſibi ſacerdotij dignitate in peruerſum abutebatur; non vt doceret, & ſermone corriperet; ſed vt cruciatibus terreret*: acerba hæc aſperaque agendi terriculamenta ſupremum Sacerdotium, & Euangelium præſertim vitiant, & cruciant. Hyerem. 20. 2. D.Hieron. ibid.

Vt Epiſcopalis thiara populis in pretio habeatur, non terribilis videatur, at nigris atriſque terroribus excuſſis, blandis tantùm & placidis ſplendoribus coronetur. Humanos animos tùm facilè tibi conciliaueris, dùm oſtenderis, eorum errores non ad infligendam pœnam, ſed ad emendationem obtinendam caſtigari: cum è contra, Saluſtio reſte, *acerbis iudicijs vaſtantur magis Ciuitates, quàm corriguntur*; formidandum alijs ſe præbere, & Erynacij inſtar ferocire, animum indicat immoderatum, aſperum, Deique adminiſtris ſatis indecorum;

corum; vitium est alio vitio oppugnare, & in alijs corrigendis corrigendum se dare: iustitiam affectantes videmur iniusti, cum è vulgari paræmiâ, summum ius summa iniuria censeatur. Egregiè igitur, vt è Canonibus sacris habetur, Diuus Augustinus. *Culpantur etiam qui prohibent a malo, si modum peccati, modum correctionis excedant*: necessaria quidem è politici viri sententiâ seueritas est, at æquè perniciosa sæuities. Sicut autem opportunus rigor reos reuocare solet à culpâ; sic propè si nimius, & immodicus fuerit, desperationem adducit; testetur hoc Presbyter ille nomine Temel, de quo Curopalates, & Cardinalis Baronius fidem faciunt, quòd eò sui Episcopi seueritate sæuâ deuenerit, vt à Christianâ fide desciscens, Saracenas superstitiones coluerit, & Orthodoxam Rempublicam vehementiâ summâ vexauerit.

D. August. lib. Peritan. l. 2. c. 19. e. qui peccat. 2. inst. 2. 3. q. 4. patrit. de Repub. l. 6. c. 5. Baron. ann. 957.

Diuinæ dumtaxat iustitiæ manu vibranda fulmina sunt; non ergò ea torqueat manus humana, ne humana simul, & Diuina iustitia violetur: Pietatis tantùm, quâ splendidè gloriatur Deus, non iustitiæ, quam veluti hospitam, & peregrinam excipit; imitatores nos exoptat Deus: Plutarchus ipse hoc edocet: *offenditur enim Deus ijs, qui tonitrua, fulmina, radiorum iaculationes imitantur; delectatur autem ijs, qui suam imitantes virtutem, semet in honestate, ac in humanitate reddunt adsimiles*. B

Plutarc. de diuin. Prin.

Sed præ alijs illustrissima sunt, quæ ad hanc rem ad Demophilum Ascetam seuerioris notæ virum, & immodicè religiosum Diuus & Diuinus Dyonisius Areopagita scripsit; asperè namque in ipsum inuehitur, ostenditque clementiâ tantùm pergratos Deo fuisse Moysem, Dauidem, Iacobum, aliosque sexcentos; eum subindè validè obiurgat, quòd huiusmodi asperitatem exercens à Diuino regimine longè nimis abscedat; ea enim Dei pietas est, vt lenissimus omnibus videri velit, eosque sinu pietatis peramanter excipiat, qui suam iracundiam repetitis flagitijs irritarunt: in eo demùm narrando sistit, quod Diuus Carpus cælitùs illustratus agnouit; cum enim ægerrimè hic ferret, ab Ethnico viro Christianæ fidei asseclam corruptum fuisse, ideòque Deum intemperanti precum ardore fatigaret, vt vtrumque fulmine adacto mulctaret, alienato à sensibus animo eos vidit, in horrendum specum serpentibus ebullientem agi præcipites, seque in causâ esse, vt eos impellendo, impete celeriore corruerent: ad hæc innumerâ cælestium mentium cohorte Christus Dominus stipatus, è Cælo labi videbatur, vt infœlicibus illis auxiliatricem manum porrigeret, & ad Carpum conuersus ait: *feri me iam; paratus sum enim rursum salutis hominum causâ, mortem perpeti*. C

D. Dionys. epist. 8. ad Demoph.

Peruetustus & perdoctus etiam scriptor Philippus Abbas violento turbini zelum immoderatum Præsulum comparat, eique inter humanos tumultus primatum adscribit: *nulla persecutio magis premere, vel opprimere consueuit, nullo fasce miser animus sic grauatur, nullo grauamine spes languidiùs infirmatur, quam cum ille se ingerit ruptis misericordiæ legibus oppressorem, quem ordo naturalis, vel fortè spiritualis promiserat defensorem*: & licet ad Regulares superiores sermonem suum dirigere videatur, qui grauiori in subditos suos vtuntur imperio; adhùc tamen ad nostram etiam vtilitatem conferri satis commodè potest.

Abb. Philip.

§. I. D

Sicut igitur alienus maximè ad seueritatem exercendam Præsul esse debet, sic necessitatis tantùm vi ad eam adduci debet: hæc autem ad duo tantùm referenda videtur, hoc est ad flagitij fæditatem, ac delinquentis contumaciam. Cùm maximè deformis labes fuerit, ignaui & perniciosi viri esset, leui eam supplicio summis, vt dicunt, digitis attingere: impia sanè hæc pietas esset, & nimis sæua benignitas: publicæ tranquillitati, iustoque regimini hoc debetur: & pari ferè mensurâ aptanda sunt hic, quæ de viris hæresi pollutis Diuus Chrysostomus ait, vt apud Canones Sacros, Diuumque Thomam habetur: *Secanda putrida carnes, & scabiosum animal a caulâ ouium repellendum, ne tota domus, masse,*

D. Hier. in epist. ad Galat. c. 5. resec. eandē 16. 25 q. 3. D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 3

massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant.

A Non facilè iis adhibendam esse fidem, qui palmaria, fœdaque nostrorum subditorum scelera ad nos referunt, docet Diuus Gregorius; verùm si verba innotuerint, nullâ morâ habitâ puniantur. *Maiora crimina, & tardè credenda sunt cum audiuntur, & citiùs punienda sunt, cum veracitèr agnoscuntur.* D Greg. in moral.

Ad duo etiam delinquentium contumacia refertur: primum quidem in leuium pœnarum contemptu versatur; si namque post earum canis instar, ad vomitum redit, iisque iterum se polluit vitijs; quis ignorat, Pastoralis lenitate hic exutâ, seueritatem induendam, suppliciaque grauiora vibranda, vt acrioribus remedijs ea profligetur ægritudo, quæ leuiora medicamenta delusit, & terror alijs inferatur: ad Ioannem Episcopum scripsit hoc Diuus Gregorius: *quando mala, quæ pænitentia fletu purganda sunt, augentur excessibus; ita maior delinquentibus est adhibenda correptio, vt & ipsi facinus suum, & saltem pœnâ vindicante, cognoscant, & alios abillicitis Ecclesiæ vltionis timor inhibebat.* D.Greg. l. 10. epist. 33

B Alterum autem & in refractariâ, & perdurâ ceruice, & arroganti superboque ingenio consistit; hæc enim è leuioribus adhibitis pœnis obdurescunt magis, potiùs quàm emolliantur: huiusmodi sanè indolem præferebant Cretenses, ideoque mitem benignumque morum Præsulem Timotheum Paulus admonuit, vt totam imperij vim in eos exerceret, vt è Diuo Gregorio & Chrysostomo habetur: quis enim in huiusmodi regimine lenitatem, & clementiam probet? seueritati potiùs studeat Præsul è Turonensis Concilij sententiâ, *Magna est in ipsa seueritate pietas, per quam tollitur peccandi facultas*: Hinc luculentèr aureus Ioannes probat, quòd Moyses, licet ingentia, & acerbissima supplicia in permulta scelera exonerauerit, mansueti tamen famam, & præconium non tantùm amisisse, at seruasse floridiùs; de eo enim scribitur, *erat enim Moyses vir mitissimus suprà omnes homines, qui morabantur in terrâ.* D. Chrys. in ad Tit. D.Gregor. hom. 1 in Ezech. D. Chrys. in Psal. 1. init.

Fœlicitati tamen suæ vertere Antistes debet, quòd vel perrarò, vel nusquam

C ad huiusmodi seueritatem exercendam cogatur; quod eò magis æstimandum est, quò tunc seueritas vtilior, & aptior ad nostram fouendam authoritatem est, cùm rarò exercetur; clarè enim hinc patet, non è mansueto Præsulis animo tunc eriuati, sed è fontis improbitate, quâ cogitur. Senecam audi, *Seueritas, quod maximum remedium habet; assiduitate amittit auctoritatem*: Sicut autem necessitati seruire necessitas debet, sic etiam decet, vt ingenio charitatis libenter indulgeat: ab huius ipsâ sinu distrahi nunquam potest, quin desciscat in furorem: hinc etiam fiet, vt parturientium instar ingemiscat, quotiescumque aliquem castigauerit, & suus priùs animus, quàm rei corpus supplicij acerbitate crucietur: hinc veram tristitiam eius induet vultus, non commentitiam, & fictam, qualem Nero Cæsarum pessimus sui Principatus exordio ostentabat. Num.12.3. Senec. l. 1 de Clem. c 2.

Charitatis magisterio edoctus sciet, quòd si punierit, vt puniat, suæ facultatis limites violat, quam solùm delinquentis vtilitate metienda est: qualibet alia ratio, quâ ipse ad supplicia inferenda impellatur, vitiosa, & adultera est, & cum indecora ei sit, immoderata etiam & damnanda supplicia infliget; quâ de causâ ad Augustinum Angliæ Præsulem scribens magnus Gregorius sic eum de hac re sollicitum informauit. *Et cum paulò districtiùs agitur, ex charitate agendum est, &*

D *non ex furore; quia ipsi hoc præstatur, qui corrigitur, vt gehennæ ignibus tradatur.* D.Greg l. 12. epist. 31 ad 6. interr

Hoc paritèr Charitas efficiet, vt Præsul intet ipsa acriora supplicia semper emendationem inspectet, animæque salutem intendat: priuatam igitur quancumque affectionem exuat oportet; hæc enim, cùm mentis Charitatem obnubat, ab eâ moderatione, quæ decet eius potestatem, auellet, adeò vt dum satis iustitiæ facere sibi videtur, suæ potius iracundiæ motus obsecundet: illa igitur Apostoli verba, *Nemo quod suum est, quærat &c*, perpendens Diuus Ambrosius, nos alloquens hæc habet. *Sic Episcopi affectus boni est, vt optet sanare infirmos, serpentia auferre vlcera, adurere aliqua, non abscindere: postremò quod sanari non potest, cum dolore abscindere: vnde pulcherrimum illud præceptum magis eminet, vt cogitemus non quæ nostra sunt, sed quæ aliorum, hoc enim modo nihil* 1. ad Corin. 10. 24. D. Amb l 2 off. c. 27. ad fin.

erit, irati nostro indulgemus affectui, vel facientes, nostra plus iusto tribuamus aliquid voluntati. A

Adeò autem alienus Præsul esse debet ab eo, vt suæ priuatæ iracundiæ in suppliciis inferendis non indulgeat, vt cum magnus Gregorius accepisset, in Salinensi Vrbe famam de se vagari, quòd, quæ in Maximum eius vrbis Antistitem amore æquitatis ipse patrauerat, priuato potiùs odij æstu congesta in eum fuerint, pro sui maximi Principatus dignitate facturum se tantus Pontifex æstimauerit, si ad eum populum certiorem omninò faciendum scriberet; ex illâ enim opinione turpiorem sibi sciebat notam inferendam, quàm è redditâ omnibus ratione; inter

D.Greg. l. 5. epist. 26. cætera autem hæc habet. *Absit, à sacerdotali animo, vt in qualibet causâ, priuato zelo moueatur.*

Si moderatis limitibus ira circumscribatur, vtilissimam affectionem esse docet Aristoteles, & ad virtutum apicem attingendum calcar aptissimum; in Aristotelem Seneca inuehitur ex eâ ratione, quòd perniciosa semper ira sit, vt potè quę rectam rationem dementat semper & vitiat; quòd si ratione gubernetur, amplius ira non est. *Ira inquit Aristoteles, necessaria est, nec quisquam sine illa expugnari* B

Senec. l. 1. de ira c. 9 *potest, nisi illa impleat animum, & spiritum accendat: vtendum autem illa est non vt duce, sed vt milite: quod est falsum; nam si exaudit rationem, & sequitur, qua dirigitur, iam non est ira, cuius proprium non est contumacia.*

Arist. Ethic 7. c. 6. In ipsomet Aristotelis codice ea non leguntur verba, quæ afferuntur à Senecâ, licet proxima ijs sint, quæ in eius Ethicâ reperiuntur: nec duos inter tàm illustres præceptores dirimenda mihi vt arbitro lis est: Verùm sicut è Sosionis mente, Eracliro, furoris loco, lachrymæ effluebant, ridebat vero Democritus; sic propè ab omni aliâ iracundiâ Præsul abstineat, præterquàm ab eâ, quâ ad Diuinam gloriam vlciscendam reuocandosque ab vitiorum semitâ populos pxardescat: Indignetur quidem & ebulliat, sed in vitium, non in vitiosum; improbitatem insectetur, sed improbum Dei imagine exornatum amore complectatur: si autem rigescere tandem cogatur, monitum illud seruet, quo Anastasium Thessalonicensem Antistitem instruxit magnus Leo Pontifex, eiusque eff ænatam seueritatem in Episcopos suæ Præfecturæ subiectos exercitam, sanctè composuit, & compescuit. C

D. Leo ep. 84 c. 1. *Et si plerumque existant inter negligentes, vel desides fratres, quæ oporteat maiori auctoritate curari, sic tamen adhibenda est correctio, vt semper sit salua dilectio.*

Agesilao. Profectò Pontificijs infulis se maximè indignum præstaret, qui publico iustitiæ titulo priuatis suis rationibus indulgeret, suasque cupiditates pastoralis æquitatis pallio obuelaret. Cum Corynthi vrbem Agesilaus domuisset, sibique rebellantem populum refrænasset, nonnullis, qui ad eradendam perduellem vrbem, soloque æquandam eum adhortabantur, respondisse fertur, indecorum hoc sibi esse, cum solùm delinquentium væcordiam compescere cogitauerit, non autem Græciæ vrbes euertere. Quàm commodè ab Ethnico viro documenta sibi assumant Antistites; seueritas vtique cum improbis, & ceruicosis viris exercenda est, itá tamen vt nusquam spes eis nostræ bonitatis exarescat; mulctanda quidem scelera sunt, vt scelestos emendemus, & emundemus: ne per hanc seueritatis semitam à temperantiâ debitâ aberraret Lyrinensis Abbas, his eum Gregorius erudijt. *Itaque boni te dulcem, praui sentiant correctorem, in qua videlicet correctione hunc esse ordinem noueris obseruandum, vt personas diligas, & vitia persequaris; ne si alitèr agere fortasse volueris, transeat in crudelitatem correctio, & perdas, quos emendare desideras.* D

D. Gregor. 19 epist. 8.

Deus ipse exemplum nobis abundè suppeditauit in supplicio, quo Adam eiusq; vxorem animaduertit: statim enim post illatum supplicium, eorum nuditatem belluinis pellibus obuelauit, venturumque Messiam spopondit, vt indicaret in scelus, non in scelestos sua fulmina contorsisse. Permolestum Deo est, vt in sacris præsertim tribunalibus, in furorem, & vltionem pius zelus immutetur: quàm

D. Greg l 4 Dial. c 36. bènè hæc probant, quæ de Pontificiæ aulæ Præfecto D. Gregorius narrat; cius namq; anima in horrendo, lacu sæuissimè mulctari visa fuit, eò quod; cùm è Pontificio mandato calligaturus quendam esset, id ille fuit exequutus, non vt pareret, sed vt sæuiret.

D. Isi-

D. Iſidorus Peluſiota, qui in diſtinguendâ irâ in probam, & prauam Ariſtoteli A adhærere videtur, ea verba explicans Regij Pſaltis, *Iraſcimini & nolite peccare*, ait, non iraſcendi præceptum abſolutum non eſſe, ſed vt vocant reſpectiuum: *Diuinum oraculum non ſimpliciter iraſci, ſed fruſtra, & temerè vetuit*; cum pro Dei gloria animarumque commodo iraſci interdum expediat; Moyſem, Phinees, Eliam, Senatuſque Apoſtolici Principes ad hoc ille roborandum adducit, additque, quòd cùm ad tàm excelſa opera iræ motum nobis natura inſinuauerit, nos eum vitiamus, & in venenum ipſum medicamen inuertimus. *Ob eam enim cauſam nobis ira inſita eſt, non vt nos quoque peccemus verùm, vt peccatores prohibeamus; nec vt ea turbidus motus, ac morbus ſit, verum ut uitioſarum affectionum medicina. Nos autem medicamentum in uenenum commutamus, dum eo ad ea, quæ minimè decet, abutimur*. Cum igitur tùm ab immodicâ ſeueritate, tùm ab omnimodâ impunitate æquè abſtinere debeat Antiſtes, media viâ incedat oportet, quam nos proximo capite aperiemus. D. Iſidor Peluſiot. l. 2. epiſ. 139. Pſal. 4. 5.

B Iuſtitiam Epiſcopi Clementiâ temperandam. Cap. XXII.

Ab extremis virtus abſoluta deflectit, & veluti ducti orbis centrum medium amat, vt eo perfruatur: quâ propter ſi vituperandus æquè in Epiſcopo eſt nimius languor, & nimius vigor, ſtatuendum vtique eſt, auream hac in re mediocritatem ſeruandam, & omnibus præhabendam. D. Iſidor. Peluſ. l. 2. epiſ. 162.

Potiſſimum Epiſcopi eſt, ex Iſidori mente, *imperium lenitate condire*. Magnum quid ad Eugenium Pontificem, omneſque in eo Præſules hac de re ſcripſit Diuus Bernardus; hoc eſt, nec in iuſtitiæ zelo, nec in clementiâ virtutis rationem reperiri; ſed cum indifferentes ſint, opportuna moderatione, tempori, loco, perſonis accomodatâ in eâ virtutum ſede collocati, quam deperC dunt, ſi fuerint immoderatæ; demùm addit, *quod ſolent diſcretionis oculo caligante, alterutrum ſibi prœripere loca, terminos occupare*. Si nimia fuerit clementia, ſacram diſciplinam eneruat & vitiat, ſi fuerit iracundus zelus, in extremum eundem diſcrimen adducit; interius lumen vtraque macula obſcurat, cum à debitâ ſeruandâ rectitudine, tàm immodica benignitas diſtrahat, quàm immoderatus zelus auertat; Bernardo hac in re pronunciandâ præiuit magnus Chryſoſtomus: *Iuſtitia ſine miſericordia non eſt Iuſtitia, ſed crudelitas; miſericordia uerò ſine iuſtitia non eſt miſericordia, ſed fatuitas*. D.Bernard. l. de conſid. c. 2. D.Chriſoſ. in Matth.

In concionibus inſtituendis hoc idem à Timotheo Epheſino Præſule Apoſtolus docuit ijs verbis, *obſecra, increpa*, ac ſi diceret, vt ſalutari, vtilique ſermone populos excolas, archiatri inſtar, itâ conciones tuas inſtitue, vt ſimul acerba reprehendens miſceas, ſimul etiam lenia obſecrans annectas; ſi namque aſperitatem ſemper colloquia tua præferrent, periculoſum ſatis eſſet, ne excreſceret, & putreſceret vulnus: hac eâdem prorſus arte, in iuſtitiâ adhibendâ vti decet; itâ iuſtitia ſeruetur, vt ſimul etiam clementiâ miſceatur; animaduerſio efficiet, vt criminis fœditatem mens comprehendat, benignitas voluntatem exciD tabit ad ea penitùs euitanda. Tim 4. 5.

Aptiſſimè hoc idem in ſuo Paſtorali Magnus inſinuauit Grægorius, non rarò ſcilicet fieri, vt virtutis ſpeciem vitia præferant; cauendum itaque nobis eſt; *nam ſæpe inordinata remiſſio pietas creditur, & effrænata ira ſpiritualis zeli uirtus æſtimatur*. Clementia iuſtitiæ armis deſtituta contemptum Epiſcopo parit; iuſtitia, quæ nullâ benignitate dulceſcat, odium affert: nec facilè dictu eſt, quodnam ex his pernicioſius publicæ vtilitati ſit: vtrumque ſanè ſi abſuerit, ſacras infulas denigrat, ſi veró ſimul fuerint, coronat & illuſtrat: *Nam ſicut clementia honor eſt Principis, ſic & honor Regis iudicium diligit; etenim ubi totum punitur, regia ſeueritas crudelitate polluitur: ubi uerò totum remittitur, facies maieſtatis ſine diſciplina contemnitur*. hoc Ruperti Abbatis eſt. D.Greg. 2. Paſtor. c. 9. Rupert. Ab l. 8 in Gen. c. 37. Pſal. 93. n. 3.

Quàm ſanè hi aberrant, qui ſociari clementiæ rigorem negant, ſimulque eſſe

non

non posse, verberā, & oscula ? nisi enim mutuis amplexibus se ista connectant; desciscunt in vitium; se inuicem amplectentes Diuinus hæc Cantor expressit, A

Psal. 84 2. *misericordia, & veritas obuiauerunt sibi; iustitia & pax osculata sunt.* Siluestres arbores fuerint, nisi illa in alterâ, & hæc rursus in illâ inseratur: ni clemens iustitia fuerit, iustitia non est, ni iusta clementia fuerit, non est dicenda clementia; hæc illam exornar, aliaque aliam illustrat; egregiè Diuus Ambrosius hæc agit.

D. Ambros. de obitu Theodo. *Neque iustitia sine misericordia est: nec sine iustitia miseratio: quia scriptum est, noli esse nimium iustus. Non impedit tamen iustitia misericordiam: quia misericordia ipsa iustitia est.* Vino & aquæ non absimiles dixeris: perniciosum capiti vinum est, si aquâ mixtum non fuerit, perniciosa & stomacho aqua fuerit, ni vino misceatur: si tamen simul ambo fuerint, quid eo liquore gratius, & vtilius? Castorem, & Pollucem ferè dixerim imitari, quia oculos sibi inuicem largiuntur; benignitatis enim est, vt iustitiam moderetur, manuque quodammodo trahat, &

D. Gregor. 15. moral. c. 12. simul iustitiæ est clementiam moderari; sed accipe verba Gregorij. *Regat ergò disciplina rigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet rigorem.* B

Oculorum nostrorum pupillæ, licet cùm integræ fuerint, vultus venustatem illustrant; cum tamen ex illis vna obscuratur, lucis incrementum in aliam excitare videtur, quæ per ius accrescendi lucem alteri ereptam sibi vsurpat: dispari longè ratione virtutes istæ procedunt; cum enim sociæ simul fuerint, illustrissimam sui pompam præbent; at si earum vna caliget, caligat & altera; detrimentum

D. Gregor. lib. 20. moral. p. 4. c. 6. c. disciplinaq. 35. dist. alterius est, vnius obscuritas. Sed do Gregorij verba. *Disciplina uel misericordia multum destruitur, si una sine altera teneatur.*

Vt igitur simul vtramque suo animo foueat, eniti debet Antistes: compertum vtique mihi est, tùm ex Aristotele, tùm ab experientiâ, arduum maximè esse, vt

Arist. 2. Ethic. c. 9. quis extremis euitatis, consistat in medio: *difficile est in vnoquoque medium capere: quemadmodum etiam difficile est in circulo medium inuenire, uel centrum.* Sic Stagyræ Magister: hâc sanè in re tantæ difficultatis est medium reperire, vt

D. Gregor. Nazianzen. or. 8. Greg mag. D. Chrysost. hom. 25. in 2. ad Cor. D. Nilu. l. 6 Ascet. hoc potissimum in causâ sit, cur Sanctissimi viri Gregorius, Chrysostomus, Nilus asseruerint, populorum regimen, artem artium esse, & scientiarum scientiam. C Si verò medium hoc attingat Antistes, is sanè Gersone docente, iam primas in cursu regiminis habet, & metam ferè possidet.

§. I.

Gerson. pag 3. opusculo de religio. perfecta, & modera. consid. 2. Arist. 5 Eth c. 10. Abb. in c. magnæ n. 3. de ... Côcil. Trid ei. sess. 13. de Refor.

HAnc ab Apostolo in Episcopis exigi animi dotem verbum illud exprimit, *Moderatorem, hoceſt aquum.* Aequitas, Aristotele suffragante, omnimodam iustitiæ seueritatem expungit, & Epicheiam effingens, propiùs ad benignitatem accedens, â Diuo Cypriano, quem Panormitanus refert, vocatur Iustitia dulcore misericordiæ temperata. In Apibus, quæ aculeo simul rigent & melle dulcescunt hoc forsan magistra natura nobis expressit.

Aptiùs tamen hoc idem nobis Tridentina Synodus explicauit, quæ modum nobis indicans, quo in populis corripiendis gerere nos debemus, ita vt paternas primùm admonitiones adhibeamus, inde obiurgationes & minas, tandem supplicia, statuit. *Sin autem ob delicti grauitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia, iudicium cum lenitate seueritas, adhibenda est &c.* D hoc est in clementiæ solio administranda nobis iustitia est, nec alia nostris è manibus vulnera infligenda, quàm amoris, adeò vt crucient simul & sanent, hastam Achillis imitati, de quo vates egregius ait,

Ouid.

Vulnus Achilleo, quæ quondam fecerat hosti,
Vulneris auxilio Pelias hasta tulit.

Quàm benè hoc idem claro satis symbolo Aegiptij designarunt: sceptrum enim descripsere, cuius fastigio Ciconiæ caput imminerer, ad eius verò imam partem Hippopotami (monstrum hoc est frequens ad Nilum) caput subiaceret: pietatis symbolum Ciconia est, vt potè quæ senio laborantes genitores enutrit; Hippopotamus èconttra ferox, & sæuum animal seueritatem exprimit. In Principe igitur

A igitur hæc desponsentur, itâ tamen vt Principatum clementia obtineat. Quod si commendatissimus præ clementiâ fuit, Suetonio Teste, Augustus, & Tiro Proconsul Plinianis præconijs fuit insignitus, an non Ethnicis viris eò nos clementiores esse tenemur, quò sanctior & illustrior noster est Principatus? Sueton. in Aug. c. 33. Plin. l. 9. epist. 5.

Quid tamen est, vt extera hic congeram monita, si plurima sunt in promptu cælitùs elapsa ad hoc idem docendum oracula? quis enim, vt de his dicere exordiar, sacramentum non agnoscat in eo, quòd dum de supremo largiendo Sacerdotio agebatur, præcepit Deus, vt scilicet amygdalinam virgâ quæque tribus in tabernaculo collocaret, & illa cæteris tribubus antecelleret, cuius virga in flores & fructus vberi fæcunditate progerminaret: quorsum autem amygdalina potius virga, quàm alterius speciei ad id eligatur, nisi quia cum prædurum corticem fructus ille exterius induat, dulcissimum verò fructum interius foueat, intelligeret Pontifex, pari quoque sibi ratione cum reis agendum, adeò vt lenitas simul & seueritas in eos exerceatur; do verba Nysseni Gregorij. *Hoc fructu, quem* B *Aaronis virga ediderat, qualis debeat esse Sacerdotis vita monemur; aspera enim, & continens, duraque debet exteriùs esse: intùs autem, & in occulto suaue quoddam edulium continere.* Num. 17. 1. D. Gregor. lib. de vita Moysi propè fin.

Sed in Arcâ hoc idem expendas velim; in ipsâ enim, ex Dei præcepto, vnâ cum legis tabulis sacerdotalis virga, & manna seruabatur, vt hinc certiores nos Deus faceret, virgæ simul duritiem, & mannæ dulcedinem in Dei seruandâ lege à nobis adhibendam: Ad Constantinopolitanum, Alexandrinum, Hyerosolimitanum, & Antiochenum Antistitem scribens Diuus Gregorius hæc significauit hoc stylo. *Sit ergo amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; quod benè illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul, & manna est: quia cum scriptura sacra scientia in boni Rectoris pectore, si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis.* Hebr. 9. D. Greg l. 1 epist. 24. Ezech. 41. 18 in fin.

Cherubim ille, quem in templo spectauit Ezechiel, faciem ex vnâ Parte humanam, ex alia leoninam præferebat, & inter vtramque palma virescebat; hinc C edocemur, quod Præsules, qui è sui ministerij celsitudine in Cherubim exprimuntur, in sontibus castigandis humanitatem simul hominis, & leonis ferociam tenentur induere, leones humani, & homines leonini; quod ipsum ab illo leone significatur, cuius in ore mel apum industria elaboratum inuenit: *De forti egressa est dulcedo*; palmæ autem quibus vtraque facies ornabatur, annon ostendunt, quàm pergrata huiusmodi virtutum connexio Deo sit è triumphis, quorum palma simbolum est, quibus à Deo in celesti Capitolio efferentur. Iud. 14. 14.

Ad hoc idem significandum leones illi, & boues accedant, quos inter Templi, & Cherubim bases Salomon efformauit; tàm disparis generis, & ingenij animantia connexa simul sibi erant, & Cherubim ipsis associata, vt indicarent, Episcopos, quibus veluti spirantibus basibus Religio Christiana fulcitur, leonis simul fortitudinem, & bouis lenitatem in populorum regimine administrando præseferre debere: Glossa simul, & Beda hoc indicarunt, sed venustiori dicendi formâ Diuus Bernardus expressit. *Quicumque sollicitudinem regiminis suscipiunt, tanquam bases portant onus suppositum. Cherubim plenitudo scientiæ interpretatur. In basibus Cherubim monstratur, quia Prælati Ecclesiæ pleni esse de-* D *bent cælestis scientiæ, per leonem terror seueritatis figuratur, per bouem verò patientia mansuetudinis ostenditur: itaque in basibus neque leones sine bobus, neque boues sine leonibus exprimuntur; quia Prælati Ecclesiæ aliquandò rigidè, aliquandò cum dulcedine, aliquando cum asperitate, aliquando verbis, aliquando flagellis debent subditos suos corrigere.* 3. Reg. 7. 29. Beda ibid. D. Bernar. de modo vivendi, ad soror. c. 18.

Idem planè in illo curru Ezechielis Galfridus Abbas animaduertit; in quatuor illis animantibus quibus celerrimè trahebatur, Præsules sacros ipse designari arbitratur: Virgam, & baculum hic etiam agnosce, quò se recreari Dauid profitebatur; baculo enim fulciendus est, qui virgâ percutitur, ita vt nec immodicâ benignitate subditi animus virietur, nec praeferoci seueritate præceps impellatur. Oleum, & vinum hîc habes, quibus viatoris illius vulnera à latronibus ei illata Samaritanus aspergit: ecligma etenim ad prudentiæ lancem accommo- Ezech. 1. Golfrid ib. Psal. 22. 4. Luc. 10. 34.

commodatum componendum est, quo simul asperitas, & dulcedo misceatur, suauitas simul & acerbitas, pietas & seueritas, clementia & iustitia, lenitas, & rigor, ad animæ obducenda vulnera adhibeatur, ne vel immodica lenitate putrescant: vel nimio rigore exasperata turgescant, sed accipe Gregorij verba. *Per oleum foueantur, & per uinum uulnera medeantur, miscenda est lenitas cum seueritate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate dissoluantur.* Quod ipsum iisdem planè vocibus aliàs exarauit, tùm cùm in suo Pastorali Præsules omnes instruxit, tùm cùm ad quatuor superiùs memoratos Patriarchas epistolam misit: breui hęc omnia magnus ille scriptor expressit, *Clementiamque, & iustitiam capessat.* Traianum hac in re præ alijs Plinius commendauit: *in omnibus cognitionibus quam mitis seueritas, quam non dissoluta clementia;* at vetiùs in magno Basilio Nazianzenus Orator hoc idem celebrauit; in ipso enim, ait, tàm venustè hæc inerant, vt nec aut mollities dissoluta esset, aut seueritas rigida, & tetrica esset. Nec aliâ de causâ Diuinum eundem Spiritum columbâ simul, & igne disignari docet Diuus Augustinus, nisi vt nos, qui dùm inauguramur, Diuinum induimus spiritum, iustitiæ simul ignem, & columbinam lenitatem in nostro regimine præferamus. Ex eo etiam illius aulici Præfecti enigmate hoc idem ostenditur, qui debiti partem quo obstringebantur debitores, eis remittens, commendatus à suo Domino fuit: discant hine Præsules à cęlesti Patre familias se pariter fore commendandos, si pietatis, & misericordiæ amore aliquâ pœnarum parte reos absoluerint, quam iustitiæ rigor exigebat. *Hanc comparationem Saluator illico instituit, id est Episcopis dedit, ut quemodo domino suo fraudem fecit, ut haberet unde postea uiueret; ita Episcopi non omnia peccata ulcisci debeant &c.* Sic Theophilactus Anthiochenus.

D. Greg. l. 20. mor. c. 8.

D. Gregor. Pastor. c. 5. & lib. 1. ep. 24.

Tacit. l. 21. annal.

Plin. in Panyg.

Greg Naz. or. 7. & 28.

D. August. tract. 6. in Ioan.

Theoph. Anth. l. 3. Comment. in Euang.

A

B

Quid plura congesserim, si Diuinus ille moderator in vniuersi regimine hoc idem clatè nobis ostendit; tam aptè enim seueritatem lenitate temperat, *ut etiam eius ira misericordia sit*, vt Diuus Paulinus ait; egregiè id ipsum confirmans Diuus Ambrosius, eaque verba expendens, *misericors, & iustus Dominus, & Deus noster miseretur*, vides, ait, vt iustitiæ vim geminâ misericordiâ velut claustro quodam coarctet, vt omnibus pateat in ipsâ se iustitiâ esse misericordem.

D. Paul. epist. 10. ad Sever.

D. Ambros. in Theom. Psal. 144. 5.

C

§. II.

Egregium ad rem hanc illud de Deo Regum sapientissimus pronunciauit, *Tu autem dominator uirtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos.* Tria igitur suam iustitiam exercens Deus expendit; suæ primùm virtuti ipse dominatur, hoc est potentiam suam irâ moderatur, vt non omnes eius vires in suppliciis inferendis exerceat; alterum inde est, quòd tranquillè, & vrbanè de nostris operibus arbitratur, & quod potissimum videri potest quoad humani sermonis morem, *cum magnâ reuerentiâ* nobiscum agit, vel vt Vatablus habet, *cum magnâ moderatione*. O Diuinam profectò sapientiam, & bonitatem! Si Deus vniuersi architectus, & Princeps, ad cuius nutum tota ista rerum creatarum moles in transuersum acta deficeret, tàm humanè, & benignè nos agit miserrimos homunculos, quorum sceleribus iusta eius indignatio frequentissimè irritatur; an superciliosi, & acerbi nos erimus ergà socios homines, nostræque naturæ consortes? an non coërcenda nobis ea potestas erit, quàm ad pietatis etiam exercitium Deus nobis impertiuit? an in delinquentibus animaduertendis animi duritiem exuentes tranquillè placidèque eos agemus, & ea, quâ fas erit reuerentia? filij nostri, oues nostræ sunt: sanè ex eodem Ammiano Marcellino docemur in hoc potissimum probi regiminis normam elucescere, *Nihil aliud esse imperium, ut sapientes definiunt, nisi curam salutis alienæ: bonique esse moderatoris restringere potestatem.* Senecæ pariter effatum fuit, licet Neroni frustrà insinuatum, commendatissimum esse, *hebetare aciem imperij*.

Sapien. 12. 18.

D

Am. Marc.

Senec. de Clement.

Hoc

Hoc sanè significare supremus videtur magister, eùm ingentis luminis pompâ A redimitum se inspectandum tribus discipulis in Thabor fastigio exhibens, sui socios elegit mitissimum omnium Moysem, & omnium seuerissimum Eliam: in horum medio Christus est, hoc est virtutum omnium absolutum exemplar: ne igitur mireris, si ad eorum aspectum captus Petrus triaque tribus illis tabernacula erigere exoptans, asperè obiurgetur à Christo, & tanquam ineptissimus reijciatur, *non enim sciebat quid diceret*, iustitiam ipse à clementiâ dissociabat, quæ sine ingenti pernicie dissociari non possunt, si connexæ sibi inuicem sunt, non distinctâ, at eâdem sede detineantur: *esse comites atque contubernales iustitiæ æquitatem, atque clementiam*; sic olim è Stobæo Diogenes: hoc autem errore se Diuum Petrum implicasse satis docet D. Paschasius: *error tamen in causa est, quòd tria se repromittit facere tabernacula, vnum scilicet, ac si priuatum, Iesu, alterumque Moysi, & alterum Eliæ, quasi non eos caperet vnum tabernaculum.* Inuenire Deum quis valeat in iustitiæ domo, quin simul clementia non inhabitet: B Deo simul hæ adstant, iunctisque officijs famulantur; elegantissimè, vt moris est, Rauennas hæc Antistes expressit. *Penes Deum neque pietas sine iustitia, neque sine pietate iustitia: cælesti sensu sine bonitate æquitas, sine æquitate bonitas non habetur*: iam rationem de hoc accipe, cuius etiam vi nos obstringimur ad vtramq; simul virtutem nostris moribus coniungendam: *Nam virtutes si separata fuerint, dilabuntur: æquitas sine bonitate sæuitia est; & iustitia sine pietate crudelitas est*: iniqua ipsa æquitas est, si à clementiâ diuidatur: ad Sanctuarij staterani librandam, vtraque manus adhibenda est, quarum vna clementiam, seueritatem alia repræsentat: illius rigorem hæc moderetur, languorem huius illa confirmet: accipe iam Gratiani ore relatam Sancti Isidori sententiam. *Omnis qui iustè iudicat, stateram in manu gestat, & in vtroque penso iustitiam, & misericordiam portat: sed per iustitiam, reddit peccanti sententiam; per misericordiam peccanti temperat pœnam: vt iusto libramine quadam per æquitatem corrigat, quadam verò per miserationem indulgeat.*

Marc 9. 3.
Marc. 9. 5
Stobe. serm 147.
S. Pascas. l. 8 in Matth.
D. Chrys. ser.
D. Isidor l. 3. sent. de sum bon. c. 540. omis 10 45 dist.

C Prudentiæ & rationis est, suas cuique partes adscribere, vt tranquillè simul & placidè degentes, suam vnaquæque sedem habeat, quâ suum ministerium exequatur; eum enim in rebus, quæ ad potestatis exercitium referuntur, æquè ac in amatorijs facilè Zelotypia exardescat, vnicuique ius suũ designandum est, ità vt mutuâ charitate concordes, auxiliares sibi porrigat vires, & consortes suæ gloriæ se inuicem faciant: iniuriosum illud *Meum*, & *Tuum* prorsus eliminent: & vicibus amoris inter se obstrictæ habenas imperij moderentur. *Oportet quippe, vt omnia quæ agit moderatrix ratio sic disponat, & sic suis locis aptet misericordiam, & iudicium; vt cum iudicat, seueritas non excludat clementiam, & cum miseretur, iustitiam pietas non derelinquat.* Sic Carnotensis Arnoldus. Parentes sumus, eneruem Heli hebetudinem, & Manlij Torquati præferocem rigorem euitemus: Pastores sumus: deuias oues tenui virgâ ad ouile reuocemus, non in prærupta rupium saxorum ictibus impellamus: medici sumus; leuissimis medicamentis vtamur, non ferrum exeramus & ignem: venustissimè de his Seleuciensis Basilius hæc habet. *Periti Medici plus de arte cient admirationis, non cum ferro, & igne, in belli modum, vim mali domant; sed cum lenibus pharmacis affecta partis adulantes ægrum* D *scitè persanant.* Ipse quin Seneca potentiora ad animorum morbos ea medicamenta esse cognouit, quæ non exasperant, sed emolliunt. *Ipsos facilius emendabis minore pœnâ.* Sæuientium torrentum impete sterilescunt agri; eum è contra lenissimo cursu præterfluens Sebethus subiectos campos mirâ vbertate fœcundat. Præsules demùm sacri sumus: his autem non subiecit populos Deus ad dominij fastum, sed ad regiminis bonum: quàm potens ad gentium amorem: & famam nobis comparandam erit hæc seueritas elementiæque societas: potestatis nostræ fastigium non hæc eneruabit, at fulciet: fidem sibi de hoc facientem audi Magnum Gregorium, hoc est magnum in regiminis disciplinâ magistrum. *Ipsa quippe auctoritas Sancta Ecclesiæ cum sine misericordiâ est, nulla est: quia tunc spiritualis est rigor disciplinæ, cum a lineamento non vacat misericordiæ.*

Arnol de Verb. Dom in Cruce tra vlt. propè fin.
S. Basil. Sel. orat. 10.
Senec. l. 1. de Clement c. 22.
D. Greg. l. 6 in 1. Reg.

Huiusmodi clementia, eum quâ res nostri Principatus iustitia quoque communi-

municet, improbos æquè plectet, ac eis fauebit, qui vel mollioris animi sunt, vel præ imbecillitate in noxas aliquas ceciderunt. Hinc fiet, vt leuiora errata dissimulentur, ità tamen vt suauiter noxius serpens eruatur & elidatur, iuxtà ea, quibus Antistites Diuus Gregorius informauit. *Nonnulla quippe prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimulantur indicanda, & cum delinquens & deprehendi se cognoscit, & perpeti; has quas in se tacitè tollerari considerat, augere culpas erubescat, seque se iudicet, puniat, quem sibi apud se Rectoris patientia clementer excusat.* A

D.Greg. 2. Past.c. 10.

Quin, si compertum nobis fuerit, proprium iam crimen á delinquente cognosci, & è boni nominis desiderio iam ab illo resipuisse, ex hoc iustitiæ clementiæq; consortio fiet, vt ea tanquam cæcutientes non inspecten us, illudque simulemus, ad aures tanquá nostras eius non peruenisse delictû, eiusq; nomen laudabili nobis famâ seruari; quorsum enim indigneris, si iam est vulnus obductum? quin potius perniciosa medicina esset; vt enim ille animaduerterit, suum iam omnibus crimen patere, pudoris habenas excuteret, eumque famæ splendorem, quo illustrari desiderat, imprudenter, impudenterque negligeret. *Diligentius enim viuit, cui aliquid integri superest; nemo dignitati perdita parcit: impunitatis genus est, tam non habere pœna locum.* Ex aduerso autem quoad vsque viget pudoris robur, potentius hoc est ad nostras cupiditates refrænandas, quàm qualiber alia suppliciorum pœnarumue formido; venustissimè hæc habes ab Hieronymi calamo. *Ingenia liberaliter educata facilius verecundia, quam metus superat, & quos tormentum non vincit, interdum vincit pudor.* B

Senec. l. 1. de Clement c. 22.

D. Hieron. epist. 26.

Hinc pariter fiet, vt dulciùs humaniùsque eos agemus, qui vel Dei beneficio, vel suo ingenio aptiores cæteris sunt ad diuinum cultum exercendum; cultores illos imitati, qui in eâ excolendâ arbore industriorem longioremque dant operam, è quâ pergratos suo Domino fructus sperant colligendos.

Hinc demum fiet, vt iuxtà D.Gregorij documentum, Patris simul seueritatem, matrisque clementiam subditis nostris exhibeamus. *Curandum quippe est, vt Rectorem subditis, & Matrem pietas, & Patrem exhibeat disciplina*; Patet sit, cui non iracundia, sed amor ferulam subministrat; nec enim iracundiæ locum dare potest, quæ non tantùm naturæ ipsi, sed etiam iustitiæ adeò aduersatur; vt diuinam hanc virtutem vitiet & euertat; vt enim ex eodem Gregorio docemur. *Vera Iustitia compassionem habet, falsa verò dedignationem.* C

D. Greg. 2. p. Pastor. c. 6.

D. Gregor. homil. 34. in Euangel. c. vera 35. 45. dist.

Illud in huius fine capitis statuatur, Episcopalis ministerij esse, non tâm præterita crimina castigare, quàm etiam facienda præpedire: reum plectat, non eò tantùm quòd peccauerit, sed ne in posterum peccet, & ne ex vnius impunitate delicti licentiam sibi cæteri assumant, quâ populos polluant, & nullo fræno coërcita vndique debacchentur; arguendus profectò non erit, vel vt eneruis & hebes, vel vt seuerus & durus, iuxtà ea Cassiodori verba. *Benigni est Principis non tam delicta velle punire, quam tollere; ne aut acriter vindicando æstimetur nimius, aut leuiter agendo putetur improuidus*

Cassiod. l. 1 epist. 30.

Potissimùm in Episcopo benignitatem clementiamque requiri. Cap. XXIII. D

MORVM rectitudo, & omnimoda integritas, quæ neutri parti propensa in medio solum attingendo, seruandoque versatur, quàm facilè est, vt verbis doceatur, tâm pariter est arduum vt operibus expleatur: fieri non potest, vt sua semper opera intrà iustitiæ, clementiæque limites ità libret Episcopus, vt quandoque non deflectat, & alterutri deficiat: innumera propè sunt, quæ in singula diei momenta objiciuntur; omnia autem suis circumstantijs accomodare, & propriâ veluti in sede statuere, non humanum at diuinum opus videtur. Ne

igitur

igitur quando aberret Antistes, ad benignitatis potius quàm ad seueritatis viam
A deflectat, *Humanus enim animus, si tamen humanus, in humanitatem & benignitatem potius inclinet*: sic Nazianzenus: cælitùs impertitum hoc nobis oraculum illustris illa in sacris Canticis fœmina significauit, quę cum apprimè sciret in supplicijs inferendis acerbitatem simul & pietatem à suo Sponso misceri, *Bibi vinum meum cum lacte meo*, præ vino lac elegit, hoc est præ rigore clementiam. *Meliora sunt vbera tua vino*: probat hæc Petrus Blessensis, eò quia clementia (dummodo in languorem non desciuerit) nec Deo nec hominibus iniuriosa sit. D.Gregor. Naziang. Cant. 5.1. Cant. 1. 2. Petr. Bless. epist. 110.

Ipsa eadem iustitia eius operibus acquiescet; tùm quia, vt superiùs dictum est, cum clementiâ gaudet habere consortium; tùm quia eâ maiestate in principibus & potissimùm sacris elementia redimitur, vt cæteræ omnes virtutes, quæ ad Reipublicæ regimen referuntur, obsequium illi præstent, & principatum vltró concedant: *Benigni quippè Principis est ad Clementiæ modum transilire terminos æquitatis; quoniam sola est misericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non*
B *recusant*, sic Cassiodorus. Nullum sanè gratius thimiama odoratur Deus, nulla charior illi hostia litatur, sacrificium nullum, nullum obsequium, & holocaustum oculos Diuinos potentiùs allicit, quàm ea pietas, quam populis Diuino ex amore præstamus: apud sacros Canones Pontifex Calixtus hæc habet, *Potior est misericordia omnibus holocaustomatibus & sacrificijs*. Nil igitur mirum, si quibuscumque alijs muneribus contemptis, lenitatem solummdò suam Deo Dauid offerret, vt omnium pretiosissimum Deoque pergratum: preces, ieiunia, voluntaria corporis supplicia, sacra carmina, labores, bellicosque sudores, quibus inter acies & arma strenuissimus Doctor, ad superstitiones euertendas irroratus erat, Dauid reiecit, vtramque misericordiam Deo suo litauit. *Memento Domine Dauid & omnis mansuetudinis eius*. Hæc enim vna virtus est, cuius magisterio ipsam Diuinam similitudinem assequi licet; quamuis enim paria omninò sint Diuinarum ornamenta virtutum, & æquè omnia infinita; adhuc tamen præ cæteris misericordiam ille prædicat & ostentat, tanquam ditissimum suæ Diuinitatis Cassiod.l.2 var.ep.9. c.Pon.in fin dist. 14. Psal.131.1.
C thesaurum. *Et misericordia eius super omnia opera eius*: quòd fuit in causâ, vt ad Cęsaris animum in Constantinopolitanos Ciues indignatum emolliendum Diuinam Clementiam Nazianzenus magister obiecerit, quam imitatus ipsam posset, *nullo labore diuinitatem assequi*: inconcussa sanè Aquinatis sententia est, optimam eam virtutem omnium esse, quâ Deo assimilamur; hæc autem Clementia sola est; ipse quin Plinius sui Traiani laudes venditans in illud erupit. *Nullum est præstabilius, & pulchrius Dei munus erga mortales, quàm Deo simillimus Princeps*. Psal.144.9. D.Gregor. Naz or. 17. D.Thom.2. 2.q.30.ar.4. Plin inPan

Hinc Diuus Chrysostomus animaduertit, frequentissimum Christo Domino fuisse, vt mansuetudinem suam nobis imitandam objiceret, vt potè quæ præ alijs virtutibus à Deo diligitur & iubetur. Tám intima hæc Christo ipsi est, vt nullâ aliâ potiori ratione Paulus sermonem suum obarmauerit ad Corynthiorum animos expugnandos, expugnandasque morum corruptelas, quàm si Christi seruatoris benignitatem clementiamque præponeret. *Obsecro vos per misericordiam & modestiam Christi*: vox ea *modestiam* sonat è Græco codice *comitatem*. D.Chrysost. hom. 5.in Ioan. 2.Cor.in 1.

Nos viuentes iudicaturus Christus non in seueritate, & iustitiæ sede, sed in
D clementiæ & lenitatis solio suum tribunal collocauit iuxtà ea Pauli, *Adeamus ergò cum fiduciâ ad thronum gratię eius, vt misericordiam consequamur*: nos igitur etiam Christum æternum Sacerdotem, & Pontificem imitati, sedem in pietate nostram statuamus; misericordiæ nunc ille tribunal premit, vt formidandam iustitiæ sedem extremâ vniuersi iudicij die impleat; Patris nunc vices agit, iudicis partes tunc acturus. *Hoc nunc interim opus siue officium est, non tàm iudicis sedentis in throno iudicij & iustitiæ, quàm Pontificis summi sedentis in throno gratiæ*. Sic Rupertus Abbas. Hebræ.4.16 Rub. Abb. l. 13. in Matt.

Hinc fit, vt ad eius exemplar se conformantes Episcopi in clementiæ potius quàm in iustitiæ partem declinent, vt clementem sibi Numinis manum experiantur. *Sic & omnes qui iudices animarum positi sunt; suprexaltet misericordia iudicium, vt idem ipsi consequantur*. Cùm autem Christi vices Antistes exerceat, Rup. Abb. l.9Diu. off.

quis ignoret eandem illi sedem occupandam, eosdem sibi mores vsurpandos? Quatuordecim epistolis tanquam pyropis illustribus, imò stellis clarissimis Orthodoxam Religionem Paulus illustrauit; nulli autem, cui aliquam ex illis transmittit, misericordiam prænunciat, & auspicatur, præterquam Ephesino Præsuli, *Timotheo &c. gratia & misericordia*. De hoc rationem sciscitanti peracutè Chrysostomus respondebit, ab eo id factum, vt ostenderet potissimam Episcoporum dotem misericordiam esse & pietatem: *quenam verò ratio est, cur in cæteris Epistolis nusquam misericordiam deprecatum esse deprehenditur. Nempè enim Doctores maximâ misericordiâ indigent*. Cuius vestigijs Rupertus Abbas adhærens ait, in Timothei personâ Episcopos omnes Pauli sermone institui, eique præ alijs virtutibus Clementiam maximè commendari. *Paulus in Timotheo Episcopos omnes informabat, cuius officij summum & necessarium decus est misericordia*. Pretiosissima hæc omnium gemmarum est, quibus Episcopalis Thiara collüceat, & clarissimum omnium ornamentum, quibus sacra sedes irradiet. Indecorum sanè nimis esset, quòd Christi discipulus, & Vicarius, clementiæ & benignitatis calle reiecto, viam seueritatis incederet; quapropter, cùm ex inurbanitate, quâ Samaritani intrà vrbem noluerunt eum excipere, Iacobus & Ioannes discipuli acriter indignati, facultatem ab eo rogauerint, vt pluuium ignem ad eam delendam vrbem immitterent, quæ Dei præsentiam, Deique verba reijciebat, eorum acerbitatem obiurgauit amantissimus Dominus. *Nescitis cuius spiritus estis*. Eliam vos quem imitamini, inspectatis: lex antiqua cordi vestro est, quæ, vt docuit Diuus Hytæneus, cum seruis imponeretur, aspera meritò erat, vt suppliciorũ terrore ad eam seruandam compellerentur; apagè vobis hęc sententia, quæ meis votis longè discordat! Lex Euangelica non seruis at filijs enunciatur, & animas instruens, corpora etiam ad virtutum exercitamenta suauiter rapit. *In spiritu lenitatis*; à seueritate prorsus ista discedit, & clementiæ militans, totum sibi vniuersum sperat dulcissimè subigendum: sanè Samaritanos his pietatis armis ille subegit, & qui eum fœdissimè reiecerunt, ei se dedere in triumphum; ad Episcopos instruendos refert hæc clarissimus scriptor Ambrosius. *Quod verò discipulos increpauerit, quia ignem de Cælo super illos descendere cupiebant, ostenditur nobis, non semper in eos, qui peccauerint, vindicandum; quia nonnunquam amplius prodest tibi Clementia ad patientiam, lapso ad correctionem: denique Samaritani citius posteà crediderunt, a quibus hoc loco ignis arcetur*: ad pallium viatoris humeris eripiendum validior est Solis suauitas, quàm feruentis Boreæ fragor: scelestos frequenter viros facilius reuocauit ad bonam frugem clementia quàm seueritas: magnus ille Præsul dicendus est, qui populorum saluti consulit, non aspera, sed dulcia adhibendo. Egregium admirandumque munus illud extitit, quo ad suum populum ritè gubernandum Salomonem Deus ornauit, *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis quasi arenam, quæ est in littore maris*; quæ autem proportio intercedit inter maris arenam, & perfecti regiminis disciplinam? audi Hebræum Philonem sic egregiè ratiocinantem. *Progenies sapientiæ cum arenâ confertur, quia marinas vndas littoralis arena obiecta repercutit*. In hoc præcipuè moderatoris prudentia consistit, vt scilicet subditorum æstuosam ferociam, eâ clementiæ quiete coërceat, quâ insolentis Oceani furias placidè arena reuerberat; in pijs & lenibus viris gubernandis, nulla prudentia, nulla virtus ostenditur: vt ceruicosos, perditos, profligatosque viros ad viam virtutis adducas, hoc opus, hic labor est: Gratius Deo & hominibus erit, si tantum opus clementiâ Duce præstiteris; clementiam enim æquè à nobis cælum ac tellus efflagitat.

Ad Timot. 1.1. & 2.1. — D. Chrys. hom. 1. in 1. ad Timot. — Rup. Abb. in 1. Apoc. — Luc. 9. 55. — D. Hyren. l. 4. contra hæref. c. 27. — Galat. 6. 1. — D. Ambr. in Lucam. 9 — 3. Reg. 4. 29 — Philo Iud. de somn. — A — B — C — D

Nec aliâ de causâ, vt Caietanus opinatur, Diuinæ sapientiæ consilio factum est, vt supremi tùm Synagogæ, tùm Ecclesiæ Hyerarchæ tàm fœdè se pollucrint, & Aaron æquè ac Petrus sacra ipsa, qubus præerant, violarent, nisi vt propriam imbecillitatem experti facilius, & mitius alienas labes exciperent; in eo sanè quod de Petro diximus, Caietano longè præcessit Diuus Gregorius, cuius hanc habes sententiam: *Quod nimirum magnum esse pietatis dispensationem cognoscimus; vt is, qui futurus erat Pastor Ecclesiæ, in suâ culpâ disceret, qualiter alijs mise-*

Caiet. in c. 3. Exod. — D. Gregor. hom. 21. in Euang.

miserere debuisset. Hoc autem multò validius in nobis forè quis non intelligat,
A qui non semel aut bis, at frequentissimè humanam imbecillitatem in nobis ipsis sumus experti. Quin eâ etiam in sententiâ Diuus Damianus fuit, vt opinaretur nonnullos Antistites permittente Deo in crimina non panca delapsos, vt nempè è pietate, quâ ipsi recipiuntur à Deo, in alios etiam exercere pietatem addiscant. Vt igitur sacras infulas pro dignitate Antistes induat, clementissimus suo ingenio sit, adeò vt Apum Regem imitetur, qui aculeo caret, vel si eo pollet, D. Ambrosio teste, nunquam eum exerit ad punctionem. Egregiè simul & breui totum hoc Diuinus Spiritus Zachariæ vatis ore designauit, cum de Zorobabel, & Iesu Sedech filio, iuxtâ Lyranum, vel de alijs iuxtâ Hyeronimum, sermonem habens ait, *Isti sunt duo filij olei*; oleum enim quis mansuetudinia esse symbolum nesciat? hoc igitur non peruncti tantùm, sed vt ità loquar compositi esse Præsules debent; quapropter commendantur ij potissimùm, qui clementiâ dulcescunt, non verò, qui seueritate ferociunt.

D. Petrus Damian ser 21 de S. Apos.

D. Amb. l. 5 Exam. c. 21

Zacch. 4. 14

B

§. I.

SI igitur ad iustitiam simul, & misericordiam pari mensurâ exercendam, omnimodâ rectitudine vti non licet, ad clementiam potiùs propendamus oportet, eò quòd ad nos præcipuè referatur, & commendetur à Deo; eò etiam magis studendum nobis huic virtuti est, quò si seueritatem exercuerimus, aperto errandi discrimine implicamur, adeòque ad nostra opera excusanda egregium illud á Cassiodoro vsurpare valemus, *Nam qui periculosè iusti sumus, sub seueritate semper ignoscimus*. Concinnè quidem eis, Aenea Syluio referente, Rudolphus Cæsar respondit, qui de immoderatâ lenitate eum arguebant, mihi quidem sic Cæsar, frequentissimè dolorem rigor iniecit, nunquàm clementia.

Cassiod l. 2. ep. 40 Aen. Si u l. de Al. phon.

Huic addas, quòd licet designatas à lege pœnas iudex inferior non valeat; Prin-
C ceps tamen dummodò partium, & Reipublicæ commoda seruentur, gratificari vtique potest; docet hoc Angelicus, cui præiuit vir clarissimus Symmachus. *Alia enim est conditio magistratuum, quorum corruptæ videntur esse sententia, si sint legibus mitiores; alia Dominorum Principum potestas, quos doces acrimoniam seueri iuris inflectere*. Canonum verò magistri facultatem hanc ad Episcopos vt ad Principes referunt concordi omnium suffragio.

Hinc Cantuariensis Antistes D. Anselmus & recenti hâc ętate Gebennensis Præsul D. Salesius illud vsurpabant, quod si de nimiâ, vel seueritate vel clementiâ arguendi à Deo essent, de istâ potiùs quàm de illâ le Deo iudicandos obijciebant, cũ Diuinam similitudinem nobis ista, non illa cõmunicet: à D. forsan Augustino hoc illi addidicerunt, hęc enim fuit eius sententia, *Melius est, vt redarguamur de misericordiâ, quã de crudelitate in die nouissimo: superexaltat enim misericordia iudicium*.

D. Th. 2. 2. q. 67 art. 4. Symmac. l. 10. epist. 63. Auctor. iste in sua decis. 116 n 7. & se. p. 2. Vita Sales l. 3. c. 5.

D. August. ser. 60. ad fratres de Erem. l. 10

Quin Plinius ipse licet Ethnicus nimiæ potiùs benignitatis argui volebat; errorem ipse suum fatebatur, nec tamen ab eo discedebat: fęlicem enim eum æstimabat, & commendandum potius quàm arguendum. *Agnosco crimen, amplector etiam: quid enim honestius culpâ benignitatis*. Commendatissima ad honorem
D epistola videtur Marci Antonini Cæsaris: Faustinæ enim suæ coniugi respondens, quæ ad seuerè acritèrque eos puniendos, qui duce Auidio Cassio, in eius caput regnumque conspirauerant, eum summoperè excitabat; eius primum pietate commendatâ, amorisque excellentiâ, quâ coniugis filiorumque saluti consulebat, certiorem inde eam facit, se iam vxoris, filijs, eiusdemque Auidij genero pepercisse. *Nihil enim est, quod Imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quàm clementia: hac Cęsarem Deum fecit: hac Augustum consecrauit: hac patrem tuum pracipuè ornauit: Denique si ex animi mei sententiâ de bello esset iudicatum, nec Auidius esset occisus. Esto igitur seuera, Dij me tuentur: Dijs pietas mea cordi est*. Proh Dei fidem! Pudeat superstitiosa ludicraque Numina mitissimos habuisse cultores, quos verum & mitissimum Numen haud habet! pudeat Ethnicos viros Christi fidei asseclis in eâ virtute præcellere, quam Christi Religio profi-

Plin. l. 7. ep. ad Epistitiũ.

M. Antonin.

profitetur! Quis Antistes, quis Præsul prædurus adeò animo erit, vt ad superstitiosi Cæsaris exemplum non emollescat. A

Verum tamen est, quod licet ad pietatem potiùs quàm ad iustitiam propendere videatur accommodatius, prudentiæ nihilominus erit, vt iuxtà superiùs memorata, mediocritatem auream nos vndique assequamur, ne lenitas in languorem desciscat, & in desidiam, quæ clementiæ speciem præferentes scopuli confragosi sunt, in quos facilè nostræ naues impingunt, & illiduntur.

Et quamuis Clementia, Principis instar, communes abhorrere leges videatur, nec angustis finibus circumscribi patiatur, vt potè quæ suum vbique imperium latè protendit, & iuxta Regis Theodorici è Cassiodoro sententiam, gloriæ auida, beneficia vndique spargit, vt metat præconia. *Clementia non habet legem, nec debet sub angustis terminis benigna sequi, quam decet sine fine laudari:* adhùc tamen illis vltrò se legibus subijcit, quibus cæteroquin è sui maiestate nominis absoluitur: suum tuetur candorem ne se prostituat, iisque facilem humanamque se præstat, qui suis beneficijs non abutuntur, ab eorum patrocinio abhorret, qui profligatæ tam famæ sunt, suaque beneficia eâ tantùm mente exciperent, vt nempè ad maiora crimina sibi aditum sternant, & benignitatem commendant, vt maiori scelerum onere obruantur: si huiusmodi perditis viris suum ea fauorem, suum patrocinium committeret, proh quantùm sui nominis iubar denigraret, & veram clementiam exuens in crudelitatem crudelitate ipsâ sæuiorem desciceret: aurea sunt ad rem hanc Senecæ verba. *Itaque adhibenda est moderatio quæ sanabilia ingenia distinguere a deploratis sciat. Nec promiscuam habere, ac vulgarem clementiam oportet, vel abscissam: Nam tàm omnibus ignoscere crudelitas est, quàm nulli.* haud tamen hos illa penitus deserit, solis instar, cuius lumen in improba etiam capita vltrò diffunditur: præcellere semper vult illa iustitiæ, iuxta illud Diogenis. *Modum tenere debemus: sed quia difficile est, in partem humaniorem propende.* B

(Cassiod. l. 2. ep. 30. l. digna. 104. C. de legib.)

(Senec. l. 1. de Clemen. c. 2.)

Inclemens & iniqua Clementia esset, ait Diuus Ambrosius, si fœmineis precibus, vel lacrymis acta laqueum ab eius gutture raperet, quem scelera immania damnarunt: iusta autem esset, si eorum causam tueretur, qui humanæ imbecillitatis potentiâ deliquerunt; quàm seuerè cum Adamo Deus egit, eò quòd diuinis muneribus locupletatus simul & roboratus non præ infirmitate, sed præ mentis iniquitate peccauerit; quàm verò clemens, & mitis ergà nos Deus est, quos adeò imbecilles agnoscit, & vel vitium tenuitate, vel vitiatæ naturæ vi pronos ad lapsum: sed do Ambrosium. *Nobis autem, qui hæreditario vinculo tenemur adstricti, qui in hac carne sumus, quæ priorum præiudicio detrita iam atque assuefacta peccatis non poterat emergere, quasi iustus indulsit. Iustè enim ignouit hæredi, qui præiudicio laborabat auctoris. Est ergo iusta misericordia, est etiam iniusta misericordia.* Vides igitur duplicem dari clementiam iustam scilicet, & iniustam? nam vt Aristotelis suffragium sequar, ad ipsam Clementiam spectat, iuxta diuersas temporum, locorum, personarumque rationes rigescere & sæuire. *Is igitur, qui pro quibus oportet, & vt oportet, & cum oportet, & quanto in tempore oportet, irascitur, laudatur, est hic mansuetus.* C

(D. Ambr. in Psal. 118. octau. 8.)

(Arist. 4. Eth. c. 5.)

Illud demùm significare Episcopo liceat, quòd ad clementiæ specimen exhibendum sicut optima erunt, quæ nos Aristoteles, Xenophon, Hebræusque Philo docuerunt, hoc est, vt beneficia suis ipsis è manibus tanquam flores, & gemmas effundens, suo Vicario rigida cedat & seuerâ; sic etiam ad præmia conferenda probis, quàm ad pœnas improbis inferendas procliuior sit, voluptatem in illis, in his molestiam suam ostendens, iuxtà illud Claudiani. D

(Aristot. 5. Polic. c. 2. Xenoph. in Herone. Philo. l. de Abrah.)

(Claudian.)

Sit piger ad pœnam Princeps, ad præmia velox,
Et doleat quoties cogitur esse ferox.

Lentè

A

Lentè in suis statuendis rebus incedat Episcopus. Cap. XXIV.

OPTIMA plerumque consilia (sic apud Laertium Bias Philosophus) celeritate, & iracundiâ maximè vitiantur; mens etenim furore turbatur, & celeritate ratio præpeditur, ne maturos fructus emittat; celeritatem & imperitiam, iracundiam, & insaniam damnauit apud Thucididem Diodorus: Scyllam ego, & Charybdim vtramque dixerim, quibus clauum regiminis moderantibus in administrandâ præsertim iustitiâ naufragium infertur. Tenebras Cymmerias iure vocaueris, quibus iubar rationis adeò obfuscatur, vt rectum à prauo, iniquum ab æquo, commentitium à vero distinguere nullatenus valeat; Consuetum hic ordinem seruaturi, de primâ hic agemus, proximè scripturi de aliâ. Laert. in Biant. Thucid. l. 3. hist. B

Festinatæ deliberationis errores breuitèr Titus Liuius expressit cum diceret, *festinatio improuida est, & cæca*. Incauta inquam, eò quod nullâ perpensione adhibitâ rationis maturitatem præcurrit, finem sibi non statuit, media non eligit, circumstantias non expendiat, nec tempori indulget, quo recogitet, an quod agit, deceat, liceat, expediat, sed viperam imitatur, de quâ Marsilius Ficinus ait, *ante parit, quàm concipit*; mentis fallacijs decepta, & rationibus commentitijs, & fictilibus innixa non fœtum educit, at facit abortum; cum enim probitatis tantùm speciem præseferant, perniciosissimæ re verâ sunt, & quamuis solidæ initio videantur, euanidæ tamen, & inanissimæ, si benè recogitentur, euadunt. Quàm benè Cassiodorus. *Omnia subita probantur incauta*. Liu. l. 2. de ca. Marsil sic in Cassiod l. 1 epist. 7.

C Nihil ipsa operatur, quam Vrsæ instar consideratione abhibitâ perpoliat, & absoluat; aptissimè illud sapientis cuiusdam effatum hic afferendum, pullus è putamine nunquam erumpet, nisi diù gallina fouerit oua: Eo quòd preproperò labore fructus educat Salix, sic Theophrastus, facilè eos deperdit, adeòque vocauit eam Homerus *frugi perdam*. Cæcam etiam quis eam inficietur, cum tenebris in suis agendis obruatur: nihil igitur operari ipsa potest, quod ignorantiam non redoleat, cùm verissima vetus paræmia sit, cæcos catulos pari à cane nimis festinanti; quod fortè è Græco Aristophane vsurpatum est, qui de cane feminâ nomine Atalantâ festiuè cecinit. Sinolelicus Theophrast l. 3. c. 2.

Cæca parit properato Atalantis tinnula nixu. Aristophan in Pere.

Vt ab huiusmodi lapsu Diuinus Spiritus nos reuocaret, illud subobscurè commonuit. *Palpebra tua præcedant gressus tuos*; hoc est, ne in nostris operibus cæco & inconsiderato modo procedamus, ni facilè cespitantes turpissimè, & indecorè labamur; sic ea Diuus Gregorius in suo Pastorali explicat. *Palpebra quippè gressus præcedunt, cum operationem nostram consilia retrò præueniunt: qui enim negligit considerando prauidere quod facit, gressus tendit, oculos claudit, pergendo iter conficit; sed præuidendo sibimet ipsi non antecedit; atque idcircò citiùs corruit, quia vbi pedem operis ponere debeat, per palpebram consilij non attendit*. Prou. 4. 25 D. Greg. l. 3 Pastor. adm 16. D

Prosperum igitur exitum sortiri nullatenus possunt properata consilia; propitium horoscopum exigunt, & singulare Dei præsidium ad hoc vt fœliciter cadant: quapropter egregiè vir illustris Apollinaris Sidonius ait de præproperâ, immaturàque deliberatione sermonem habens: *Ego huiusmodi consilio album calculum minimè apponam, cuius temeritas absolui non potest, nisi beneficio fœlicitatis*. Fœlicissimus ille dicendus est cui prosperè contingunt quæ festinatè delibertat: errori namque proxima festinatio est, errorem calamitas sequitur, calamitatem dolor, quem indiuisum festinato consilio socium tribuit Lucianus. Sidon. l. 2. epis. 6. Lucian in Andalog.

Quin cælitùs etiam docemur, quòd nisi de nostris operibus pænitere velimus, nihil vnquam, nisi maturè seriòque deliberatum operemur: *fili sine consilio nihil facias*, Eccl. 32. 24

facias, & post factum non pænitebit; nullâ eius pœnitentiâ vexaberis, licet aduersum fortita res fuerit finem; commendandus semper enim est licet re imperfectâ, qui composito, placidoque consilio vsus in agendo est; nec enim, vt finem assequamur, nostro pendet ab opere, sed à Diuino consilio, cui frequenter nostram effringere superbiam placet, nostrasque elaboratas rationes eludere: laudabilius ergo opus aliquod erit, quod seriò deliberatum improsperè cesserit, quàm illud quod fortuitâ quâdam vi infœliciter cadat: fidem mihi de hoc facit è A

Tacit. l. 1. Tacito Suetonius Paulinus, qui *Cunctator natura, & cui cauta potius consilia, quàm prospera ex casu placerent*.

Quanta porrò calamitatum moles ex vsu inconsiderationis erinetur, testari potissimum Pompeius valet, cuius miserandam catastrophem adhùc vniuersi scęna tragico luctu prosequitur; hic enim post innumeras relatas in Capitolium victis ex hostibus palmas, suumque nomen ad extremas orbis plagas triumphalium tubarum clangore porrectum, sui exercitus viribus tantùm innixus, nullâque con-

Dio. l. 42. sideratione habitâ cum Cæsare Pharsalicis in campis aperto Marte confligens, lauceas suas breui vidit arescere, & in tristes cupressus immutari. B

Sed illustrius illud est, quod sacræ nobis paginæ de Hebræorum populo subministrant: hic enim ab Aegyptiacâ captiuitate singulari Dei beneuolentiâ eductus, longas, quas in monte Sina agebat Moyses, moras ferre non valens, è molestiâ ad obtrectationes progrediens, ex obtrectationibus ad mortis minas, quibus

Exod. 31. ipsum Moysem imperebant, cum à quodam proponeretur, accomodatum sibi satis esse, si ad Aegyptium morem sibi idolum componerent illudque sibi in Numen haberent, illicò nullo examine tanti facinoris habito, Dei beneficia non librantes, eius sceleris atrocitatem, & consequentia scelus supplicia, tàm improuidè, & vehementer omnia statuerunt, vt quàm citissimè, iuxta Vatis Regii

Psal. 105. 13 verba, illud elaborarent, *Citò fecerunt, obliti sunt operum eius &c.* tàm atrox tàm dirum sacrilegium, è quo tanta malorum moles, & viginti trium millium virorum cædes effluxit, è festinatione, & celeritate emanauit; propetata res fuit, tumultuaria, præceps, *citò fecerunt*, quid igitur mirum, quòd calamitosissima, & sceleftissima fuerit? C

§. I.

SI ergo quâcumque in re tàm perniciosa festinata consilia sunt, perniciosissima sanè, & maximè damnanda ea erunt, quæ in administrandâ iustitiâ, & in suppliciis infligendis tumultuariò capiuntur: optimè namque Cassiodorus ait,

Cassiod. l. 37. epist. 8. *quidquid non discutitur, iustitia non putatur*: licet iustum consilium fuerit, iniustitiæ notâ habet, ni seriò fuerit cogitatum; iustum quidem erit, sed vt vocant materialiter, & fortuitò, non formaliter; præterquam quòd perraró fit, vt aliqua etiam pernicies non inferatur, & festinationem veluti nouercam iustitia patiatur, *præcipitata voluntas nouerca est iustitiæ*, sic è sapientibus quidam.

Quamobrem prædilectum sibi Ephesinum Præsulem instituens Apostolus, & in eo Antistites omnes, grauissimo sermone, obtestationibus plurimis, cælumque ipsum sui sermonis testem inuocans de cautione eum admonuit, quam in re D

1 Timot. 5. 21 tantâ adhiberet. *Testor coram Deo & Christo Iesu, & electis Angelis, vt hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in aliam partem declinando*: vbicumque iustitiæ res agenda fuerit, & vel præmia vel supplicia inferenda, prolixâ diuinâque discussione opus est, seriò cuncta perpendas, & lentâ manu Astreæ lancem librans itá eam moderaris, vt neutri parti propensior sit; hæc autem vt præstes, amorem omnem exue, omnem festinationem excute: do Aesychium: *Præsertim cum res sit difficillima tantâ æquitate iudicia exercere, vt nullus relinquatur locus affectibus, aut nulla obrepat negligentia*: vt autem nullus sibi suadeat ad vnum Timotheum hæc spectasse Apostoli documenta, sic pergit Aesychius. *Quamquam non propter Timotheum solum, sed propter alios Episcopos in vno Timotheo instruendos adjicienda fuit hæc tàm grauis, & terribilis obtestatio.*

Esychius ibid.

Si

Si Principum & Iudicum est, in re tanti momenti tardare sericque progredi, A quantò validiùs sacram hoc idem Religionem decet, quæ iustitiam religiosissimè excolit, alijsque eam omnibus vehementèr commendat.

Oues quidem pastorali virgâ regere & corrigere, si à grege discessetint, pastori licet, cœco eas modo percutere non licet. *Disciplina exerceatur, iudicium tamen non præcipitetur.* Sic Præsul Clarissimus Hipponensis; & quamuis, vt alias diximus, prudentiæ leges exigant, vt quod deliberatè decretum est, quàm citissimè executioni mandetur, adhuc tamen si festinatum consilium fuerit, coërcendum vtique, & amouendum est, iuxtà ea, quibus Theodosium Cæsarem Diuus Ambrosius erudiuit; legem enim ille Cesareo edicto sanciuit, vt triginta dierum spatio capitales sententiæ protelarentur; vt enim Aurelius Victor apud Cardinalem Baronium refert, eo ingenio Princeps ille pollebat, vt quò festinantior in statuendo erat, eò etiam facilior esset, vt de statutis pœniteret; quàpropter non exiguum illi tempus Sanctus Magister addixit, quo facienda maturâ B cogitatione discuteret, ne si fuerit immatura, lachrimari cogeretur; Vrsæ instar voluit, vt suarum cogitationum rudem fœtum diù lamberet, ne lędum videret & ad eius fœditatem horreret. Tiberij igitur dementiam iure meritò Tacitus derisit, eò quod, cùm legem non absimilem statuisset, nusquam tamen ad suam mentem reuocandâ vteretur, at abeius vsu indices ipsos amoueret. Commendatissimus ex aduerso Cæsar Aug. omnibus fuit, qui perniciē ingentem agnoscens, quamimmatura & acerba consilia inferunt, illud semper ore dictum vsurpabat *festina lentè*: quem etiam Vespasianus Cæsar imitatus, ad eandem mentem exprimendam pro symbolo Anchorâ vnâ cū Delphino descripsit; Anchorę enim est nauim immorari, & detinere; Delphin autem celerrimo cursu maria traijcit; his etiam se Tassus accōmodauit, qui Saturni sydus exprimens Epigraphen apposuit, *Tardissimè velox*.

D. August. ser. de omib. par. 2. c. 5.

Baron. ann. 390.

Tacit. l. 3. annul. c. 10. Sueton. in Tiber. c. 35. Dio. l. 75.

Aul. Gell. l. 10. c. 2.

Quanti sit ponderis in iudicijs ferendis & causis agendis circumspecta deliberatio, perpendens Diuus Gregorius, illud frequenter Episcopis memorabat, vt ex Epistolâ, quam ad Maximilianum Antistitem scripsit, *frequenter me admonuisse vos recolo, vt in proferendâ sententiâ esse præcipites nullatenus debeatis*; C quod etiam vbi de supplicijs inferendis agitur, nos magis obstringit, vt omnibus innotescat, quàm inuito & ægro animo ad ea infligenda procedamus, cum è contrà, v ait Seneca, *Propè est, vt libenter damnet qui citò*.

D. Greg. l. 2. epist. 26.

Senec. 1. de clem. c. 17.

Quin charitatis, prudentiæ, & boni regiminis est aliquandò prætetire opportunitates, quibus ad reos puniendos obstringimur, cùm satius sit eos nostræ seueritatis metu coërcere, si nostrâ patientiâ, & longinquâ tolerantiâ abutantur: hoc sanè modo cum Corynthijs se gessit Apostolus; cùm enim percepisset quasdam à se leges præscriptas seruatas illis non fuisse, eorumque permultos adhuc magnis sceleribus implicari, ab ea Vrbe inuisendâ abstinuit, hac de ratione, *Testem Deum inuoco in animam meam*: duo hæc iusiuranda esse docet Angelicus: primum assertorium, *Testem Deum inuoco*, quo Deum suum testem inuocat; execratorium alterum, *in animam meam*, hoc est æternùm perdar, si mentiar; quid igitur vnquam tam magnum, & insolens enunciaturus ipse sit. Audi; *quòd parcens vobis non veni vltra Corynthum*, beneuolentia & amor, quo vos prosequor in causâ fuit, vt vos non inuiserim, ne in vos Apostolicæ potestatis arma vibra- D rem; aliò iter flecto vos deserens, ne illi molestiæ, quâ crucior, vos à pietatis via deuios spectans alia superaddatur molestia de supplicijs vobis à me infligendis. *Vt non, cum venero, tristitiam super tristitiam habeam*. Pauli vestigijs Augustinus adhæsit; cùm enim hic à monialibus quibusdam suæ Diœcesis, quæ contentionem acerrimam cum suâ Abbatissâ habentes, in eam irà conspirauerant, vt eam suâ præfecturâ spoliarent, ad suam ædem inuisendam contentionesque illas componendas maximis sacrarum virginum precibus aduocaretur, renuit illuc Augustinus accedere, sed validam & religiosam Epistolam scribens, qua eas ad tranquillitatem & pacem simul instaurandam adhortabatur, rationem traditæ repulsæ significat his verbis: *Sicut parata est seueritas, peccata, quæ inuenerit vindicare, ita non vult charitas quod vindicet inuenire*: *hac causa fecit, vt ad vos non venirem, cum meam præsentiam quæreretis, non ad pacis vestræ gaudium, sed ad dissensio-*

2. Cor. 1. 2. 3. D. Thom. ibid.

2. Cor. 2. 3.

D. August. epist. 109. tom 2.

fensionis vestræ augumentum, quomodo enim contemnerem, & impunitum relinquerem A
si & me præsente tantus tumultus existeret &c. si tamen rei necessitas vrgeat, vt ad
infligenda supplicia procedamus, perpendenda seriò res est, nimia celeritas cui-
D.Chrysost. tom. 5. hom. 1. de Pœnit. tanda. Accommodatissimum exemplum Diuus Chrysostomus affert eorum nau-
tarum, qui Ionæ nauim moderandam locauerant. Optimè proreta nauis
animaduerterat, quòd cum ad tempestatis vim elidendam tota ars inutiliter de-
sudasset, vnicum auxilium petendum à Deo erat, cuius voluntate pelagus sæ-
uiebat: preces igitur & vota funduntur, sed frustrà; iaciuntur sortes, quæ om-
nibus propitiæ, vni Ionę sinistræ sunt, tanquam illius tempestatis auctori; adhuc
tamen sententiam in eum non ferunt; de patriâ eum interrogant, locum scisci-
tantur, è quo discesserit, & ad quem progressurus sit; crimen suum ipse fatetur,
& in se procellæ debacchantis refert originem: furentis pelagi fluctibus age-
bantur nautæ, & procellâ huc illucque quassati, proximi metu naufragij palle-
scebant; Ionam ipsum suæ tempestatis horrendo fragore pelagus increpabat,
& dissonâ horridáque fluctuũ voce eius crimen obiurgabat; damnabat eum sors, B
vndosum elementũ proscribebat, scelus ipse idem fatebatur, pericula in promptu
erant, nec tamen sententiã Nautę ferunt & causam rei Vatis expediunt, tamdiù im-
Ionæ. 1. 12. morantur, donec idem ipse reus iudex sui effectus in se iudicium ferat. *Tollite me*
& mittite in mare, & cessabit mare a vobis: scio enim ego, quoniam propter me tem-
pestas hæc grandis venit super vos; ad hæc adhuc ipsi cunctantur, donec vt Deo
pareant, omniumque saluti prospiciant, perdere vnum statuunt marinis flu-
ctibus absorbendum. Vides, quàm longè à festinatis consilijs futuri nos simus,
& tumultuaria judicia effugere teneamur; nulla discrimina, incommoda nulla
nos cogunt, & frequenter experti ipsi sumus, quàm calamitosè, & improsperè
ea nobis eueniant, quæ tumultuariò, & celeritate magistrâ operamur; saluber-
rimum igitur consilium illud fuit, quo Rhotomagensem Antistitem Diuus Ber-
D. Bernar. epist. 75. nardus instruxit. *Vigor iustitiæ semper feruidus; sed nunquam præceps: non enim*
omne quod licet, statim expedit; Lyncem imitemur, qui lentè, & cautè pro-
cedit. C

In quâdam è meis decisionibus ea memini me scribere, quæ insignis Iurispe-
Auctor in decis. 109. n. 5. p. 2. ritus Præsuli cuidam pronunciauit, vt scilicet tardè diligenterque omnia sibi fa-
cienda discuteret, ne vel ea immutare cogeretur, vel supremis á Tribunalibus
abrogarentur, non sine ingenti suæ famæ iacturà, suique gradus Episcopalis
ignominià: ad quam rem decretalem epistolam commendatissimi semper Pon-
tificis Innocentij Tertij recito ad Vercellensem Præsulem, & Tileti Abbatem
Delegatos Apostolicos in Nouariensem Præsulem scriptam: nostræ huic scri-
ptioni accommodata adeò hæc est, vt abstinere non valeam, quin eius partem hic
c. qualiter i. 1. de actus l attexam. *Si Contra Nouariensem Episcopum debitum inquisitionis ordinem ob-*
seruastis, discretionem vestram in Domino commendamus: si verò qualibet oc-
casione prætermisistis, eundem adhuc ipsum tempore opportuno volumus obser-
uari: ne inde nascantur iniuriæ, vnde iura nascuntur. Ideoque mandamus,
quatenus ad conscientiæ vestræ iudicium recurrentes, si contra præscriptum or-
dinem tanquam homines excessistis, non pudeat vos errorem vestrum corrigere,
qui positi estis, vt aliorum corrigatis errores: quoniam apud iudicium districtum
in quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis: ita videlicet, vt inueniatis D
occasionem aliquam congruentem, per quàm ne vestra vilescat auctoritas, quantò
cautiùs, & prudentiùs poteritis, supersedeatis ad præsens: quoniam ex his, quæ in-
ordinatè sunt acta, non potest ordinabiliter agi.

Nihil

A Nihil ab Episcopo statuendum vel præcipiendum, donec iracundià teneatur, Cap. XXV.

ALTERVM in præsenti prudentię inimicum damus, & aliā iustitiæ honestatisque Charybdim aperimus: furor hęc est. Pastoralis mansuetudo huius armis extinguitur, & sacra dignitas à nobis huius obstaculo remouetur; inter eas enim dotes, quas in Antistite Paulus efflagitat, ea pariter enumeratur, ne sit iracundus, *Non iracundum*, vbi D. Hieronymus asserit, nihil iracundo Antistite inhonestius & fędius dari; Osius autem celeberrimum suæ ætatis oraculum, & plurium (Tit. 1. 7.)
B conciliorum interpres in Sardiniensi Synodo ait, *Non conuenit, vt Episcopus sit iracundus, qui facilè animi grauiore motu, & perturbatione concitetur.* Cum à D. Isidoro Pelusiotá Pręsul Heraclines Sacerdotalis indumenti, quod rationale vocatur, & ad pectus supremum Sacerdos gestabat, explicationem poposcisset, pius ille, & æquè sapiens Asceta respondit, rationis templum & delubrum illud esse, quo sacerdotis pectus ornabatur, *quia ira & cupiditati rationem, aurigæ in modum, insidere oportebat.* In Episcopi potissimùm pectore, cupiditatis, & iracundiæ motus compescere ratio debet, instar aurigæ: Sapientèr igitur Plato de iracundis loquens ait, peraptos quidem satis eos ad scientias addiscendas esse, sed ad Reipublicæ regimen prorsus inutiles; an alienos mores componere possit, & populorum licentiam moderari, qui sibi ipsi imperare non valet, suosque motus edomare? Iuxta hæc, lepida simul & prudens Anthiochi Sophistæ responsio fuit apud Philostratum, illis habita, qui rationem ab eo sciscitabantur, qua publica munera detrectaret. *Non vos metui, sed me ipsum*; sic ipse suis ipsis viribus non (D Hieron. ibid. Conc. Sard. can. 14. D Isidor. Pelus. l. 3. epist. 10. Plato. Philostr. in Sophis.)
C credebat, nec aptum se ad alios moderandos arbitrabatur, qui se ipsum suamque iracundiam moderari nesciret.

Ex alijs laudibus, quibus Diuum Martinum Turonensem Præsulem Seuerus Sulpitius exornat, nulli secunda illa est, *quòd nemo vnquam Martinum vidit iratum.* Diuini Spiritus sedes Episcopi pectus est; quem ergo ibi locum nancisci poterit iracundia, quæ iuxtà Procopij mentem in sacris paginis Dæmon appellatur; Profectò *voluntarius Dæmon*, Diuo Chrysostomo ira vocatur; quis autem sibi suadere possit, quod pijssimo zeli ardore ducatur Antistes, si charactere igneo scripta iracundia exardescit in vultu? quis inficietur, non ad curanda vulnera ex amore procedere, sed è cruciandi potiùs voluptate? an vitium alterius vitij medicamine abolere ipse contendet? corrigendus haud populus est eo ipso, quo qui corripit, videtur corrigendus; *Dum iusto amplius irascimur, & volumus coërcere pecc⸗tum, grauiora peccata committimus.* Sic Ambrosius. (Seuer. Sulp. dial. 1. Procop. in l. 2. Reg. 24. D Chrys. serm. 46. de diuers. D. Ambr. l. de Ioseph. c. 13.)

Nec mea mens est, vt sensu omni Episcopum spolians inter Stoicos eum velim cooptare. Ineptum fuit hoc Zenonis inuentum paginâ facilius imprimendum, quàm opere exprimendum, sermoni potiùs quàm moribus accomodatum, non
D ad homines, sed ad stipites componendos aptissimum, demùm, vt cum Aristotele loquar, dementium potius, quam prudentum auribus imbibendum. *Qui non irascitur pro quibus oportet, & vt oportet, & in quos oportet, is procul dubio fatuus & stupidus est*: quæ sententia omnium vniuersim calculo comprobatur: Ira, quæ tempori locoque accommodetur, rationis amplificatrix, & comes à Theodoreto appellatur, virtutis instrumentum à Diuo Gregorio, magnorum operum administra à Diuo Basilio, custos consilij, & fomes ab Isidoro Pelusiota: adeò vt inter alias explicationes, quibus eum Psalmi versiculum nonnulli exornant, *Irascimini, & nolite peccare*, suum etiam ista locum habet, *Irascimini, vt non peccetis*; cum interdum irasci teneamur, non tantùm vt vitiosos nostri animi motus subigamus, sed etiam vt alienos moderemur, vel vt diuinam violatam maiestatem tueamur, vel sontes punientes ad virtutis viam eos reuocemus (de quo (Arist. 4 Eth. c. 6. Theodor. l. 5. de fidel. Pelusiot. l. 3. epist. 331. D. Gregor moral. c. 30. Psal. 4 5.)

D. Isid. Pel. l. 2. ep. 239. satis iam egimus) vel ad inopes, & destitutos adiuuandos (de quo inferiùs agitur) sed accipe Pelusiotæ sermonem: *licet enim etiam vtiliter irasci, cum id vel ob Dei gloriam fit, vel ob eos, quibus iniuria infertur, vel vt proximi ad meliorem mentem reuocentur*: nam vt plurimis coaceruatis exemplis ab eo probatur, *Diuinum oraculum non simpliciter irasci, sed frustrà ac temerè vetuit*. Quanta sanè rerum pernicies, & pietatis quantum excidium, si torpescerent adeò, & gelascerent Præsules, vt vim nullam haberent, quam ad Numinis gloriam tuendam, eiusque iniurias vlciscendas exercerent. Actum de pietate esset, nec vitiorum licentia, scelerumque atrogantia coërceri plectique posset, si moderatus, & magnanimus furor deesset, quo ipsemet Deus ad mundi regimen sapientiùs administrandum Lactan. de ira c. 17. obarmatur. Hinc Firmianus Lactantius egregiè pronuociauit: *Ira, quæ ad correctionem vitiorum pertinet, nec homini adimi debet, nec Deo potest, quia vtilis est rebus humanis, & necessaria*. A

§. I. B

Difficultas sola versatur, vt á peccante peccatum distinguatur, & crimen à criminoso; in crimen enim irasci virtutis est; at vitium in criminosum. In fine æquè ac in medijs quàm plurimi decipiuntur, & debitum ordinem confundentes non in delictum, sed in delinquentem supplicio vibrato collimant; illud quin asserendum mihi videtur, ne quidem in culpam pœnam designandum esse, sed in emendationem; hanc optat, & intendit charitas, quà populorum saluti prospicimus, vt ad bonam frugem viuendi accuratà disciplinâ ea aboleantur crimina, quibus tùm Dei, tàm Præsulum benignitas violatur. Cassiod. l. 1. ep. 31. *Benigni Principis non tàm delicta velle punire, quàm tollere*, sic Cassiodorus, qui forsan id hausit Senec. l. 1. de ira c. 16 è Seneca, *Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur*.

Duo iracundiæ genera Diuus Gregorius expendit; impatientiæ aliud, aliud zeli proles est; vitium illud, virtus hoc est; commendandum hoc, illud exprobrandum; non ad sananda, sed ad infligenda vulnera manum illud exhibens non charitatem seruat, at destruit; hoc verò Præsulum pietati maximè accommodatur, ex amore, quo fertur ad commodum populorum. D. Gregor. hom. 17. in Euang. *Ira enim Sacerdotis nequaquam debet esse praeceps, & perturbata, sed magis ex consilio grauitate metuenda*. C

Hinc collige, quàm circumspectè, & cautè agendum Præsuli sit, in suis statuendis consilijs, & multò magis in exercendis, dum vel è Numinis honore contempto, vel è suæ dignitatis authoritate neglectâ, ad iram excitatur æstuque iracundo feruescit; tunc enim maximè periclitatur, ne non in delictum, sed in delinquentem sæuiat, maiorique crimine se implicet, eò quòd vellet alios ab eodem explicare.

Stobæ. ser. 18. Ira enim (ad Aristotelis mentem apud Stobæum) mentis iubar caligine tetrâ perfundit, eâque ratione animum obfuscat, qua pupillas fumus excæcat; cęcus Illyad. 1. etiam hæc vidit Homerus, mentem irâ perturbatam appellans, *atrum animum*. Spectantis imaginem turbat fontis vnda, non refert, & nubibus per Cæli vias fluctuantibus Solis lumen extinguitur; perdoctè Augustinus hęc explicauit, Amos Amos. 8. 9. fortè vaticinium indicans, *Occidit Sol in meridie*: cum enim iracundiâ rationis Sol occideret, & turbulentâ caligine inuoluatur, de suis stultitijs non erubescet, & statutis facilè discedet à legibus; hoc expertus in se abundè fuit Regius Vates, Psal. 30. 10. D. Hieron. ibid. seque de eo humillimè obiurgans ait, *Conturbatus in ira oculus meus*, legit D. Hieronymus, *Obtenebratus est oculus meus*. D

Quem autem latet, quòd si ratio caligauerit, & progredi adhuc voluerit, in lapidem necessariò offensionis impingat? quî rectum à prauo distinguat, quod tenebris ingentibus implicatur? ni tamen dicere velimus, has tenebras illis comparari nubibus, quæ ad nostros oculos illudendos Iridi se obijciunt colorandos: ira plerumque clarum quoddam subfulcum est, quo Iudicum, & Præfectorum visus grandescit; perspicilijs illis adsimilem eam dixeris, quæ ad cuspidis adamantinę more elaborata, obiectę rei species adeò multiplicant, vt aureus vnus

mensæ

mensæ impositus thesaurus videatur. Iracundiæ vi mirum in modum delicta
A grandescunt, & ampliori formâ ea circumuestiens ad supplicia maiora iniquè procedit, *Vt enim per nebulam corpora, sic per iram res videntur maiores,* sic Plutarchus. Vt verò sedatus animus fuerit, gigantæa illa simulachra euanescunt, & pusillâ pygmæorum specie induta non sine animi dolore contemnuntur, adeò vt nosmet ipsos damnantes iracundiam nostram violentam eorum suppliciorum authricem increpamus: quis enim eam esse violentiam inficietur, qua rationem in nobis dominantem è suo solio deturbat ira, & tanquam sui vile mancipium ad sui arbitrium rapit & trahit? ancillæ potiùs locum sibi iracundia vsurpet, & se rationi subijciens eius mandata perquirat & seruet, ea reis supplicia adscribens, quæ placido rationis imperio decernuntur; do Gregorium. *Ira enim in vindictam malorum sequi debet rationem animi, non praire, vt quasi ancilla iustitiæ post tergum veniat, & non lasciua ante faciem prorumpat.* Plutar. de ira Choib. D.Greg. l. 8. epist. 51.

Miraculi igitur loco esset, si inter iracundiæ flammas magisterio furoris elaboratum consilium, & turbato exacerbatoque animo genitum, faustum
B exitum sortiretur, & Astreæ, & quod difficiliùs est, Sanctuarij lancibus consonaret.

Nemo iratus quicquam rectè deliberat.

Sic Græcus Euripides, cui pariter concinit Menander, Eurpid. Menander.

Omnia, quæ iratus agit,

Errata postmodum intelliges.

Rationem si quæsietis, dabo; cum enim res à statu suo longè alienas iracundia reddat & videat, fieri non potest, vt quę perfectâ cognitione non assequitur, absq; errore exequi valeat: sed alium rursus è Græciâ sapientem audi. *Nihil quicquam homo iratus rectè potest agnoscere.* Antiphon.

§. II.

C E Plutarchi mente fascibus vna cum securi adstrictis, quos sibi Prætores præferebant, docebantur illi, ne vllum vnquam de reis plectendis consilium capesserent, nisi priùs ex opportunitate fasces illos soluendi lentè & maturè futuram operam discussissent. Insanus profectò esset, si quis sæuiente adhuc & insolescente procellis Oceano, è portu soluens se illi committeret: tranquillitatem potius eius expectet, ne vi tempestatis in transuersum actus, vel scopulis illisus adhæreat, vel vndis euoretur: eâdem dicendus insaniâ laborare, qui adhùc iracundiâ feruidus regiminis clauum moderandum suscipiat, ne limites æquitatis egressus, eò furoris impetu feratur, quò nullum rectitudinis lumen elucet: Romanum Oratorem lectori hic dabo: *Prohibenda est maximè ira in puniendo; nunquam enim iratus, qui accedit ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium, & parum: cauendum est igitur, ne maior sit ira, quàm culpa.* Plut. in qq. Rom. q. 82. Cic l. 1. de offic.

In suo igitur exordio retundenda ira est; in hoc enim præclarissimum habetur trophœum, quod de nostris immoderatis cupiditatibus referemus: nullum hoc
D illustrius Romanum vnquam Capitolium vidit, ipsumque Cęli theatrum nullum hoc gratius spectaculum habuit. Spectatissimus hac in re fuit Diuus Gregorius Nazianzenus, quem ideò egregiè commendauit suus pietate simul, & sapientiâ clarissimus filius; nec enim tàm facilè solari radio circumfusæ nebulæ dissiciuntur, vt pijssimus ille Præsul prima iræ tentamenta dissipabat. Si verò iracundiam compescere non valeamus, ad tempus illud tùm consilia, tùm supplicia differamus, vt ea sedato, pacatoque animo posteà pariamus: Sic certè Leontium Consularem virum Diuus Gregorius instruxit. *Quoties ira animum inuadit, mentem edoma, vince te ipsum, differ tempus furoris, & cum tranquilla mens fuerit, quod places vindica.* Quin egregiè hoc ipsum exercuit Tarentinus Archiras, vt è Valerio Maximo, & Tullio habemus: hic enim è Pythagoræ palestrâ, cui diù vacauerat, patrias ædes reuersus, cum sui famuli desidiâ inculta, & squallentia D.Gregor. Nazia. orat. 19. D.Gregor. l. 8. epist. 51. Cic. 4 Tusc. Vel. max. l. 4. c. 1.

sua

Plutar. de his, qui serò à num. pun.

sua prædia repetiisset, in eum iratus, sonorè inquit, te fustigarem nisi irascerer. *Maluit enim impunitum dimittere, quàm propter iram grauiùs iusto punire*. sic Valerius; his etiam Plutarchus addit, quòd Plato furoris impetu in seruum suum actus, baculum arripiens, suspensus diù baculo hæsit, illa adstantibus ingeminas, *meam iram ipse nunc verbero*. A

Cùm immatura Alexandri Magni mors celeri famę voce delata Athenas peruenit, Athenienses, vt recuperatæ libertati plauderent, festiuis vocibus epinicia cantare meditabantur: incommoda hæc gaudia refrœnauit Sapientissimus Phocion, ex metu, quo tenebatur, ne de tanti Ducis obitu fama mentiretur; quapropter ne de modicâ credendi facilitate argui possent, vt lentè in re tanti ponderis procederent, eos admonuit, cum è nimiâ celeritate ingens in eos excidium posset impendere, omnemque securitatem seruata tarditas daret; si petijt Alexander (sic ille breui simul ac solidè) cras quoque & postridiè mortuus remanebit: ad ea, quæ præ manibus habemus, accomodat hæc egregiè Plutarchus hoc stylo. *Sic arbitror, eum, qui ad capiendum supplicium properat iratus, debere sibi subijcere: si hodiè iste meruit pœnam, etiam cras erit, & perendie in noxâ: neque in eo mali quicquam est, si seriùs luit flagitium, sed si celeriter punitur perpetuò videatur, insons, quod sæpè quidem numero accidit*. Sanè admonitionis huius robur, & vim vnusquisque moderator sibi vtilissimum, vt reor, approbauerit; mihi certè experientiâ liquet, omnia illa consilia, quæ iratus accepi, reuocanda mihi non sine animi dolore fuisse. Ea hic collocanda arbitror, quæ de Athenodoto Philosopho memorantur; pudebat hunc, se iam canitie vndique albicantem aulicis adhùc artibus vacare, & cùm, quod super erat vitæ tempus, sibi tantùm tranquillè viuere meditaretur, à Cæsare digrediens in sui monumentum obsequij, hanc illi se dignam sententiam pronunciauit: *Cæsar cum iratus fueris, ne quid dixeris, feceriſuè priusquam literas quatuor, & viginti apud te recensueris*. Gauisus adeò adhæc Augustus fuit, vt dextrâ eius arreptâ responderit. *Adhuc mihi te præsente est opus*; sibique per annum socium in aulâ seruauit. B

Quàm libenter hæc ex Ethnicis viris exempla petita congessi, vt validiùs ijs ad opus tàm laudabile excitaremur; quàm enim fœdum esset, si vbi de virtute agitur, nobis superstitiosi viri præcellerent: Cæterum è prophanâ litteraturâ nobis hæc addiscenda non sunt, qui Diuinam Sapientiam habemus, se ipsam nobis ideam, & exemplar imitandum obiectat; ipsa enim est, quæ Diuo Cypriano authore, *cum habeat in potestate vindictam, mauult diù tenere patientiam*; quis vnquàm eo magis liber, & absolutus in Imperio fuit? quis eo magis à quocumque errore erroriſque discrimine alienus? quis eo placidior, & mitior? adhuc tamen ad nostrum documentum lentus videtur & tardus, ac si furorem suum velit tarditate compescere: in Caino hoc præsertim Diuus Ambrosius expedit, ad cuius supplicium lento Deus gradu processit, vt terræ iudices instrueret, non dandum esse locum supplicijs, cum adhùc iræ locus est: facilè namque etiam in insontem sæuire posset furor, vel saltem debitos æquitati fines excedere. *Diuina autem sententia prouidentia huiusmodi est, vt magnanimitatè, & patientiam doceret iudices, ne quis præproperè raperetur studio vindicta, & ipsa deliberationis immaturitatè puniret innoxium, aut pœnam acerbaret irati*. Sic Ambrosius. C

D.Cyprian. l.de Patien.

D.Ambr. l. de Cain, & Abel c. vlt.

Responsum etiam his elegantissimus Chrysologus accommodat, quo Deus Abraham referens, diuitem Epulonẽ fuit allocutus, *fili recepisti bona in vita tuâ*, vides vt filium eum appellet, quem cruciatuum æternitas deuorauit, Dœmonum socium, Satanæ commilitonem, hostem Diuinitatis? addiscas ex hoc velim, ne in æternis quidem supplicijs inferendis, vllam in Deo dari sedem iracundiæ. *Voce filium, vt intelligas iudicij esse, quod pateris, non furoris*. D

Luc. 16. 25

D.Chrisol. serm.

Ad prophanam iterum litteraturam hic vocor; ingens enim mihi religio esset, si omitterem, ipsismet philosophis leuissimo suæ philosophiæ lumine adiutis sacra hæc Diuinæ legis arcana innotuisse; non alia de causâ oculos nobis lucidissimos Deum tradidisse docuit apud Plutarchum Plato, nisi quia côncionum, & constantem Cælorum syderumque motum ipsis inspectantes, in incompositos animi motus nostram voluntatem obarmaremus; cùm nihil pretiosius, & excelsius

Plutarc. de his qui serò à num. pun.

celsius fortiri nos hic valeamus, quàm vt ad Diuinæ pulchritudinis, & bonitatis
A exemplar nostros mores accommodemus; his addit, quod vllo absque erroris discrimine celerrime humana scelera possit Deus vlcisci, moras tamen producit, vt ad eius exemplum placidâ tantùm mente in peccantes pœnas exeramus.

Si ergo Ethnici viri ignotum sibi Deum hac in re imitari studebant; oculosque in tàm excelsâ luce defigere, si in composito syderum motu, & consonâ cęlestium orbium conuersione, consonantiam sibi morum seruandam addiscebant, si diuinis è legibus eas sibi leges aptabant, quibus ad rectum populorum regimen componere se debebant, quàm enixè, quàm constanter Christianis hæc viris exercenda sunt; quàm impensè vires omnes intendat Episcopus, non Dei tantùm cultor, sed minister, sed interpres, sed legatus? Principum etiam hic libens exempla prætereo, qui non tantùm ab inferendis suppliciis irâ æstuantes abstinebant, sed ipsammet iram iugulantes benigniorem tunc clementiam præferebant. Quàm meritò igitur ad Theodosij nomen æternitati consecrandum
B suæ vim eloquentiæ explicauit Ambrosius; Tantus enim Cæsar *Tunc propior erat venia, cum fuisset commotio maior iracundia: prærogatiua ignoscendi erat, indignatum fuisse, & optabatur in eo, quòd in alys timebatur, vt irasceretur*. O suauissimum Deo spectaculum; Cæsarem videre erat in iram velut in stygiam Amazonem assurgere, eiusque ferociam Cæsareo gressu calcare; eam vincebat, quâ palmarum illustrissimi viri, triumphisque clarissimi Alexandri, & Achilles vincebantur; sanè non tam ex imperij fastigio, quàm è furoris victoriâ lauro ipse Cæsareâ ornabatur. Populorum beneuolentia & amor his artibus comparatur, vt ad Constantium Mediolanensem Antistitem Diuus Gregorius scripsit; quietem in ipsomet æstu seruare, miscescere inter supplicia, iraque impetum dominari.

D. Ambrof. ora. de obit. Theodosij.

D. Greg. l. 3. epist. 1.

C

§. III.

VErùm, quià iræ hora tenebrarum est, nec licet studium omne impendamus, eius insidias fugere valemus, eiusque fraudes, quibus nos implicare conatur exoluere, vt eius veneficia euitemus, quibus longè sibi ipsis diuersas res nobis obiectat; consilio adhæreamus, quo sanctissimus ille magister & Pontifex Guidescalcum Campaniæ Ducem instituit his verbis. *Restringenda ergo sub ratione potestas est, nec quicquam agendum priusquàm concitata ad tranquillitatem mens redeat: Nam commotionis tempore, iustum omne putat ira quod fecerit.*

D. Greg. l. 8. epist. 12.

Ex animo sanè, qui iracundia turbetur, nihil expectes velim ad æquitatis, & probitatis normam compositum, iuxta illud Chrysostomi, *nihil potest emanare sani, vnde ira procedit*.

D. Chryf. hom. 30. ad pop.

Quod autem difficile magis magisque necessarium est, non consilia tantùm, cum irascitur, opportuniori tempore seruanda sunt, sed ipse etiam sermo coërcendus, ne iniraeundas, & præferuidas voces erumpat. Miseram sanè Antistitum conditionem? hi enim cum frequenter ad iram, nec raro violentèr irritentur,
D eos linguæ coguntur frenos imponere, quibus affectionem, quâ cor incalescit, aperire non valet: quæcumque enim leuissima vox censoriæ virgæ subijcitur, venditatur in foro, per triuia vagatur, & ità excipitur, ac si non animus iustè turbatus eam conceperit, at placida tranquillaque mens genuerit; nec leuis ea adeò vnquam est, vt contemptus simul, & cum ingnominia audientibus videatur: quod tamen tolerandum minimè videtur; ex vnâ voculâ, quam interdum primus irascendi ardor incogitantèr effuderit, totius nostræ vitæ forma libratur.

Inter Diui Salesij Gebennensis Antistitis gesta illud legere memini; quòd cum de Presbytero quodam secularis vir conquereretur, postquam in eum turpissima quæcumque effutierit, ex eius Presbyteri contumelijs ad eas progressus est, quibus lythurgos omnes & mystas inuadebat, illud demùm asserens nullum è sacris viris

Giarda in eius vita p. 3. c. 14.

viris dari aliquâ in re æstimandum: immotus ad hæc pijssimus Antistes adhæsit: vnam ne quidem voculam referens: miratus hoc fuit ex illis quidam, qui acerbissimè passus eam arrogantiam fuerat; eique dixit sibi animo fuisse, quòd ad effusam illam loquendi licentiam refrœnandam, suæque potestatis vim exercendam, validè illum correpturus fuisset: ne mireris, sic Salesius, illud ego statui, quod iratus à sermone prorsus abstineam, vt nunc temporis sui, sed si Deo placuerit, correctionem illi habendam non abolemus, at protelamus: ad cuius voces supplex ille ad pedes aduolutus est, veniam de verborum effrœni licentiâ poscens, quam pijssimè impetrauit. Aliás pariter nonnullis, qui eum vrgebant, vt quorumdam inurbanitates ea, quâ par erat, acerbitate mulctaret; an respondit ea vobis mens est, vt vnico temporis quadrante, eâ me clementiâ spoliem, quam viginti duorum annorum intercapedine laboriosissimè indui? A

Quia autem, quæ hùc vsque diximus, quò magis necessaria, eò etiam magis difficilia sunt vt exequamur, eò quod validissima ea tyrannis sit, quâ in nos tùm furor, tùm subiti & inopinati motus dominantur, opus ideò est, vt assiduis precibus Dei clementiam fatigemus, ne in tam lubrico, & præcipiti calle in transuersum nos furor abripiat: ipsemet cœcus Homerus hæc inspexit; hic enim Mineruam sapientiç Deam describit Achillis iracundiam in Agamemnonem frequentissimè assurgentem, blandis artibus lenientem & blandientem; quod ille commentitiæ suæ Mineruæ tribuit, Diuina in nobis Sapientia perficiet, si studiosè eius opem appellauerimus. Quòd si Pericles, cuius regimine quadraginta annorum spatio Atheniensis Respublica fuit administrata, quotiescumque concionē populo dicturus suggesto assidebat, superstitiosa Numina inuocabat, nè verbulum aliquod incompositum, & imprudens eius ex ore laberetur; quantò magis diuinum nobis auxilium precibus ardentissimis parandum nobis erit, ne non in loquendo tantùm, sed in operando, & in iustitiâ præsertim administrandâ vel leuitèr deficiamus; quod vtique accidet, cum vel imprudentiâ vel iracundiâ noster animus obruetur. B

C

Occultis delationibus non facilè fidem ab Episcopo adhibendam, nec suspicionem vllam de subditis habendam, Cap. XXVI.

MOLESTUM enim verò est, quòd cùm plurima ad Præsulum aures non perueniant, quæ cùm vera sint, ad perfectum Reipublicæ regimen saluberrima essent: innumera postea eis afferantur, quæ cum falsa & mendacia sint, æquitati perniciosa maximè sunt, si facilem ijs fidem Præsul habuerit; fatale malum est, vt susurronum insidijs magnatum fores obsideantur, qui zelum & fidem prætexentes Præsulis operam ad suas cupiditates explendas adhibent, suamque magnitudinem alienis casibus moliuntur; vt sua hi vitia obnubant, vitia inferre probis ipsis non formidant, eum imitari de quo Tacitus. *Criminando, quod facillimum factu est, prauus, & callidus, bonos, & modestos anteibat.* D

Tacit. l. 1. histor.

Tâm probè autem mendacium colorare, & ipsam venustare turpitudinem hi conantur, vt facillimè non oculos tantùm, sed mentem etiam auditorum fallant, & fascinent: Aegyptios hi Magos exprimunt, qui Aaronicam Virgam in serpentem immutatam spectantes etiam ipsi per incantationes, e Chaldæo habes per *mussitationes*, vel *insusurrationes* suas virgas serpentum specie induerunt: licet enim serpentes non essent, suis tamen præstigijs alienos oculos tàm validè occuparunt, vt cum adhuc virgæ essent, sibi serpentes viderentur; adeò vt eodem planè stylo de Magorum virgis ac de Aaronis virgâ; vt Diuus Augustinus expendit, sacra scriptura loquatur: huiusmodi susurronum artes hìc affabrè describuntur,

Exod. 7. 12.

D Augus. quæst. 21. in Exod.

buntur; suis namque mussitationibus ipsammet improbitatem, vt improbam, & A criminosam colorant.

Atque vtinam, vt frequenter horum sermonibus Præsulum aures obstruerentur, & fascinum reijcerent, quo piorum virorum nomen, & innocentia maculatur, & fordet: quamobrem in Timotheo Episcopos omnes Diuus Paulus informans, quàm maximè cautos eos in querelis excipiendis efflagitat, quibus Presbyteri postulantur. *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*; allatâ hæc ratione Dionysius Carthusianus confirmat; cum enim ea ætate alios Presbyteri castigarent, permolti scatebant, qui eorum probitati insidiarentur: idem etiam in suis constitutionibus apud D. Clementem Apostoli præscripsere ex hoc titulo: *Multi enim sunt, qui alienis malis delectantur, homines linguâ præcipiti, & triplici perforata, habentes odium in fratres, quorum studium est dispergere oues Christi.* Clem. Apost. l. 2. c. 11.

Verùm tepescente in dies diuinâ charitate, magisque se humanâ improbitate B porrigente, Canonem Syluester Secundus statuit, quo præcepit, *vt Præsul non damnetur nisi septuaginta duobus testibus, Presbyter autem Cardinalis non nisi quadraginta quatuor testibus, Diaconus non nisi viginti octo, Subdiaconus, Acolitus, Exorcista, Lector, Hostiarius, nisi cum septem testibus non condemnetur*: c. Præsul. 2. q. 2. intimè ea me ratio cruciat, quam addit, *quia tales in Ecclesiâ institui debent, quorum sanctitati plus credatur, quam multis testibus.*

Leuis animi est imprudentisque consilij alienis narrationibus credulas aures exhibere; quid aliud hoc est, quàm sui animi perturbationes fouere, improborum licentiam alere, dissensionibus & rixis domum & Diœcesim implere, suam denique famam obruere? *Qui citò credit, leuis est corde, & minorabitur*, hoe est Eccl. 19. 40. in sui boni nominis opinione: mihi certè Antistes apprimè cognitus est, qui ex Tertul. in compend. Hist. l. 8. facilitate fidei, quam alienis sermonibus dabat, infœlicissimus euasit, seque deridendum tum in sua Episcopali vrbe, tum in aulâ Romanâ diutiùs dedit.

Maximè quidem ex hac credendi facilitate sui gloriam nominis clarissimus C Constantinus Cæsar obscurauit; Episcopalis animi dotibus, quas in Principibus, & Magistratibus Diuus Ambrosius exigit, & recenset, illa etiam additur, *& præ omnibus non facilè, neque sine exploratione credere delationibus.* D. Athanas. in qq. 5. q. 119.

Tot anfractus, & recessus Mæander habet, quot isti artibus vtuntur ad beneuolentiam sibi Principum comparandum, eorumque fauorem integrè occupandum, vel vt eorum sibi obsequium concilient, qui eius præpotentiam in aulâ inspectant, vel ad alicuius æmuli vim profligandam; Principis vel Præsulis aurea obsident, suum Zelum in magnificandâ Principis gloriâ ostentant, molestiam ampullatis vocibus iactant, qua cruciantur, dum illis eum carere obsequijs vident, quibus esset deuorandus, eamque illis obedientiam denegari, quæ alijs vltrò præstatur: priuatas cogitationes suas, & publicas exprimunt, ac illud insinuantes, quòd hoc vel illud esset vrbi toti pergratum; nullo nomine obsignatas epistolas frequenter ad eos mittunt, vt eorum mentem suspicionibus obruant, & falsis interdum vera miscentes, oraculi Delphici instar suis mendacijs meditantur pondus addere veritatis. Si ergò tam versipelles viri in tenuem ineptumque Præsulem incurrerint, qui eorum mendacijs personam detrahere non valeat, sibique fi-D dos & genuinos esse amicos existiment, an non frequentissimis curis eos irretiunt, & repetitis in dies aculeis eorum aures animumque perpungent? Profectò ait Diuus Hieronymus. *Nihil tam inquietat animum, nihil est, quod ita mobilem mentem, ac leuem faciat, quam facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi.* D. Hieron. vel Paulin epist. 14. ad Celantiam.

Atque vtinam, vt in huiusmodi subdolas vulpes non interdum Præsules, & Principes inciderent! eorum sanè sermonea suâ auiditate pruriunt, eorum delationes bibulis auribus excipiunt, & nimiâ aliquandò facilitate improbas eorum cogitationes exequuntur, adeo vt ad Eugenium Tertium scribere non dubitauerit Diuus Bernardus, quòd inter eximios Præsules recensendus ipse esset, ni tali errore implicaretur. *Est item vitium, cuius si te immunem senties, inter omnes, quos noui ex his, qui cathedras ascenderunt, sedebis, me iudice, solitarius: quia vera-* Bernard. de consid. l. 2. l. fin.

citer, fingulariterque leuasti te supra te, iuxtà Prophetam: facilitas credulitatis
hac est, cuius callidissima vulpecula magnorum neminem comperi satis cauisse ver- A
sutias.

Quis Dauide iustior! hic tamen à nimiâ fide inconfideratè Sibæ vrbis exhi-
bitâ Miphiboseth innocentiam profligauit; inter mendacis viri disseminata zi-
zania tota eius integritas miserrimè periit. Ex hoc scopulo fortè, in quem im-
pactus naufragium passus fuerat, circumspectior ille factus & cautior, sui nauim
imperij eâ dexteritate gubernauit, vt in aliam postea partem declinans diceret.
Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar: nec enim se difficilem in
eius credendis susurrationibus se præstabat, sed eas à se longissimè reijciebat,
D. Chryf. hom. 42. in Genf.
quo titulo commendatissimus Diuo Chrysostomo fuit, cuius ista sunt. *Vidisti*
virtutis eminentiam? non solum non recipit quæ dicuntur, sed & abigit volentem
fratri suo maledicere; quod tamen in rebus ad forum contentiosum, vel ad bonum
regimen spectantibus commendandum non esset, vt scribetur interius.

Saphro in Prat. spirituali. c.105
Quis Agapito Pontifice illustrior & laudabilior; hic autem Rumeliensium Ci-
uium versutiâ deceptus, qui tanquam sacrilegii reum suum Episcopum postula- B
runt, facinoris atrocitate perturbatus, nullâ præmissâ eius excussione, Romam
eum aduocauit, & carceri dedit; Dei tamen consilio factum est, vt ter eius in-
nocentiam per somnium Pontifici Deus indicauerit, dixeritque, non ab alio in
Pontificio sacello posterâ Die Dominicâ sacrum incruentum habendum, quàm ab
eo Antistite, quem in carcere detinebat: Hinc Pontifex ad se protinus eum ac-
cersitum deque suæ vitæ moribus interrogans, hoc tantùm eius ab ore in respon-
sum excepit. *Peccator sum.* In prato etiam spirituali, quod summo pretio Se-
cunda Nycena Synodus habuit, Sophronius refert, quòd cum ad Pontificis to-
tiusque aulæ præsentiam sacram hostiam Deo litaret, oblationis formam quater
pronunciauerit, tum rogatus de hoc à Pontifice, responsum dedit. Parcat mihi
Sanctitas vestra, nec enim, vt mihi moris est, Diuinum elabentem spiritum è
Cælo vidi: vt igitur hoc obtineam, iussu Sanctitatis vestræ Diaconus ille ab al-
tari recedat qui flabellum gestat; nec enim meæ facultatis est vt eum repellam. C
Eo igitur Pontificis iussu abeunte, Episcopus simul & Pontifex Diuinum spiritum
illabentem videre: ad hæc altaris velum, ac si sensu, vitaque polleret, altari re-
licto, Pontificem, Episcopum, Diaconos trium horarum spatio obuelauit. His
artibus vsus Deus est, vt Agapito Pontifici captiui Episcopi Sanctitas inno-
tesceret, & accusatorum improbitas, & Pontificis in eis habendâ fide facilitas
damnaretur.

Quis Diuo Hilario Pontifice sapientior? hic tamen aliorum fraude deceptus in
Mamertum Viennensem Antistitem & sanctitate clarissimum suæ potestatis vires
iniquè conuertit. An non sapientissimus etiã Cardinalis Hildebrandus fuit, Diuiq;
Petri postea in Vaticanâ Sede successor? cum tamen versutijs hisce irretitum in-
D. Petrus Damian. 2. epist. 9.
fensum expertus satis est B. Petrus Damianus.

Prophana quid hic ego litterarum monumenta peruoluam; & innumera ex
ijs incommoda, calamitosissimasque catastrophes educam, quibus miserandum
suum nomen plurimi Principes effecere è nimiâ facilitate credendi? ingens sanè
mihi seges excolenda esset, si Præsulum etiam calamitates ex eâdem facilitate
sublatas, centuriare hic vellem: quò etiam innocentior Episcopus est, eò etiam D
magis deceptorijs huiusmodi artibus obijcitur; eodem enim amore, quo verita-
tem ipse prosequitur, alios etiam omnes credit incalescere; habes hæc à D. Am-
brosio. *Quia sanctis amica est veritas, mentiri neminem putant; fallere quid sit*
D. Ambr. l.3. de offic. c.10. c. quia 22. q.4.
ignorant, libenter credunt quod ipsi sunt; nec possunt suspectum habere quod non
sunt. Abstinere tamen hic non valeo, quin de spectatissimo semper, & memo-
rando præ omnibus viro Cardinali Bellarmino illud referam, quod ei, mea ad-
huc florente ætate, contigit. Difficilis admodum causa agebatur; vt aduersarij
famam alter è litigatoribus eleuaret, magnum quid in eius mores Cardinalis
auribus ingessit; vt eum à scelere insinuato reuocaret, admonuit eum pijssimus
Antistes: ad hæc ille palmarem sibi imponi calumniam affirmauit: ad Cardi-
nalis colloquium illi redeunti indicauit Bellarminus, commentitia ea omnia se

repe-

A reperisse, quæ in aduersarium suum tàm largus effuderat; ad hæc rogatus Cardinalis fuit, qui nam certiorem de hoc eum fecisset; Reus ipse, respondit, nec enim tam constanter suam mihi innocentiam approbasset, si verè ijs scelerum sordibus inquinaretur: hinc collige sanctis ęque ac improbis viris in more hoc esse, vt suamet mensurâ alios metiantur.

Verum quidem est, quód sicut ad sortis priuatæ viros spectat, vt ad aliorum calumnias loquentium voces suffocent, & obstruant ora; sic Principum virorum est, vt eos omnes libenter audiant, qui de rebus ad regiminis formam directis instituere sermonem meditantur; nec sanè adhùc certò mihi patet, qui nam ex his turpius peccet, vel qui faciles aures omnibus aperit, vel qui omnibus obstruit. Episcopo meo familiari hoc sanè accidit: cùm enim omnes, qui è suis Presbyteris aliquem postulabant, acerbè reijceret, audaciam illis tam immanem peccandi dedit: vt omnium essent flagitiosissimi; sed audi Senecæ monitum, *vtrumque vitium est, & omnibus credere, & nulli; sed alterum honestius dixerim* Senec. ep.3

B *vitium, alterum tutius*: & Senecam imitatus Diuus Bernardus hæc habet, *Nec omnibus credendum est, nec omnibus decredendum*. Vitiosum vtrumque est; si omnibus fidem habueris, simplex, si nulli, ceruicosus appellaris, vterque vt ineptus à regimine repellendus. D. Bernar. epist. 247.

Mihi sanè vt inuisa semper fuit lex Papæa, quæ largissima & opulenta delatoribus præmia statuebat, quam religiosè Tiberius seruans subditorum innocentiæ tranquillitatique insidiabatur; sic etiam eorum acerbitatem non probo, qui ne arcanam quidem admonitiunculam dignantur excipere; dum enim vel propriam turbare quietem recusant, in causâ sunt, vt quies virtuti tollatur, & impunè scelera insolescant Marci Antonini Pij mens commendanda mihi videtur, quâ delatores nec reijciebantur nec aduocabantur: Sicut enim vera aliorum crimina comprehendens, præmia illis largiebatur, sic acerbè eos mulctabat, si falsa; & commentitia reperisset, cui postea etiam Aurelius Cæsar adhæsit. Hoc autem cùm interdum nobis non liceat, saltem illud hinc addiscea- Tacit. l. 5. Sueton. in Tiber. c.68 Capitol. in eius vit. Euseb. Isto. Eccl. l. 4.

C mus, vt cautissimè in huiusmodi delationibus accipiendis procedamus: quod summoperè in suâ Decretali Epistolâ nobis Ioannes Pontifex commendauit his verbis. *Nos mala contra aliquem dicta nolumus prius credere, quàm probari.* Extrau. diuin. de pęn.

Primùm igitur in arcanis rebus inquirendis curiosus ne sit Antistes, nec eiusmodi delatores vultu blandus excipiat; si enim hoc ipse pręstiterit, non, multi deerunt, qui ad sui beneuolentiam sibi fouendam innumera ad eum deferant vel gestarum vel gerendarum rerum inuolucra: illis hæc verbis indicauit Salomon, *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios*: hi autem, magistro Plutarcho, maximè odiosos populis Principes suos efficiunt: Decius minor hoc primus inuexit, & Dionisij postea inter Syracusanos ciues disseminarunt; sed rerum conuersione factâ, deletisque per cædes, & vulnera Tyrannis omnibus, immanissimè fuere trucidati: *Calumniatorum enim genus è tribu & curia curiosorum est*. Nec sine dolore Tacitus refert, quòd cùm potius exploratores populis adeo perniciosi eijciendi ex vrbibus sint, præmijs potius aduocentur, & blandissimè excipiantur. *Sic delatores, genus hominum publico exi-* Prou. 29. Plutarc. de curiosit. Tacit. l.4. ann.

D *tio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coërcitum, per præmia alliciebantur*.

Præterea quò magis occultæ delationes sunt, & authorum nomina reticentur, eò magis suspiciosæ nobis sint. Epistolas hic ego prætereo, quæ nullo nomine obsignantur, quibus tantùm ad augendum vigilantiam vti debemus. De Niceta Patricio Surius refert, quòd cum Diuo Ioanni Eleemosinario Alexandrino Antistiti significaret, sibi aures delationibus exceptis plenas esse, responsum ei à pijssimo Hyerarcha fuerit, quòd si huiusmodi viris facilem ipse fidem adhiberet, ingenti se noxarum onere implicaret, & germanè de se ipso confessus vltró fuit, quod non absque ingenti aliorum angore suique dolore, multa ipse confecerit, è fide huiusmodi viris exhibitâ; quapropter imposterùm se ab illis cauere statuit, suspensoque animo se gerere, donec alterius partis rationes excepisset, demùm se illud delatoribus obtestari, quod si commentitios, & falsos eorum sermones Sur. in vit. S. Io. elem. 21. Ian.

reperiffet, talionis pœnâ fibi damnandos; his ille fapientiffimis artibus delatorum licentiam compefcuit, & extinxit. Similia ferè funt, quibus Ioannem Panormitanum Hyerarcham Diuus Gregorius inftruxit, vt è factis Canonibus habetur. *Si quid igitur de quocumque Clerico ad aures tuas peruenerit, quod te iuftè poffit offendere, facile non credas; nec ad vindictam te res accendat incognita: fed præfentibus fenioribus Ecclefiæ tuæ diligenter eft veritas perfcrutanda; & tunc fi qualitas rei popofcerit, canonica diftrictio culpam feriat delinquentis.* Expendas hîc velim, lector, quonam pacto caufæ agerentur, antequàm hominum improbitate glifcente, alia Pontificum, & Conciliorum legibus caufarum ratio inftitueretur. A

D.Greg.l.2 epift.52.c.fi quid.52.15.q.7.

Prudentiffimè etiam fe gerebat Agefilaus; cum enim aliquem vel laudibus vel vituperationibus affici audiret, non eorum mores, qui loquebantur, difcutiebat, fed eorum pariter de quibus fermonem habebant; ne enim decipiaris; libranda funt omnia; quâ de causâ ftudium omne collocet Antiftes neceffe eft in optimè fuorum fubditorum qualitate pernofcendâ.

1Reg.14.18 D.Gregor. ibid.

De Saule Diuus Gregorius animaduertit, quòd Philifthæorum clade acceptâ, & è fuis nullum alium defiderari agnofcens, quàm Ionatham eiufque armigerum; Achiæ tamen Sacerdoti præceperit, vt ad Domini Arcam fupplex accederet, ac fi de re fatis fibi certâ, certior tamen fieri poffet & vellet; quod rei de quâ agitur, magnus Præceptor accommodans ait. *Quod quidem a fummis Sacerdotibus benè fpiritualiter agitur, cum ea, quæ a relatoribus audiunt, non ante diiudicant, quam eorum rationem in concilio interna meditationis quærant.* B

Quint.Cur. l.3.

Magnanimum Alexandri Magni facinus illud fuit, quod è Curtio habetur: de Philippo fuo Medico fcripferat ad eum fidiffimus ipfique prædilectus Parmenio, quod cùm mille talentorum fpe corruptus à Dario effet, fuæque filiæ in matrimonium ei collocandæ, fuam nullatenus ei falutem committeret, medicafque ab eo potiones reijceret; oblatum tamen à Medico pharmacum dexterâ Dux Magnus excepit, finiftraque epiftolam ei legendam exhibuit, erumpentia indicia vultus obferuans. Nec ab Alexandri formidine longè Traianus abfceffit, cum Licinij Suræ confpirationem accepit. C

Fgn.l.1.c.7

An igitur adulterinis epiftolis, vel eorum fidei innitatur Antiftes, quorum mores, & cogitationes non apprimè internofcat? charitatis enim etiam munus eft, vt abfentis partes geramus, fidem fufpendamus, finiftramque opinionem reijciamus, donec valida ad id nobis fuppetant argumenta; ex ipfomet Ethnico Philofopho hæc habes. *Itaque agenda eft contra fe caufa abfentis, & in fufpenfo tra retinenda.*

Senec. l. 2. de ira c.23.

Quin Deus ipfe hoc idem fatis nobis edocuit, cùm in Babelis turri extollenda infanè Gigantum filij elaborarent, fe cæleftì è folio defcendere fignificauit, vt de tanti facinoris veritate fidem fibi proprijs oculis daret. *Defcendit autem Dominus vt videret Ciuitatem & Turrim, quam ædificauerant filij Adam.* Quis nefciat Dei immenfitate omnia occupari; & hanc terrarum vniuerfitatem ad eius afpectum eam pufillitatem præferre, quam ad Solis radios atomus præfert! quis nefciat omnia medullitùs Diuinæ cognitionis acie inuadi, nec tantùm præfentia, fed futura, & quæ fieri poffunt abfolutiffimâ fcientiâ poffideri? an igitur opus ei erat, vt ad illius turris molem infpectandam fedem ipfe immutaret? hoc igitur ille ad nos erudiendos effecit, facilem ne cuicumq; fidem præftemus, ne fubitariâ fententiâ damnemus alios, eorumque famam facilè noftrâ opinione denigremus: fed audi magnum Pontificem fimul, & magiftrum Gregorium fic ifta explicantem. *Quâ in re notandum video, ne ad proferendam fententiam vnquam præcipites effe debeamus, ne temere indifcuffa iudicemus: ne qualibet mala audita nos moueant; ne paffim dicta fine probatione credamus.* D

Genef.1.5.

D.Gregor. 14.moral.c. 14.

De Claudio Cæfare narrat Suetonius, multis fe incommodis & periculis implicaffe, eò quòd cum maximè fufpiciofus effet, faciIlimè quibufcumque fidem ferebat; vides, vt vitium vitio inuoluatur? repellendus à Præfectutis videtur, qui facilè fufpicionibus vacans, tum fibi, tum fubditis peracerbam vitam afperamque fortunam molitur; abiecti animi eft fufpiciones enutrire, aliofque aduersâ

Sueton. in Claud.c 35

uersâ opinione obruere. *Insitum est naturalitèr vulgo, vt de bonis semper malè* D. August. de bono discipl.
A *iudicet*, sic Augustinus, qui fortè illud vsurpauit è Tacito, sic asserente, *Municipalis vulgus pronus ad suspiciones*: quàpropter ea mensurâ ab huiusmodi vitio discedere debet Antistes, quâ vulgi mores, indolem, animum superare tenetur. Tacit. l. 2. hist.

Magnum quid Diuus Valerianus pronunciauit, quòd nempè licet maximè gloriosum, & heroicum sit, inter sæculi sordes immaculatos suos mores seruare; gloriosius tamen sit, omnes à se suspiciones reiecisse: *Quem amor tenet seruandæ integritatis, antè omnia falsò ad se famam non admittat erroris. Magnum est quidem, & gloriosum, & vsque ad cælum omnium ore perferendum nunquam malis actibus locum dedisse, sed multò fortius est, nunquam falsis suspicionibus laborasse.* DValer ho. 1. de bono discip. DValerian. ho. de bono discipl.

B

Afflictos, & inopes tueatur Episcopus. Cap. XXVII.

INGENIOSE simul, & verè Aristoteles pronunciauit, cum hoc onere Principatus maiestatem, & robur Deum Magnatibus elargitum, vt nempe potentium vim coërceant, & ab eorum licentiâ fastuque inopes tueantur, ne iuxtà parœmiam, minores à maioribus piscibus deuorentur. *Reges custodiæ defensionisque causâ constitutos, vt & locupletes prohibeant iniuria, & inopum multitudinem contra locupletum iniurias tueantur*: hinc patet, potissimum hoc ad regni beneficium esse, & ex eo populi commodum fortunasque pendere; quodcumque aliud huic postponatur: alia quidem Principatus negotia seriò Princeps meditetur, & ardua quæque perouluat, haud tamen omittat pauperum petitiones, inopumque libellos supplices perlegere, quibus ad eorum oculos tanquam ad suæ quietis
C asilum, & suæ sortis horoscopum amantèr accedunt. Egregiè meditatus hoc fuit Hebræus Philo; hic enim expendens fieri nunquam posse, vt ponderosissimam Regni totius molem sibi Princeps imponat, eum hortatur, vt grauiora negotia ipsemet agat & expediat; minora verò leuioraque suis administris expedienda relinquat. Sic olim Moyses Iethro soceri instituit, eiusque consilium Deus ipse approbauit: quiá verò in minoribus distinguendis non rarò plerique decipiuntur, idcirco sic pergit. *Maiora duo negotia, non vt quidam existimant, controuersias, quæ inter claros, diuites, potentesque incidunt; sed quoties priuati egeni, obscuri premuntur a potentioribus, cum nulla præsidij spes est, nisi in Iudice*: quæ subsecutis postea temporibus ad Eugenium Pontificem scribens Diuus Bernardus confirmauit hoc stylo. *Ergo illas, quas ad tè necesse erit intrare causas (neque enim omnes necesse erit) diligenter enim, sed breuiter decidere assuescas. Causa viduæ intret ad te, causa pauperis, & eius, qui non habet quod det: alijs alias multas poteris committere terminandas.* Arist. l. 5 Polit. c. 10. Philo l. de Creat. prin. D. Bernard. l. 1. consid. c. 10.

Hoc optimè exercebatur eâ Principum ætate, quam Possidonius auream appellabat; inter enim grauissima, maximaque Imperij negotia, Seneca teste, *Inferiores a validioribus tuebantur.* Senec. ep 91
D

Beatissimas sanè meritò eas vrbes vocaueris, vbi virtus non obruitur vitio, nec licentiâ improborum pessundatur innocentia, vbi diuitum fastu inopes non subiguntur, nec eorum insidias publica fœliciras patitur, quos transuersos nimia prosperitas agit. Pretiosissima hæc gemmarum omnium est, quibus regium Diadema scintillet, pulcherrimum ornamentum, quo paludamentum superbiat; habet hac in re Christianus Princeps, quid de illo Posteri commendent, & celebrent, habet id quod populorum sibi amorem, & immortalitatis munus vsurpet: Regem dabo testem Theodoricum è Cassiodoro sic loquentem. *Inter gloriosissimas Principis curas, quas prapeti cogitatione, Deo adiuuante, reuoluimus corde nostro, est leuamen humilium contra potentiam superborum.* Cassiod. l. ep. 20.

Quid enimuerò gloriosius, quàm non tantùm eos non reijcere, quos nobilitatis super-

superbia fastidit & reijcit, non eos à colloquio arcere, non sui patrocinij pallio eos denudare, sed alijs eos præhabere, & quos per summam iniuriam cœcutiens A fortuna destituerat, eos erigere, fouere, blandiri, adeo vt quò magis ille in honoribus, opibus, titulis congerendis, ijs cœco amore studuit, eò magis in eis erigendis, & adiuuandis studiosum, & industrium se Princeps exhibeat; prodeat

Cassiod. l. 3. epist. 8. rursus Gothorum Rex Theodoricus. *Cordi nobis est cunctos in commune protegere; sed eos maximè, quos sibi nouimus defuisse. Sic enim æquitas libera seruabitur, si auxilium largiamur imparibus, & metum nostri pro paruulis insolentibus imponamus.*

Si ergo sæcularibus Principibus peragenda hæc sunt, quidnam, rogo vos, agendum Episcopis erit, quibus filiorum loco, inopes, egenos, afflictosque viros Deus commendauit, & à quorum auxilio seiungi ipsi non valent, quin etiam

S. Prosp. de vit contempl. l. 2. c. 2. in med. ab eorum capite sacræ infulæ disiunganturi? hac sanè de ratione à D. Prospero vocantur: *Vindices oppressorum.*

An igitur deses, & iners suos opprimi filios inspectabit Episcopus? suas ipse B oues patietur alienâ insolentiâ pessundari, quin ad eas vlciscendas inuictus as-

D. August. serm. 10. ad verb. Apost. l. 10. psal. 9. & psal. 67. 6 D. Ambros. epist. 56. surgat? *Pro magno commendantur Episcopis patrimonia pupillorum, quantò magis gratia paruullorum: pupillum tuetur Episcopus, ne mortuis parentibus ab extraneis opprimatur* &c.

Diuinum opus hoc est, & ad eos meritò referendum, qui Dei vices agunt, Numinis interpretes & administri: *Quos enim Episcopi magis quàm pupillos debemus tueri? scriptum est enim iudicate pupillo, & iustificate viduam, & eruite iniuriam accipientem.* Sic Ambrosius.

Hic quidem magnanimum, & erectæ mentis se præbuit, tunc quandò Apostolicâ libertate obarmatus, validissimè Maximum Tyrannum est allocutus, vt Cæsarem Valerianum pupillum ab eius potentiâ tueretur! in hoc suam versari gloriam, suum illucescere nomen vir fortissimus asserebat, dum Episcopi, quod

D. Ambr. ep. 65. l. 5. gerebat munus impleret: ipsamet tanti Oratoris verba referre placet, quæ postea ad eundem Valerianum exarauit. *Gloriosum mihi est, hoc pro salute pupilli* C

Ibid. 1. *Imperatoris. Quos enim Episcopi magis, quam pupillos debemus tueri? scriptum est enim, iudicate pupillo, & iustificate viduam, & eruite iniuriam accipientem: & alibi,*

Psal. 57. 1 Reg. 17. 34 *Iudices Viduarum, & Patres Orphanorum.*

Quòd si Dauid patrios cum greges custodiret, leones & vrsos inuictus occurrebat, vt faucibus arreptos agnos eriperet imbellis, patietur animatum Pastor, suas & Christi oues, superborum, & potentium vi deuorari, quin eos inuadat, vt eorum violentiam labefactet, eorumque ferociam exarmet? profectò mercenarij Pastoris hoc esset; his namque, cęlitùs nos Christus edocuit. *Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, &*

Ioan. 10. 3. *dimittit oues, & fugit.*

Neque hoc de stygijs tantùm lupis, vel de eorum administris, hoc est hæreticis intelligendum est, sed de ijs etiam, qui cùm præpotentes tùm opibus, tùm authoritate fulciantur, egenos & inopes facilè insidiantur & obruunt; sic certè

D. Gregor. hom. 21. in Euang. sub init. hæc intellexit Diuus Gregorius. *Lupus etenim super oues venit, cùm quilibet iniustus, & raptor fideles quosque humiles opprimit; sed is, qui pastor esse videbatur & non erat, relinquit oues, & fugit, quia dum sibi ab eo periculum ingeri metuit,* D *resistere eius iniustitiæ non præsumit: fugit autem non mutando locum, sed subtrahendo solatium* &c. Meritò igitur ijs hic obstringatur, quibus Deus Ezechielis ore ali-

Ezech. 23. quorum desidiam increpauit: quapropter Eboracensi Antistiti significauit D. Ber-

D. Bernard epist. 85. 96. & 168. nardus, potiori quodam iure ad Episcopum spectare, vt afflictos, destitutosque viros fulciat, & seruet, quàm vt egenis opes subministret; hoc enim omnium Christi fidelium opus est, cùm illud ad Episcopos tantùm vt animarum Pastores pertineat, *& sit paterna pietatis egregium specimen.*

Inter dotes, quibus eos ornare cupit D. Bernardus, quos sui administros Pontifex supremus eligit, hanc singulari titulo exigit, *vt diuites non palpent, sed ter-*

D. Bern. de consid. l. 4. *reant: pauperes non grauent, sed foueant.*

Sacræ aræ domus Episcopi comparetur, ad cuius auxilium, velut ad Asylum desti-

destituti confugiunt; matris sinum æmuletur, Episcopi sinus, quo materna D. Bern. 10 ser dom. 3.
A beneuolentiâ afflicti omnes excipiantur. Si Pastor verus fuerit, hoc ad Diui post pasc.
Bernardini Senensis mentem, pascuum erit suo gregi necessarium simul, & salutare. a. c. 2.

§. I.

Diuo Iustino Martyre referente, tota Episcoporum industria in hoc potissimùm vigebat, & sanctâ quâdam constantiâ armabatur, vt nempè magnatum potentiam retunderent, vt tenues egenosue subditos ab eorum violentiâ tuerentur. Spectantissimus præ aliis hac in re fuit Diuus Chrysostomus: cùm Baron. ann. enim ad eius patrocinium vidua quædam confugisset, cui quingenti aurei sol- 401. uendi, à Paulutio erant olim Aegipti Præside, & simul Eudoxiæ Cæsarissæ præsidium implorasset, eâ cum spe, vt fœmineum sexum commiserata, eius egestati
B propitia futura esset, ad centum libras soluendas Præsidem coegit Eudoxia, è quibus triginta tantùm sex aureos viduæ inopi impertiuit; ad Chrysostomum rursus miserrima vidua confugit, qui in carcerem Paulutio detruso, licet Cæsarissæ potentiâ oppugnaretur, nunquam è carcere absolui passus est, donec integram auri summam viduæ egestati persolueret; in his narrandis aduertit Purpuratus Sacrorum annalium scriptor, ab eâ vsque ætate pauperum egenorumque causas ab Episcopis actas esse, qui eâ de causâ, tum cohortè instruebatur, tum carcerem, quo sæculares etiam detinerentur, sub suo imperio habebat. Baron. ann. 401.

Aliàs etiam idem Ioannes Chrysostomus, vt viduam alteram nomine Callitropem ab eiusdem Eudoxiæ imperiosâ insolentiâ tueretur, Cæsareum in se furorem exacuere non dubitauit. In Magistratuum iniurias eâdem fortitudine prædicos se plures alij Antistites præbuerunt, vt in Eusthatium Proconsulem D. Nicolaus Myrensis Antistes, in Theodosium Cæsarem Diuus Ambrosius, in Mo-
C destum Præsidem Diuus Basilius, in Lybiæ Præsides Synesius: & in alios alij, quorum nomina immortali cum gloriæ famâ circumsonant.

Quin licet nulla necessitas vrgeret, ad eorum opem promptissimi accurrebant; qui carcere detinebantur, eiusque potestatis pondere, quo apud Dynastas Procereſne vigebant, eorum calamitates non exiguè erigebant: nec rarò fiebat, vt non precari sed imperare viderentur, vt ex Epistolâ Diui Augustini patet, quâ Marcellinum Præfectum admonuit, vt Circumcelioni statutam pœnam minueret. *Quoniam Christiano loquor, maximè in tali causâ, non arrogantèr dixerim, audire te Episcopum conuenit iubentem; Domine eximie, & meritò insignis, atque charissime fili.* D. August. epist 159.

Quin, cùm eius se præsidio commendasset pupilla quædam, libentissimè camtuendam Sanctus Præceptor suscepit. Feliciqùe de hoc eum postulanti respondit. *Nouit optimè religio tua, quam curam tuendis cum omnibus, tam maximè pupillis Ecclesiæ, vel Episcopi debeant*: aliàs etiam pro concione suum populum alloquens, illudque oratoriè amplificans, quòd ad æternorum suppliciorum contemptum, quo plerique suam salutem profligant, spectat, ad eos confundendos, D. August. epist. 219. & serm. 10. de verb. Apost D. August. serm. 15 de verb. Apost
D illos eis obijcit, qui carceris formidine ad Episcopum confugiunt, seque illis supplicum more commendant, vt captiuitatis nexus euitent: è quo inde statuit, quàm erubescendum nobis sit, qui maiori formidine carceris quàm inferni occupamur: rursus Macedonio reum quendam commendans asserit, Episcopi potissimum munus esse, vt pro delinquentibus suam authoritatem interponat; quòd si eius pa- Macedon. apud ep. 53. trocinium irritum fuerit nulliusque vtilitatis, suę specimen indignationis è radicâ D. August. epist. 54. repulsâ exhiberet; quâ opportunitate ab eo Macedonius postulat, an conari liceat quòd impunitum sit scelus: quam ibi dubitationem multis luculenter allatis D. Augustinus extinguit.

Episcopos etiam validè Diuus Gregorius adhortatur, ne debito subsidio pupillos, viduas, aliosque destitutos viros defraudent, vt non tam eorum egestati, quàm suo satis muneri faciant: quapropter, cùm accepisset, quod Calatiranâ in vrbe

vrbe, prolixâ & permolestâ lite vidua quædam exagitaretur, Ianuarium eius vrbis Archiepiscopum admonuit, vt eius causæ toto suo studio faueret, hac allatâ ratione. *Pastoralis regiminis necessitate compellimur, vt orphanorum, viduarumque causis solertius quàm curis cæteris insistamus.* Rursus etiam ad eundem Præsulem scripsit, ne vllatenus permitteret, vt vulgares homines Dynastarum, & Procerum vi opprimerentur; normamque ei designauit, quâ cum ijs ageret, qui, ne alienum æs soluerent, ad Templorum asylum confugiebant: rursus Dominico Episcopo, vt ad sui muneris vices explendas viduas tueretur præcepit. Ioanni rursus Antistiti Rauennati Mauritionis causam commendat; hic enim Præfecturæ administratione absolutâ, ne successoris violentiâ obrueretur, ad Templi præsidium refugerat; quâ datâ occasione id potissimum in Episcopis esse affirmat, vt nempè in viduis afflictisque omnibus defendendis, dummodo æquitas id permiserit, vires auresque omnes impendant. *Si professionem ordinis nostri, & locum, cuius ministerium gerimus, attendamus, oportet nos afflictis, in quantum possumus comitante iustitiâ subuenire.*

D. Greg. l. 1. epist. 61.

D. Gregor. l. 8. epist. 38.

D. Greg. l. epist. 12.

D. Greg. l. 2 epist. 35.

Quin non destitutis tantùm suam opem porrigebant, sed reis ipsis fauebant, vt ad suas preces suppliciorũ vis minueretur, & Principum in eos ira repesceret: E Diui Gregorij Nazianzeni, Maximi, Ambrosij, & Augustini monumentis hoc patet; huic enim non sine ingenti fiducia Patriam suam Nectorius commendauerat, quę flagitio ingenti fidem suam impiauerat è populari sedione commota, vt apud Cæsarem pro ea deprecatus, innocentes à perduellium supplicio amoueret, meritamque istis pœnam minuere dignaretur; huic Augustinus respondit, quòd licet eâ in vrbe nullus omninò innocens esset, suo tamen studio apud Cæsarem effecisset, vt ad fontes puniendos supplicij quidem magnitudo decresceret, non tamen supplicium ipsum aboleretur, ad ea euitanda incommoda, quę à scelerum impunitate deriuantur: hoc pariter modo pro Libertino quodam Leontium Consulem deprecatus Diuus Gregorius est, illud tamen obtestatus, non eam sibi mentem esse, vt suis precibus iustitiæ modus læderetur, ea subdens. *Turpe est enim me hoc defendere, quod prius mihi non constiterit iustum esse; quia ego homines propter iustitiam diligo, non autem iustitiam propter homines, post pene.*

Apud. Diui August. ep. 201. to. 2.

D. August. epist. 102.

Meritò igitur Massiliensis Antistes Saluianus conquerebatur, adeò suâ ætate Antistitum zelum tepuisse, vt inopum afflictorumque patrocinium prorsus omiserint. *Quis enim vexatis atque laborantibus opem tribuat, cum improborum hominum insolentiæ etiam Sacerdotes Domini non resistant? Nunc aut tacent plurimi illorum, aut similes sunt tacentibus, etiam si loquantur: & hoc multi non inconstantiâ, sed consilio vti putant atque ratione*; sanè hanc pauperum, & laborantium curam Episcopis omnibus validè Tridentina Synodus commendauit.

Saluian l. 8. de Gubern.

Cõcil. Trid. sess. 12. c. 1. init. de Ref. Eccles. q. 9.

Verum quòd momenti maioris est, ipsius Dei præcepto ad hoc exequendum obstringimur, *libera eum, qui iniuriam patitur, de manu superbi*: hoc est à potentum vi, *& ne acidè feras in animâ tua*, hoc est, non molestè hoc feras, nec desidem mollemque animũ in hoc exhibeas. *In iudicando esto pupillis misericors, vt pater, & pro viro matri illorum.* Merces hic pretiosissima indicatur, & suprà quàm dici possit omnibus affectanda. *Et eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis, quàm mater.*

Et sanè licet ad hoc Sacerdotij nostri sanctitas non obstringeret, licet vel alijs debita charitas, vel conscientię vis fidem nostram ad hoc pręstandũ non adigeret, ex hâc tantùm ratione amplectendum nobis toto animo esset, quia nempè Deum ipsum in hoc se opere delectantem imitamur; De Deo enim Regius Cantor ait. *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor*; non tantum igitur desidia omnis excutienda nobis hac in re est, at pia quâdã superbiâ animus erigendus, è diuinâ, quã ex hoc induimus similitudine; quid autem hoc validiùs, quid potentius, quid dulcius? do Chrysostomum. *Nihil enim excelsum ac philosophicum animum aque ad bona opera obeunda excitat, ac si intelligat hac re Deo se similem fieri; quid enim aque, atque hoc ad cohortationem valeat? nihil.* Quãnam autem re alia Diuinam nos similitudinem magis vsurpamus, cum ex eodem Vate Regio habeamus, *Domine quis*

Psal. 9. 14.

D. Chrysost. in ad Philip. 2. 5.

Psal. 34. 10.

quis similis tui? eripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum, & pauperem a B.P. Dam.
A *diripientibus eum.* Quamobrem quàm meritò Diuus Damianus asseruit, nullum 17. ep. 12.
Deo charius, & gratius Deo sacrificium, nullam dulciorem Deo victimam immolari. Si ergo è nostri ministerij sanctitate ad quoscumque afflictos seruandos & tuendos obstringimur: quantò validiùs de Lythurgis, & Mystis munus hoc obeundum nobis est, quorum potiori quodam titulo patrocinium gerimus, eisq; nostrã fidem, dilectionem nostram præstare tenemur? quis nobis tacentibus, ab sæculariũ potentiâ eos arcebit? quibus armis magnatũ potentiam retundent, si nostræ potestatis gladium, ad eos tuendos, nos vani timoris rubigine præpeditum non euaginemus? illud nobis liqueat, ad hoc maximè præstandũ, nos infulis sacris redimiri, & sacro linteo armari, cùm horum causam agentes, causam Dei ipsius agamus. Sed audiatur Diuus Fabianus Pontifex, qui ad omnes Orientis Antistites scribens Pontificio suffragio hæc probat. *Deus ergo, fratres, ad hoc præordinauit vos, & omnes, qui summo Sacerdotio funguntur, vt iniustitias remoueatis, & præsumptiones abscindatis, & in Sacerdotio laborantibus succurratis opprobrijs, & calumnijs* Fab. ep. 2. c.
B *eorum locum non prabeatis: sed ei calumniam & opprobrium qui patitur, adiutorium feratis: illum verò, qui calumniam, vel opprobrium facit, abscindatis, & Domino in suis Sacerdotibus opem feratis.* Deus 6. 3. q. 1.

De fortitudine constantiàque Episcopi. Cap. XXVIII.

INVTILIA prorsus eã essent, quæ huc vsque ad nostrum Episcopum obarmandum attulimus, nisi fortitudine & constantiâ satis se munitum ipse exhiberet; si enim hac destituatur Episcopus, fieri nunquam potest, vt in eo vel distributiua, vel punitiua, vt dicunt, iustitia elucescat; quapropter Præceptor D. Thom. 2. 2. q. 123.
C etiam Aquinas, post institutum de iustitiâ sermonem, fortitudinem explicandam aggreditur; hæc autem, vt ex Aristotele Diuus Thomas docet, in eo versatur, vt sapienter simul, & fortiter, ardua quæque & acerba suscipiat, & sufferat ad honesta defendenda. Vmbratilis & exanimis prorsus Episcopus dicendus est, qui fortitudine vacat: qui enim suum dignè munus posset explere, & Christi vineam eius sanguine irrigatam excolere, nisi paratissimum haberet animum ad quæcumque discrimina pro eâ obeunda, ipsosque mortis extremæ cruciatus fortissimè sufferendos? si ergò iure merito Cassiodorus ait, *Consules esse magnanimos decet,* quantò validiùs hoc de Hyerarchis enunciandum nobis est, quibus (vt ex ijs, quæ proximè afferuntur, liquidum erit) præ quocumque alio sæculari magistratu, in alienam potentiam obdurandus animus, & quodammodo loricandus: accipe Chrysostomi verba. *Itaque magnum, & generosum animum Præsulem afferre oportet; ne animo deficiat, & delassetur &c.* Aristot. 5. Ethic. 5. Cic. in Rethor. D. Thom. d. q. 123. art. 3 Cassiod. l. 6. ep. 1. D. Chrys. l. 2. de Sacerd.

Si autem Christianæ Religionis Episcopi columnæ sunt, quem latet tàm eis exactè fortitudinem accommodari, vt de illis verba illa psalmi explicentur. *Afferte Domino, filij Dei, filij fortium,* vt ex Hebræo codice habetur: ad hoc adumbran- Psal. 28. 2. Leuit. 7. 33
D dum præcepit Deus, vt Aaroni eiusque successoribus dexter victimæ armus impertiretur. *Ipse habebit armum dextrum in portione sui:* hic autem armus ad Diui Cyrilli mentem: *Est roboris indicium atque signum.* Suæ Ecclesiæ nauim Proretæ loco moderetur Episcopus: si ergo in ventorum furias procellarumq; violentiam luctari nesciat, nisi sæuientium fluctuum potentiam fortitudine suâ retuderit, si cadens animo, clauumque deserens se vndarum impetio rapiendum tradat, an non tùm sibi, tùm alijs suæ fidei commissis miserrimum naufragium parat, & parit? Cyril. in c. 2 Malac. n. 17

Iure igitur merito doctissimus Gerson Patres Concilij Rhemensis alloquens, inter necessarias Episcopi dotes primò enumerandam fortitudinem docet, ne aduersitate rerum frangatur, & arrogantiæ, magnatumque superbiæ molliter cedat, ne vel laudibus tumescat, vel iniectis probris se se abijciat, vel ad oppo- Gerson. p. 4 pag. 6. 5.

sitiones vilescat:vt igitur erecti animi viros ad sacra subsellia efferret Diuus Bernardus Eugenium Pontificem excitauit, *Qui Regibus Ioannem exhibeant, Aegiptijs Moysem, fornicantibus Phineem, Heliam Idolatris, Eliseum auaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negatoribus Christum.* A

Bern.l.4 de consid. Non adeò vigiles, & industrij sæculares Principes sunt, vt sui Principatus securitatem firmaturi, ad suorum confinium frontem arces fortissimas moliantur, quibus hostiles impetus, & eruptiones eludant, quàm diligens Christus ipse fuit, vt suæ Ecclesiæ regnum ab infernorum agminum vi, ab hæreticorum insidijs, à vitiorum aggressionibus tueretur; ad hoc ipse præstandum in vnoquoque populo arcem munitissimam firmauit, hoc est Episcopum, qui hac de causâ vocatur,

Matth 5.14 *Ciuitas supra montem posita*, eamque tot Præsidiatijs veluti militibus, hoc est tot virtutibus communiuit; In montem hoc est in Christo Domino fundatur hæc

Dan. 2.39. vrbs: *ipse enim factus est mons magnus & impleuit vniuersam terram*; viæ igitur aditum tenetur ipse tueri, eruptiones repellere, insidias detegere, arietum vim, muraliumque tormentorum impetum labefactare, seruilem animum, vilemque timorem à se reijciens, vt ad Episcopum quendam scribens ait Diua Catharina Senensis. Et sanè quid illi de humanis viribus formidandum est, qui in diuino sinu quiescit, suamque sedem firmauit in Christo, tàm solidum, tutum, fęlicemq; locum qui sibi seruauerit, licet tota humanarum virium violentia conspicet, habet de quo non timeat, sed gaudeat, non turbetur, sed coronetur. Egregiè Au- B

D. August. ser. de verb. Dom. gustinus. *Quid timet hominem homo in sinu Dei positus? tu de illius sinu noli cadere: quidquid ibi passus fueris, ad salutem valebit, non ad perniciem.*

Sacris ille infulis meritò redimitur, qui ad Ecclesię iura tuenda, ad fidei Christianæ decus seruandum, ad salutem populorum comparandam Dynastarum potentiâ non terretur, improborum contumaciâ non frangitur; ex ijs sanè, quibus ad Episcopale ministerium exercendum aptitudo dignoscitur, nullum validius est ad Diui Nazianzeni mentem, quàm si coram Proceribus ac Principibus

D.Nazianz de laudibus Basil. erectum animum, & inconcussum ostenderis, adeò vt cum Regio Vate vsurpare

Psal.118.46 illud valeas, *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* C

Reuelat. S. Brigittæ l.4 c.18. D.Bernard epist. 26. Hac eadem nos obarmari fortitudine Augusta Virgo efflagitat; Diuæ enim Brigittę sermone vsa Episcopo cuidam tanquam exemplar absolutissimum suę dignitatis Diuum Thomam Cantuariensem Episcopum obiecit; cum enim innumeris vndique nostra dignitas obsideatur hostibus, fortissimus vtique sit Antistes oportet, iuxta ea, quæ ad Lausanensem Antistitem Diuus Bernardus scripsit, *Manus vestras misistis ad fortia; opus est fortitudine*: quâ sanè fortitudine, quo

Iob. 19.17. robore obdurandus ille est, qui flagitiorum licentiam refrænaturus est, arrogantium audaciam puniturus & Sanctum Iobum imitatus, ex iniquitatis faucibus erepturus innocentiam? an non generosissimus, & inuictâ constantia excellens ille sit, qui reproborum fraudes euertere, potentium ausa frangere, vitiorum vires elidere, calumniarum procellas retundere, & sacra iura tot attribus Principum sæcularium oppugnata tueri tenetur? meritò igitur fortitudinem D. Ambrosius Tigri flumini comparauit; Terrestri è Paradiso hic effluens, præ cæteris

Gen.2.14. D. Ambr. ibi.in exam. fluuij violentus & celer quæcumque licet validissima repagula sternit, & vorat; quàm benè hic fortitudinis vetus exprimitur! hæc enim ea est, quæ vires omnes omniaque obstacula exuperans, & effringens, per edomita calcataque discri- D

Senec. de cōst sapien. c.3. mina, viam sibi reserat triumphalem. *Quodam cursu rapido resistentia quæque transuerberat, neque aliquibus cursus eius impedimentorum heret obstaculis.*

Hinc etiam adamanti & scopulo sapientem Seneca assimilauit, ex inuicta duritie, quam ille in repetitos malleorum ictus ostendit, & quià hic sæuientium vndarum ferociam frangit immobiliter ad fluctuum verbera perseuerans; Magnum Catonem contemplare, quem, vt Seneca ait, Achillis, & Vlissis in morem

Senec. de const. c.2. imitandum posteritati diuina Sapientia exhibuit; si namque in ea ipse tempora lapsus non est, quibus è mentis imbecillitate arbitrarentur homines, Atlantis, & Herculis more, Cęlum Catonis tergo fulciendum, feras & monstra non habuit, quæ iugularet, & sterneret, habuit tamen ambitionem quam vinceret, eosque

omnes

omnes profligaret, qui ambitionis magisterio ferinum pectus induerant; effræ-
A natam ille auiditatem superauit, *quam totus orbis in tres diuisus satiare non po-*
terat, vitiorum phalangem in vrbe vicit, quæ sibimet ipsi degeneri suámet ma-
gnitudine ad interitum trahebatur: *stetit solus, & solus in totam Rempublicam*;
cadentem orbem manu suâ fulciuit; cum verò fulcire eum amplius non potuit,
cum orbe cadente cecidit Cato, eiusque excidium, triumphum illi aperuit &
sepulchrum. Neque enim *Cato post libertatem vixit, neque libertas post Catonem*.
Par propè spectaculum Deo est, cùm vitiatis hisce temporibus Antistitem
inconcussum videt, & impauido lumine in aduersas acies stantem, non
vt Patriæ, sed vt Ecclesiæ libertatem propugnet, non vt fascium, sed vt
infularum dignitatem fulciat, non vt corporum, sed vt animarum saluti stu-
deat, non Reipublicæ, sed vt fidei Orthodoxæ decus tueatur, cum Pontificem
videt mores coërcentem, scelera mulctantem, corruptelas eradentem, vitia pro-
fligantem, virtutes excolentem, & si necessitas vrgeat, totius vrbis conspirantis
B audaciam piâ suâ audacia suffocantem; an non fortissimum hi exigunt animum, Cyrill. in
ait Diuus Cyrillus? *Reprehendunt enim nonnunquam populos, totos atque etiam* micheam c. 34.
Reges, & vel opibus vel honoribus eminentes, qui potissimum Rectoribus morum in-
festi sunt: his haud ipse terretur, aut trepidat, sed pugnaci semper fronte illos
excipit, obuium, & æneum in suo pectore propugnaculum firmat, & format ad
diuinam gloriam fulciendam. Noë similem dixeris, qui monstris innumeris in
arcæ sinu circumseptus, & irruentium imbrium fragore concussus, intrepidus
manet, & pro suarum vitiũ imbecillitate in orbe iam naufrago seruando laborat,
adeò vt illud ei accommodari posset, quod olim Agari fœminæ de suo filio Ismael Gen 16.12.
vaticinatus cælestis Spiritus fuit, *manus eius contra omnes, & manus omniũ contra eũ.*

Fortitudinem hanc, qua in omnes licet opulentos obarmari Episcopus debet,
Aaronica virga affabrè designauit; ad Pharaonis, & aulicorum Procerum aspe-
ctum se illa in serpentem immutauit, cuius ore virgæ omnes, quæ veneficâ vi
speciem serpentum indutæ spectantium oculos decipiebant, deuoratæ fuerunt,
C *deuorauit virga Aaronis virgas eorum*. Verus ille Antistes est, qui suo satis mu- Exod. 7. 12.
neri facturus priuatis rationibus non agitur, nec sacræ dignitatis dedecore, popu-
lorum amore, & magnatum beneuolentiæ studet; tunc enim potissimùm Dei cau-
sam agimus, ait Gregorius, cum præ cæteris ad diuinam nobis dilectionem ser-
uandam, humanam beneuolentiam aspernamur, *si supernis amicitijs dediti, hu-* D. Greg. l.
manas inimicitias non timeremus. 2. epist. 39.

§. I.

ALiquos esse in Ethiopiâ populos nomine Athlanticos, Solinus, & Herodotus
narrant, qui cùm vehementer Solis eâ in regione ferocientis ardore cruci-
entur, verbis eum incessunt, imprecantur, execrantur, & è beneficentissimo eius
calore, odij flammas in se ipsis accendunt, adeò vt si fas eis esset, è cælesti eum
solio deturbatum, in Erebi ima detruderent; de his fortè allocutus Iob fuit; *qui*
maledicunt diei, & parati sunt suscitare Leuiathan, nam *Solem Orientem, vt exitia-* Iob. 3. 8.
D *lem dirâ imprecatione contuentur*: haud tamen amantissimus ille syderum Ductor
incæpto cursu desistit, viamque sibi à Deo præscriptam omittit; nec enim ille
mortalium odio vel amore trahitur, sed sui tantùm conditoris præcepto labores
suos circumscribit. Suæ Ecclesiæ sol Antistes est, iuxta illud Christi Domini.
Vos estis lux mundi. Eius est eam irradiare, nec declinare debet à viâ, lumenq;
reuocare, cùm per torridam Cæli zonam agendum ei iter est, cum scilicet pel-
lices eliminandæ, interdicenda vitia, suffocanda auaritia, calcanda superbia est,
licet reprobi & flagitiosi Athlanticos imitati irascantur, perstrepant, minentur,
persequantur; Hoc sciant, quòd Agnus Dei cæterâ mansuetissimus, vt sacra
prophanari spectauit, leonis ferociam induens, mercatores inde eos eiecit, licet
non ignoraret, mortem ex eorum odio sibi esse ineundam: hac in re ait Euthi-
mius, *Instituit nos, vt pro Ecclesiâ liberè agamus*: adeò autem ab hoc exercendo Euthim.

noſtros conatus remouere non licet ex hac ratione, ne nobis Principes iraſcantur, & magnatum odio ſimus obnoxij, vt potius, iuxtà Diui Bernardi ſententiam, hic omnes nobis exerendæ ſunt vires, & fides noſtra generoſo conatu probanda. *Quandò malitia iuncta eſt potentia aliquid tibi ſupera hominem præſumendum eſt*, ſic ad Eugenium Pontificem tantus Magiſter. A

D. Bernard. de conſid. l. 4. in fin.

Timotheum omneſque in eo Hyerarchias inſtituens Apoſtolus militibus, athletis, & colonis eos confert, vt ſciant ſemper illis pugnandum eſſe, metuque omni exuto, pericula omnia ſuperanda, certamina ſubeunda, Hebræos illos imitantes, qui Duce, & Auſpice Eſdrâ, euerſæ Hieroſolymæ mœnia erigentes, vt aduerſantium populorum vim vi repellerent, alterâ manu gladium ſtringentes, opus alterâ incœptum producebant: *vna manu ſuâ faciebat opus, & alterâ tenebat gladium*.

2. Timot. c. 22. n. 4.

2. Exod. 4 17.

Præterea populorum Paſtorum eſt, vt maligna, & virulenta germina euellentes ſalutaribus paſcuis greges ſuos enutriant, vt à Domini vineâ aggreſſionem quamcumque repellant, & ſi opus fuerit ſacra etiam arma euaginent. Forenſes vtique cauſas dimittere Epiſcopis licet, eaſque ſuis Vicarijs tradere diſcutiendas; ſed quæ ad Deum diuinamque Religionem referuntur, uegligere nefas eſt; fidem mihi facientem do Ambroſium: *licet tibi ſilere in negotio duntaxat pecuniario; quamquam ſit conſtantiæ adeſſe æquitati. In causâ autem Dei, vbi communionis periculum eſt*, quæcumque ad Dei cultum ſpectant, cum Dei causâ coniungas velim. B

D. Ambr. l. 2 de offic.

Haud tamen me latet, permoleſtum acerbumque ſatis eſſe virtutis huius exercitium, & ex aſſiduis, quibus obſidetur incommodis martyrij quoddam genus eſſe, adeò vt probatiſſimè Cardinalis Baronius pronunciauerit, nullam Martirij quærendam Epiſcopis opportunitatem vel ab Ethnicorum perfidiâ, vel à Chriſtianorum improbitate, cùm ſi muneris ſui velit vices explere, paratiſſimam ſemper in ſua Diœceſi reperiat; Ex ipſo Cypriano Sanctiſſimo Antiſtite hæc habes: *Quanta autem Epiſcopum benè agentem, & ſalubriter admonentem, etiam ſine tribulatione corporis, condigna maneant martyria &c.* Volue, ſi libet, ſacrarum litterarum monumenta, quot ibi reperies vel pro ſacris bonis ſeruandis, vel pro Eccleſiaſticâ libertate tuendâ, mortem fortiſſimè oppetiſſe: Ex his Diuus Theodardus Leodienſis Antiſtes eſt, qui aulam Regiam repetens, ad bona aliqua ſacra potentium vi erepta, Regis Chilperici authoritate, recuperaturus, cæſus beatiſſimè fuit, & inter vulnera Chriſtum magiſtrum imitatus pro ſuis tortoribus Deum deprecatus martyrij lauream adeptus fuit, vt Cardinalis Baronius ad notat. De Sancto etiam Proiecto Auennenſi Antiſtite habetur, quod ad Childericum Regem contrà Hectorem Maſſilienſem Præfectum proficiſcens, ad plurima incommoda patefacienda, quibus res ſacras violauerat, è capitis ſententiâ, quâ damnatus ille è Regiâ ſententiâ fuit, ferocientes conſanguinei vulneribus eum confecerunt, & inter Chriſti Purpuratos pugiles recenſetur, eodem Baronio authore; idem prorſus anno Dominicæ ſalutis millesimo ducenteſimo quadrageſimo quarto Leopoldo Ruceburgenſi Præſuli accidit, anno ducenteſimo vigeſimo quinto ſupra milleſimum Engelberto Colonienſi Antiſtiti, Ioanni Vicentino Epiſcopo anno ſuperius memorati ſæculi vigeſimo tertio, plurimiſq; demùm omiſſis, omnium inſtar ſit ſpectatiſſimus pietate & ſapientiâ Thomas Cantuarienſis Antiſtes. C D

Baron. ann. 117. n. 12.

D. Cyprian ſer. de Aleat

Baron. ann. 358. in fin.

Baron. ann. 670.

Verùm quorſum hæc! an non Epiſcopalis dignitas ad palmas, & laureas ſuo ſanguine excolendas ingentem ſemper aperuit campum, ſegetemq; vberem ſuppeditauit? hac ſanè ſententiâ ſcripſit Apoſtolus. *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*, hoc eſt, iuxta Diuum Hieronymum, *martyrium deſiderat*, nec vlla nobis, qui in Reipublicæ Chriſtianæ tranquillitate verſamur, occaſio deeſt, qua acerbiora animo martyria patiamur: pugnandum vbique nobis eſt, vbique virtus fortitudinis exercenda; quapropter Epiſcopali ſede vltrò deſiliat, qui ſacerdotali robore non obarmetur. *Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tuâ*. Imbellem eneruemque animum ad Epiſcopatus culmen afferre, quid

1 Timot. 3. 1

D. Hieron. apud Aluan. de plant. Eccleſ. 23.

Eccleſ. 7. 6.

A quid aliud porrò est, quàm mendacem Icarum pennarum remigio destitutum volantem imitari? quid aliud, quàm se præcipitem dare, quàm æquitatem ipsam linguarum proteruiæ prostituere, infularum iubar obscurare, & tam excelsam dignitatem obruere? *Odia qui nimium timet, regnare nequit*, sic cothurnatus vates; suam ille animi mollitiem, & infirmitatem aperit, qui humanam magis, quàm Diuinam iracundiam metuens, nec cælestibus, at terrenis rationibus excitatus, vt hominibus placeat, Dei iura tueri contemnit; profectò quàm graue sit Episcopale munus hic nescit: quod breui quidem, at valido sermone Gregorius Septimus ad Lanfrancum Cantuariensem Præsulem scribens explicauit. *Nos etenim, si diuinæ vindictæ iudicium effugere volumus, contra multos insurgere, & eos in animam nostram prouocare compellimur*; hæc tamen validius ille docuit exemplo quam calamo. Seneca. Apud Bar. ann. 1073.12.

B

§. II.

SEriò grauiterque perpendendum illud est, quo Diuus Bernardus Episcoporum Synodum allocutus enunciauit; multos scilicet mercenarios esse, qui prosperitatis tempore à veris Pastoribus distingui non valent; electi ipsi ritè fuerunt, nec ambitionis vi, at virtutis suffragio ad sacra subsellia elati, religiosis, probatisque moribus ornantur, Ecclesiæ tranquillitati elaborant, satis suo muneri facientes, labores amplectuntur & onera. Proh Dei fidem! fieri ne potest, vt huiusmodi dotibus exornati mercenarij sint appellandi? maximè quidem, ait Bernardus, nec enim quis eorum animus sit, ex istâ operum specie exteriori dignosci satis potest. *Vasa figuli probat fornax: flante vento aduersitatis, statim quod infirmum est intentionis ostendit effectus operationis*. Si prosperitatis blandimenta euanuerint, certaminum, discriminum, pugnarum turbo surrexerit, mercenarium eum esse dignosces, *Videt enim lupum venientem, & fugit*. Quosnam hos esse dixeris Lupos! Tyrannos, sic Bernardus, Principes, Dynastas, qui sacra inuadunt, qui Christi gregi infectantur, qui viduas, pupillos, inopesque viros per summam insolentiam opprimunt; non rarò mercenarium se quis exhibet, vel ad Principum iram declinandam, vel ad suas facultates augendas; *fugitque mercenarius vel amore blandientis, vel timore persequentis. Vndè fugit? à rectitudine iustitiæ, a defensione Ecclesiæ, a liberatione Patriæ, ab vltione pupillorum, & viduarum*: sed quò, & quorsum? *ad custodienda quæ possidet, imo a quibus possidetur*. D.Bern. ad Pastores in synod.Cóg. Ecclesi.27.6 Ioann.10.12

C

Hac certè fortitudine experimentum sui præbent Antistites, qui præ Dei, Diuinique gregis amore, vitæ ipsius vsuram fortiter, hilariterque deperdunt; hac ipsi à mercenarijs distinguuntur, qui suis tantùm commodis adhærentes, ad leuissimam quamque curam vilescunt animo & expallescunt!

Quàm igitur meritò huiusmodi Præsules Ezechielis ore Deus obiurgat! à defendendis enim sacris, & ab improborum violentia repellendâ maximè alieni, non pugnam tantùm, sed pugnæ nomen euitant. *Non ascenditis ex aduerso, neque posuistis murum pro Domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini*. Ezech. 13. 15.

D

Sacra quis iura tueri non potest, quin simul aliquid patiatur: vt probatus Antistes eluceas, lesbiam regulam omittas, quam facile quis ad suam vtilitatem, vel voluntatem flectit, & rotat; terræ simul, & Cælo placere non datur, cum ex aduerso sibi aduersentur, vt se destruant. Delicatum quid est sacra potestas, & ad perexiguam labem tota ferè sordescit; leuissima quidem sunt malorum initia, at si negligantur in maxima se porrigunt detrimenta: si sæcularium Principum administris aggredi ea aliquatenus licet, ferè dixerim corruunt: sed Augustini stylum expende. *Multos insidiatores habet Ecclesia, multos exploratores, leuem rimulam si offenderint, figunt aculeum*. D.Ambr.l. 2.epist. 17.

Sermonem de re hac olim mecum intexens Vrbanus Octauus, cuius mihi sancta memoria est, ex opportunitate, quâ tum in primâ mearum fori Ecclesiastici decisionum parte, quam eius auspicijs luci dederam, & in secunda Innocentio

centio Decimo imperante typis etiam excussa pro Ecclesiasticâ authoritate defendenda non exiguo conatu elaboraui, illud mihi enunciauit, se tam diuturnâ magnaque rerum experientiâ percepisse, perniciosissimum esse in re sacrâ fulciendâ torporem vel leuissimum; si namque in eam sæcularis potestas vel pusillum digitum immiserit, manum inde inserit, hinc eam brachio adacto conuellit; egregiè pariter Diuus Cyprianus docebat, nullum inposterum medicamen aptari posse, si semel hic morbus venas irrepserit; quæ semel Esau exuit primogenito designata bona, recuperare nullatenus valuit, licet ad ea redimenda lachrimarum ingentium pretium impenderit. A

D.Cyprian epist. 4. in fin

§. III.

QVàm autem toto Cælo aberrant illi, qui indecoro silentio suam sibi quietē comparare contendunt, & ad suam desidiam honestandam afferunt nobis expedire, vt ad Ecclesiæ vtilitatē Principum genio blandiamur. Quis hoc vnquā inficietur, dūmodo sacris rebus perniciosa ea indulgentia non fuerit, vt proximo capite fusius agetur. In eo tamen versantes, quod nunc præ manibus habemus, quis etiam deneget, quòd eorum beneuolentiā aucupari velle, eorumq; vota palpare, eorum res sacris rebus præferre, propriaque commoda, quietem, vtilitatem, Religionis maiestati, infularum sanctitati præhabere, an non iniuriosissimum meritò censeatur? Antistites plures simul coactos alloquens Diuus Bernardus, liberè & germanè hæc pronunciauit. *Palpatis Principes, sustinetis enim, quòd vos in seruitutem redigant, quod deuorent, quod accipiant, quod super vos extollantur: Iccircò ad velle eorum loquimini, ad velle eorum ligatis & soluitis: ipsi sunt semi Episcopi, semiarchidiaconi: imo vt verum fatear supra Episcopos, supra Archidiaconos, supra Præsbyteros.* O effrænem patientiam, o desidem eneruemq; temperantiam! o vituperandam inertiam? quænam rogo vos, ratio est, vt ràm præposterâ humilitate animum vestrum abjiciatis, tamque indecorè sanctissimam Christianæ Religionis dignitatem habeatis; nec enim alio titulo supremus idem Hyerarcha suum nomen exornat, quàm Episcopi? O quæ vos pronunciare dedignamini, suggerat Diuus Bernardus. *Hæc autem sufertis, non vt voluntatem Dei faciatis, sed vt carni vestræ licentiùs curam geratis, & parentibus vestris commodius prouideatis, & villas Tyrannorum in pace eorum inhabitetis.* B C

D.Bern. ser ad Pastor. in Synod.

Vestra tamen vota iratus Deus eludet, permitterque, vt ex ipso campo, è quo rosas, & flores sibi affluenter capere Præsules arbitrantur, spinæ & vepres egerminent, quibus confodiantur & crucienrur; principes enim ipsi, vel eorum administri eorū potestate neglectâ audaciores fiunt, & noua semper meditantes eis perniciosa, vndique eorum quietem aggrediuntur & turbant: mercedem hinc vides, quâ beneficia collata mundus remuneratur, Deique simul supplicia vides, quæ ex ijs ipsis educit, è quibus sibi gloriam, & quietem homo parere moliebatur. Quòd si Adam, ne suæ coniugi molestus esset, molestus Deo fuit & displicens, eique obedientiam præstare voluit, quā fuerat sibi obedientia præstanda; quàpropter ab eius obedientiâ eunčta terræ animantia discesserunt, & ipsa terra pariter inobediens fructuum, & segetum loco, spinas, & tribulos germinauit: Quòd si Dauid, ne Ammon filium exasperaret, seque ad eum puniendum obstringeret, ne leuiter quidem corripere eum voluit de nefario stupro, & incestu, quo Thamar sororem suam violauerat: *Cum autem audisset Rex Dauid verba hæc, contristatus est valdè; & noluit contristare spiritum Ammnon filij sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei.* Quapropter, permittente Deo, sexcenta illi ex hac inertissimâ patientiâ incommoda pullularunt; Absalon enim sororis contumeliam illatam, paternâque beneuolentiâ dissimulatam vlturus, incestuosum fratrem necans, aulam in thearrum immutauit, quo seditiones, tumultus, arma perstreperent, & vberrimus sanguis efflueret; quietem enim istā reprobat, & damnat Deus, quā vt sibi quis pariat, Dei causam negligit, & sacraipsa contemnit; D

Genes. 3. 6.

2 Reg. 13. 21

De

A De Episcopis hoc idem dixeris velim: dum enim, vt Principum audaciæ indulgeant, eorumque licentiam palpent, inter flores & rosas sibi lectum sternere meditantur, aculeorum acie, consertisque adeò vepribus obsidentur, & cruciantur, vt miserrimè sibi ipsis viuant, alijsque ludibrio sint. Egregiè igitur de suo more Ambrosius. *Nihil in Sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod sentiat non libere pronunciare.* D. Ambros. epist. 27.

Hinc Proculi, & Paschasij Episcopi desidiam inertissimam execratur D. Gregorius, mandatque, vt incommoda ex eâ enata reparentur. Aeneas etiam Syluius, qui Pij Secundi nomen Pontifex induit Hussianæ Hæresis propagationem Pragensi Archiepiscopo Alboco tribuit, qui ad tumultus, & iurgia euitanda, tranquillamque vitam traducendam, virulentum morbum spatiari permisit, & latè germina pestilentissima diffundere, quibus postea miserandum in modum non Pragensis tantùm, sed Bohemia tota, totaque Germania tabe fœdissimâ laborauit: nullum ad aures suas molestiorem accidere sonitum eo pronunciabat, quem maxillæ erodendæ referebant, *id est qui dura pro religione tolerant*; Enim B vero ait Syluius, *digna vox, & idoneus Pontifex; qui surgenti fomentum hæresi daret.* D. Greg. l. 2. epist. 30. & 31. Aeneas S. l. de Origine Boem.

Hinc illud de Ioanna Papissa cognomentum, & commentum enatum, quod tanquam vera historia tum Platinæ, tum alijs probatur; è singulari enim inertiâ animique infirmitate, quâ Ioannes Nonus pollebat, plurima indecora permittens, fœmineum nomen è fœminea imbecillitate in se deriuauit, adeoque Papissa ad Cardinalis Baronij mentem fuit appellatus; cum ex aduerso innumeri alij Pontifices fortissimo inuictoque animo non tantùm sibi ipsis sui maiestatem nominis, sui muneris fastigium integrum illibatumque seruauerint, sed priuatos etiam Antistites ad idem exercendum acriter excitabant; ex his spectatissimus fuit omnibus nomine & re magnus Gregorius; quot eius epistolas hac de re scriptas habes ad Siciliæ Antistites, ad Calaritanum Episcopum Ianuarium, ad Callipolitanum Antistitem, ad Corsicæ Defensorem? is demùm semper fuit, vt C omnibus Ecclesiasticam libertatem vegetam, integramque enixissimè commendaret; ad Theodoricum, & Theodobertum Galliarum Reges scribens ait. *Audiuimus, quia Ecclesiarum prædia tributa nunc præbeant; & magna super hoc admiratione suspendimur, si ab eis illicita quærantur accipi, quibus etiam licita relaxantur &c.* Baron. ann. 8. 9. n. 5. D. Greg. l. 7. ep. 68. l. 16. l. 7 epist. 104. l. 9. ep. 7 Lib 7. epist. 116.

Ad Sigoniensem, & Coloniensem Antistites, eorumque Suffraganeos hoc idem Innocentius Tertius totis viribus commendauit, cui etiam Alexander IV. constantissimè adhæsit. Diuum Cyrillum Alexandrinum Præsulem, Pelusiota Isidorus acriter excitat, vt sacra iura propugnet inuictus; ad plurima Eugubinæ Ecclesiæ vsurpata bona sibi recuperanda Mainardum etiam meum in hac Sede Antecessorem D. Damianus prouocauit. Innoc. l. 1. epist. 484. Ann. 1237. D. Isid. Pel. l. 1. ep. 324. D. P. Dam. l. 4. ep. 8.

In eos etiam validè inuehitur Diuus Hilarius, qui ad Principum beneuolentiam excolendam, eorumque potentiam, & magnitudinem palpandam vituperandâ hebetudine, indignoque obsequio ipsamet eorum vitia honorabant. *Interdum Regibus iniqua poscentibus, turpi adulatione famulamur, & vitijs alienis conscientia nostra infirmitate blandimur.* D. Hilar.

D Sanctissimorum virorum vestigijs nos adhæreamus, adeo vt illud & nos vsurpare valeamus, quod ipsorum non nemo sanctissimè enunciauit. *Non pluris facere cuiusquam hominis, quàm Christi gratiam consequi.* D. Ambros. l. 2. epist.

Allatis Exemplis idem fulcitur.
Cap. XXIX.

TAM illustria egregiaque fortitudinis constantiæque exempla Episcoporum cuiusque ætatis optimi nobis præstiterunt, vt maximè Diui Cypriani sententiam gemmeam fulciant, quam ad Cornelium Pontificem exarauit, *Sacerdos Dei* D. Cyp. ep. 55.

Dei Euangelium tenens, & Christi præcepta custodiens, occidi potest, non potest vinci.
his certe nostræ Religionis campus tam vberi segete abundat, vt inopem me A
copia faciat, calamumque ipsum absterreat; non nulla tamen fasciculi in morem
intexere placet, vt eorum pulchritudine lectorem meum oblectem. Athanasius
hic primus prodeat, in Magistratuum, Cæsarum, Hæresum, totius Erebi vires
semper inuictus; sexcenta inter millenaque pericula erectus, & impauidus animo
constantiæ admirandum omnibus erit exemplar; eius etiam constantiam imitati
non pauci fuere Antistites, qui Constantij Cæsaris Arriani minis acti, terroreq;
perculsi, vt eundem Athanasium proscriberent, Luciferum Calaritanum Præ-
sulem vnanimes elegerunt, vt omnium vota, & voces ipse præferens Cæsari
suum consilium explicaret, quod ille hac dicendi formâ perfecit. *Non metuimus
virtutem caduci regni tui milites diuini. Non sumus ex illis diffidentiæ filijs, qui
plus inimicos suos, quam Deum fuerunt arbitrati potuisse, vt tuam vereamur fragilem
potentiam &c.*

Lucif. Calagotir. l. 1.

Aequè strenuum & magnanimum fuit illud, quo Constantinum Cęsarem sacris B
se rebus immiscentem Cordubensis Antistes Osius castigauit. *Desine quæso Impe-
rator, ne te misceas rebus Ecclesiasticis; neque nobis in hoc genere præcipe, sed
potius à nobis disce: tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ cre-
didit.*

Athanas. ep. ad Solitar.
S. Babila.

Eàdem fortitudine obarmatus animo fuit toto Oriente clarissimus Antio-
chus Antistes Babila, qui non Homerum suarum laudum præconem, sed aureum
oratorem, verbique diuini admirandum administrum habuit Ioannem Chryso-
stomum; hic enim, cum è Regio sanguine adolescentem quendam per summam
iniuriam Gordianus Cæsar enecasset, effusoque sanguine adhuc calidus, mili-
tibus suis stipatus ingredi templum vellet; ad eius fores imperterritus stans ar-
dentissimis vocibus eum è templo reiecit, manuque Cæsareo pectori admotâ
constanter eum repulit, vt potè qui sanguine diffuso fędatus à Christiani populi
consortio esset remouendus.

D. Chrys. l. adu. Gent. Euseb. l. 7. c. 22. & seq.

Quantam porrò fortitudinis vim hic exigebat, vt exercitus horrorem non for- C
midaret, vt ad Cæsaream iram staret intrepidus, ad Augusti diadematis iubar
non impallesceret, Procerum Dynastarumque Gordiani latus stipantium odium
negligeret, vt totius denique orbis potentia non frangeretur, vt Cæsaris animum
flecteret, & improbos exterreret? quamnam cum vulgaribus tenuisque notæ vi-
ris fortitudinem ille præstiterit, si tam fortis in Cæsarem fuit, cuius sub imperio
tot populi, tot regiones & regna aduoluebantur? sed audi Chrysostomum elo-
quentissimè hæc explicantem. *Futurorum enim post hæc, & Sacerdotum, & Re-
gum animos, horum quidem demisit, illorum autem extulit: planum faciens terræ,
& eorum quæ in terrà fiunt, curam, & præfecturam veriùs residere penes Sacerdo-
tem, quàm penes eum, qui paludamento ornatus, ac purpurâ indutus est: nec non
oportere de potestatis huius (Episcopalis) amplitudine Sacerdotem nihil detrahere;
sed hominem potius exuere, quàm authoritatem huic principatus supernè à Deo attri-
butam deponere.*

Hanc ipsam fortitudinem ab eo velut in hæreditatem accepisse Chrysostomus
idem videtur, vt quem egregie commendauit, egregiè simul imitaretur; cum
enim Constantinopolitanam Sedem moderaretur, eamque ætatem nactus fuisset, D
quæ Eudoxia Cæsarissa non tam Orienti, quàm Cæsari ipsi deformiter domina-
retur, ad afflictorum virorum innocentiam, iustitiamque tuendam fortissimum se
ipsi Sanctus Præsul exhibuit; Primò igitur, cum ad eius auxilium Theodoricus
Patritius confugisset, cuius ingentes opes studiosissimè Eudoxia insidiabatur,
non abstinuit vir pijssimus scriptâ epistolâ eius auaritiam coërcere; hinc ad alia
duo accessit, quæ tùm Leo Cæsar, tùm alij narrant; cum enim vir nobilis Theo-
gnostus nomine, iniustè tùm exilio mulctaretur, tùm suis bonis spoliaretur, vxor
eius dotalem vineam eo extincto sibi postulauit, vnâ cum cæteris bonis fisci
legibus vsurpari; at Eudoxia, quæ vinea illâ maximè delectabatur, eius sibi
comparasse dominium dixit eo titulo, quo consuerant Cęsares suas eas facere vi-
neas, è quibus vuæ racemum collegissent: sibi igitur eâ retentâ statutum ei pre-
tium

Surius. 77. Ianu.

tium se soluturam; non exiguo rationum pondere Eudoxiæ animum flectere con-
A tendit Chrysostomus, vt viduæ necessitatem eius vineæ restitutione subleuaret; sed irrita omnia cecidere, cùm legis illius clypeo se illa tueretur, quam tamen euanidam & iniquam Sanctus Præceptor asserebat; quàpropter, cum solemni quâdam die, dum sacra ædes ingenti populo exundaret, & Cæsar ipse cum Aulicorum & Procerum turba ibi adesset, accedens cum insigni pompâ Cæsarissa iam prope adeat, eique procedenti viam præcedens famulorum, & aulicorum acies aperuerat, cùm ad templi fores obuius illi Chrysostomus progrediens, ianuâ repentè interclusâ, eam à fidelium cœtu seclusit; ad hæc è suis Præsidiarijs militibus vnus educto gladio, vt ianuam reseraret, in eum irrupit, sed exarescente protinus manu destitit ab incœpto facinore, nec sine rubore domum reditura Cæsarissa discessit. Alterum est, quod de Paulatio Callitropis debitore superiùs recitauimus, nec sine prodigio fuit; cû enim Centuriones duos ad educendum ex Ecclesiastico carcere Paulatium misisset Imperator, ad Cælestis spiritus gladium vibrantis aspectum terrore immani percussi fuere, adeo vt pecuniam, B quam sibi Cæsarissa seruauerat, Callitropi restituere cogeretur. In pat. 3.c.

Nobilem ad hæc Aulicum ad Sanctum Præsulem misit, vt minis vel precibus eum obstringeret, ne suis ipse rebus immiscere se vellet; ad quæ Chrysostomus, se sui sacerdotij vi coactum destitutæ illius viduæ causam suscepisse, & simul Cæsarissæ saluti prospexisse; tum aulicus Præsulem acerbè monuit, ne in posterum Cæsareæ potentiæ aduersari præsumeret, addens, *Oportet te esse contentum Ecclesiasticis; ciuilia verò omninò non subire, sed cedere Imperatoribus, quemodo ipsi tibi rursus Ecclesiasticis*; & vt eius nomen & mores in publicis concionibus carpere abstineret; prophanis haud se inferre causis, respondit Chrysostomus, sed eas vltrò subire, quæ ad animarum salutem Deique gloriam referuntur: *Sed cum sim Episcopus, & mihi commissa sit cura animarum, apertum scio esse periculum non arguere iniquitatem: vereor enim de nobis quoque dicatur illud Oseæ; celauerunt Sacerdotes viam Domini; si nos cum iniustè aliquid dimittitur, id feramus silentio.* C *Sed eum quoque qui peccat, iubet rursus Diuinus Paulus coram omnibus arguere, vt reliqui timorem habeant.* Demùm se nunquam in concionibus Cæsarissæ nomen explicasse, vel indicasse, sed auaritiam tantùm, aliaque vitia momordisse; quod si conscientiæ aculeis de hoc vexaretur, non suis verbis, at eius moribus tribuendum. Quid plura? rediere ad Eudoxiam legati, tantamque Chrysostomi constantiam, & magnanimitatem esse, vt eâ eum exuere idem prorsus esset, ac in stimulum calcitrare: hæc tantùm verba de eo retulere, cuicumque Antistiti memoranda. *Ille enim homo est mitu superior, & minis, & aduersus ipsam quoque mortem erigitur: vnum solum timet nempe peccatum, & ne Deum per ipsum vel modicum offendat.* Sur. vbi sup Oseæ 6. 1. Tim. 5.

Thomas Bozius Eugubinus, qui hæc breuí recitat, hinc colligit ad Episcoporum authoritatem spectare, quòd iniustæ leges declarentur, quòd licet Augusti ciuilibus legibus non subijciantur, eas tamen subirent quas Episcopus statuit; quòd eiusdem Episcòpi authoritatis est, vt laicos debitores carceri committant, licet Imperiali patrocinio munitos; hic ipse addo, quàm diligenter scilicet, & sollicitè, licet cum aperto mortis discrimine, Episcopis suis Presbyteri parerent; vt enim Chrysostomo obedirent, ianuam Templi claudere non dubitarunt, D & Cæsarissam ipsam repellere. Bozius de iure status l. 5. posthnit. L. Princeps ff. de legib.

Ne morosus videar illud etiam omitto, quo vir fortissimus prohibuit, ne ad eiusdem Cæsarissæ statuam festiui ludi agerentur, quorum tumultu Templum plateæ illi proximum non sine sacrorum iniuriâ resonabat; vltionem quidem de his egit Eudoxia, sed huiusmodi ea fuit, vt sibi Diuinum furorem compararet, sanctissimo verò Præsuli gloriam immortalem attulerit.

Spectatissimum, & ferè dixerim humanâ conditione maiorem Antistitem subsecutus licet non proximè fuit Tatianus Præsul suo præcessori non impar; cum igitur Constantini Cæsaris, & Irænis matris vi nobilis quidam è Templo educeretur, qui (vt aulicorum mos est) Cæsarum beneuolentia deperdita, eorumque potentiâ vexatus, ad sacrarum ædium asylum confugerat, vir Sanctissimus, *ex* Sur 25. feb

tunc eos omnes anathemate percussit, qui damnum aliquod in eum intulissent; quapropter diuarum metu Magistratus exterriti, carcere eum liberarunt. Sed A
longè in eundem Cæsarem constantiam suam idem Præsul exercuit, ex opportunitate, quâ puellæ cuiusdam amore Cæsar irretitus, diuortium cum Cæsarissa, vxore facere deliberauit; cùm autem nec precibus nec minis ad statutum diuortium probandum compelli vnquam potuisset à Cæsare, nullisque artibus ab eo faciendo reuocandum vnquam fore ipse cogitaret, in connubij nexu seruando hæsit impauidus, & postulationes omnes, quibus Cæsarissæ decus impetebatur, fortissimè reiecit, licet ingentes cruciatus ipsamque mortem subire cogeretur; optimè enim sciebat ex amore, quo puellam illam deperibat, omnia hæc eriuari; illud etiam obiestatus, quod eum ab Sacrarij finibus omnino repulisset, ne in se
Ezech. 44. 13. illud horrendum è Cælo insonaret. *Calcare atrium meum non adijcietis.*

Suidas. Quàm admiranda constantia fuerit, quâ Leontij Tripolitani Præsulis authoritate Eusebiæ Constantini Cæsaris vxoris superbia coërcita repressaque fuit;
Seuer. Sulp. in eius vita c. 23. iam satis in primâ parte ostendimus: adde etiam illam, qua D. Martinus Maximo Cæsari suum Lythurgum præbuit. B

D. Gregor. Naz. orat. Basil. Quid de Magno Basilio Cæsareæ Antistite dicendum, qui, Diuo Gregorio Nazianzeno teste oculato narrante, cum Valentis Cæsaris iussu ad Arrianæ perfidiæ partes tuendas, tùm lenocinijs, & precibus, tùm minis, & contumelijs Modesti Præfecti sermone aduocaretur, quodnam supplicium in me potest Cæsar inferre, inquit Basilius? illo respondente, bonorum omnium proscriptionem, exilium, cruciatus, & mortem; an alia subdit ipse Basilius supersunt quæ mihi minaris, hæc enim profectò nihili mihi æstimantur? tùm ille, tanta hæc nihili à te fiunt? ita verò rursus ille respondit, quid enim ei bona proscribantur, qui bona proscribenda non habet; si pauculos exceperis libros; & tenues has exolestasque vestes, nihil mihi quod proscribatur est, exilij autem ipsum nomen ignoro; quicumque enim locus idem mihi est; vbicumque terrarum fuerim, Patriam nanciscar, meamque omnem regionem agnoscam, cùm regio omnis supremo Domino Deo subijciatur & pareat; si cruciatibus in membra sæuieris, corpus hoc inter afflictationes iam ferè confectum libertati donabis, qua C
Deum mihi iam absentem amplectar; quid mortem obijcis? beneficij loco hanc ipse recipiam: hæsit ad hæc Præfectus, eique dixit, huiusmodi se verba nullo ab alio percepisse, cui Basilius *neque enim fortasse in Episcopum incidisti*, omnibus vltrò nos quidem cedimus, & plebem ipsam abiectissimam, ne dum maximum Cæsarem obseruantissimi colimus. *Verum vbi Deus nobis periclitatur, & illius causa proponitur, tum demùm alia omnia pro nihilo putantes, ipsum solum intuemur. Ignis autem, & gladius, & bestiæ & vngulæ carnem lacerantes voluptati nobis & delitiæ potius sunt, quàm terrori:* Sæuite, vt liber, cruciatus quoscumque omnes exercite, gladios, vincula, flammas expedite, his omnibus crede mihi, & Valenti ipsi significa, *nequaquam profectò nos vinces, vt impia doctrinæ assentiamur, non si his quidem atrociora miniteris.* Ad hæc terrore tanto
Baron. ann. 963. v. 13. perculsus Cæsar fuit, vt ab omni in posterùm iniuria abstineret.

Aequè fæliciter in Ioannem Zamiscem Policutus Constantinopolitanus Antistes decertauit: hic enim cum nequissimis artibus, conspirante etiam Cæsarissâ, Phocam Cæsarem enecasset, eiusque sibi solium vsurpasset, licet diuino consilio factum fuerit, vt Phocas ex indignatione diuinâ perierit, & quamuis Ioannes Episcopos omnes, quos Phocas exules amandauerat, suas in Sedes reuocaret, ipsosque seruos libertati donaret; adhuc tamen ad primarium Templum euntem, vt è Patriarchæ manu priuatim Diadema reciperet, reiecit vir Sanctissimus, vt pote eo indignum, & Cæsareo adhuc sanguine pollutas manus habentem; quia verò Ioannes respondit, Cæsarissæ mandato cæsum Phocam fuisse, seque ad omnia ea supplicia recipienda, quæ ei libuisset, esse paratissimum, præcepit ei Præsul inuictus, vt ex Aulâ Cæsarissam expulsam in insulam aliquam exulem ablegaret, vt decretum ab eo in sacra iura compactum rescinderet, omnesque eas opes, quibus antea præstabat, in egenorum subsidium erogaret, quæ omnia fideliter, & demisè Cæsar confecit. D

S. I.

A

§. I.

AD Occidentem mihi iam properanti primò occurrit Italiæ nostræ iubar, Præsulum decus, & infularum ornamentum Ambrosius, qui ad sacras Dei rationes tuendas, in totius orbis, & ipsius Erebi vires colluctatus fęliciter est, & in ipsos Cæsares Cæsaribus maior suum robur exeruit. Quænam vnquam gladiatoria arena spectaculum eo fortius, & fęlicius vidit, quo singulari certamine, cum Senatore Symmaco conflictauit? tùm Senatoriâ potestate, tum suæ facundiæ præstantiâ nitebatur Symmacus, vt Valentinianum Cæsarem adhuc puberem ad Victoriæ altare statuendum alliceret, ibique Ethnicæ superstitioni exercitium aperiret; validissimas ad Cæsarem epistolas Ambrosius exarauit, quibus, obtestabatur, quòd si tam fœdo sacrilegio indulgeret, templumque postea adiret, vel ibi non inueniisset Antistitem, vel si reperisset, eodem è templo eum repulisset. Ambr. ep. 11 ad Valentin in epist. 30. & 32.

B

Quantâ ipse in Tyrannum maximum fortitudine vsus, vt Episcopos, quorum consilia reposcebat, non publicâ in aulâ, sed in Regij Palatij aditis reciperentur? quantâ constantiâ simul, & maiestate à pacis osculo, quod è suo Solio exiliens ei Cæsar offerebat, cum ipse reiecit? post plurimas demum correptiones in eum illatas, teste Paulino, ità cum eo egit, ac si anathemate eum percussisset. D. Ambr. epist. 33. ad Marcellin.

Instinæ Cæsarissæ seuerissimam violentiam sua ipse generositate refregit, licet Valentiniani Iunioris imperium pro libito gubernaret: vt autem animaduertit, sacris in rebus suam à Cæsare operam immisceri, eum acerbè redarguens ait; *Noli te grauare Imperator, vt putes ea, quæ diuina sunt, Imperiale ius habere. Noli te extollere, si vis diutiùs imperare: ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesia*; quod ipsum postcà Marcellinæ Sorori sua epistolâ significauit. D. Ambr. epist. 33. ad Marcelli.

C

Cæsaris eiusdem imperio subesse rursus noluit, cum, vt suæ Matri gratificaretur, ei mandauit vt ad aulam pergeret, disputationem ibi coram se initurus cum Auxentio Arrianæ perfidiæ acerrimo sectatore; renuit Ambrosius illud generosè pronuncians, in rebus ad religionem spectantibus, non sacros viros à Laicis in Palatio, sed à sacris viris Laicos in Templo iudicandos. Cæsareas ipse minas æquè ille fecit, Theodoreto narrante, ac si puerilia terriculamenta essent, & cum ei Cæsar præcepisset, vt Mediolano abscedens, quòcumque vellet pergeret, abire recusauit, illud impauido ore pronuncians, *non sum volens facturus, neque ouile ouium producturus lupis, neque blasphemia auctoribus sacrosanctum Dei templum traditurus: sed si libet me interficere, hic intus, vel gladio, vel cuspide confodite; sum enim cupidè & libenter hanc cædem excepturus*: illa etiam superaddens verba, quibus erudiendi multi essent Antistites, quòd scilicet, si eâ opportunitate suam sedem desereret, Deo iniuriosus esset, & proditor Religionis, *Non multum interest, vtrum volens relinquas, an tradas altare Dei: cum enim relinquis, trades*. Cum autem Cæsarianis agminibus in templo obsideretur, constantiam & tranquillitatem non animo tantùm, sed vultu ipse seruauit; Calligonum etiā Cæsarissę Cubiculariū, qui ad eum capite diminuendum se expeditissimū esse asserebat, nisi eius præceptis obediret, fortissimè interpellauit, afferens, si Dei voluntate permittente id feceris, *Tu facies quòd Eunuchi, ego patiar quod Episcopi*: quapropter cū ad eius flectendam voluntatē se imparē Augusta cognosceret, animū à propositā sententiâ reuocauit, suæque auctoritati prospiciens, ab inceptâ pugnâ deflexit. D. Ambr. ep. 32. Theodoret. l. 5. c. 13. epist. 32.

D

Tyrannum Eugenium rursus aggreditur, neque eum inspectaret, Mediolanum fugiens, ad eum intrepidè scripsit, quòd ab eo abscesserit diuino sermone perculsus, cuius tantùm lege res suas, suasque cogitationes metiebatur; plura inde congerit, quibus ex Altari Ethnicorum superstitioni concessum, eius prauitatem castigat.

Sed spectatissima præ omnibus ea fortitudo fuit, qua Theodosium Cæsarem Thessalonicensi cæde cruentum, & pollutum animaduertit: vix ille lachrymandam Thessalonicensium cædem eiuium excepir, vt statim ad eum scribens, vt admissi malefacti pænitentiam ageret, adhortatus eum fuerit; Mediolanum postea cum Cæsar accesserit, Templumque adeunti se muri instar ænei magnanimus Præsul obiecit; quia verò Dauidis Regis exemplum ille præferens, suum crimen tuebatur, respondit Ambrosius, *sequutus es errantem; sequere pænitentem*, tùm publico, prolixóque indicto supplicio Diuinam illi beneuolentiam recuperauit: ad hæc Theodosius, Theodoreto teste, pronunciauit: *Aegrè tandem didici, quid inter Imperatorem intersit, & Episcopum: Aegrè tandem reperi veritatis magistrum. Nam solum Ambrosium noui Episcopum dignum eo nomine.* A

D. Ambros. epist. 28. Theodoret. l. 5. c. 14. Surius 6. Febr.

Non absimili modo Gulielmus Roschildensis Antistes Regem à templo reiecit, de quo vberius & opportunius infrà.

Dagoberti Regis effrænaram luxuriem Traiectensis Episcopus Amandus frequenter castigauit, eaque de causâ exul Regis imperio ablegatus, cum ingenti sui nominis laude fuit posteà reuocatus. B

Sur. to. 4. 18 Iul.

Magnum Baptistæ animum imitatus fuit Federicus Traiectensis item Antistes; ardentissimè enim Ludouicum Galliarum Regem, & Caroli Magni Filium redarguebat de incæsto coniugio, quod inierat; hinc in tantum furorem Reginæ exarsit, vt Herodiadis instar quorumdam sicariorum vi cruentæ morti eum dederit; adhuc tamen in eadem morte, quæ formidanda omnibus est, constantior ipse assurrexit, nam sicarios ipsos ad vulnera inferenda ipse excitauit, eaque alacritate lethalia vulnera pectore aperto excepit, quâ Chirurghi lanceolam excepissent; Hinc vulneribus ferè confectus, ad capessendam fugam hortatus sicarios est, ne populari violentiâ eos discerperent, nec sua vulnera aperire cuicumq; voluit, donec sciret, suæ iam securitati prospexisse; his peractis gloriosissimo obitu vitam coronauit.

Quam etiam fortitudinem Diuus Hilarius Pictauiensis Antistes ostendit, volumen integrum in Constantem Cæsarem Arrianâ lue sordentem scribens, in quo præ cæteris his eum vexat & cruciat. *Proclamo tibi Constanti, quod Neroni locutus fuissem, quod ex me Decius, & Maximinus audirent: contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sæuis, sanctos persequeris, religionem tollis, tyrannus iam non humanorum, sed diuinorum Christianum te mentiris, Christi nouus hostis es, Antichristum præcurris &c.* C

D. Hilar. l. cont. Cost.

Memorandus etiam Adalbertus fuit, qui cum Moguntinis Infulis ab Henrico Quarto eo consilio donaretur, quòd tùm peruetusta eius obedientiâ, tum Cæsareo hoc recenti beneficio nomini obstrictus, æquo animo pateretur vsurpationem, quam de sacris eius Ecclesiæ iuribus suâ potentiâ fretus fecerat; sed breui concepta spes euanauit, nam vix Pontificalia ornamenta induit, vt statim Henrici beneuolentiam exuens, eius potentiam tàm generosè retudit, vt maior indies Antistitis gloria exeresceret.

Abb. Vispe. in Honori iv. ann. 1112

Bellarm. de offic. Princ. l. 1. c. 5.

De D. Dunstano Cantuariensi Hyerarcho legitur, quod cum puellæ, quæ in Sacrarum virginium Gineceo educanda detinebatur, Rex Angliæ amore insaniret, præ necessitate secû aliqua tractandi, furtiuâ operâ è religioso claustro eâ eduxit; vt suæ virginitati puella consuleret, sacrum velamen Moniali cuidam abreptum sibi induit, sperans eo tanquam clypeo suam honestatem defendendam; tùm ille, exue inquit, quem monialium habitum induisti, veloque erepto abscissoque, eius virginitatem præflorauit. Tristissimè hæc excepit Dunstanus, Regiamque accedens Regem obuium habuit, qui vt moris erat, manu eius abreptâ in solium adducebat; superciliosus hîc Dunstanus manum reduxit, ab eoque se remouens, Regi de tàm subitâ iracundiâ interroganti respondit. *Tu postposito omni pudore adulterium commisisti, tu despecto Deo, signum castitatis non veritus, nunc virgini suam integritatem præripuisti, & cur manum, Summo Patri Virginis Filium immolantem impuris manibus tuis non tradam quæris? laua prius per pænitentiam manus tuas à sordibus tuis, & tunc demùm, quo gratia conciliieris, honora, & amplecte-* D

plectere manum Pontificis. Hæsit ad hæc Rex, & supplicis in morem se pedibus A eius aduoluens, vberrimos fletus effundens suum scelus confessus humillimè est; è solo vbi stratus iacebat erexit eum Antistes, & per septem annos persoluendam pœnam irrogauit, quam ille libentissimè suscepit persoluitque. Narrans hæc Cardinalis Bellarminus lectorem hortatur, vt perpendat, eâ ætate ab Regibus non expectari vel in cubiculo, vel in extremis adytis Episcopos, sed obuios excipi manuque regiâ ad solium illis erectum adduci; quàm verò pius Rex ille dicendus est, qui ad eius genua se prosternens eum amplecti non formidauerit, & tam acerbas pœnas excipere. Bellarmin. loco cit. Baron. ann. 1095.

Quò alij Galliarum Antistites animum imbecilliorem ostenderunt, eò cæteris fortior & excelsior assurrexit Iuo Carnotensis: cùm enim Regiâ potestate subnixus Bertam legitimam suam coniugem repudiasset Philippus Rex, & connubij loco duxisset vxorem Fulconis Comitis Andegauensis, dormientibus alijs Galliarum Hyerarchis, vnus Iuo Carnotensis fuit, qui tùm Sanctitatis excellentiâ, B tùm eruditionis præstantiâ Principibus viris valdè percharus, Regia gesta reprobaret, eique constantissimè se obiecit tùm sermone tùm calamo ad Vrbanum Secundum celerrimè scribens, ne Regijs Oratoribus deciperetur: Tum nationali synodo coactâ, adire Iuo eum reiecit, pronuncians præstari nunquam hoc sibi posse, eò quod tùm adulterio pollueretur, tum Romano Pontifici esset offensus, & ad quoscumque conatus, quibus eius effringere constantiam tentauit Rex, constantior Iuo euadens, tùm Regiam iram, tum cruciatus carceris, bonorumque proscriptionem lætissimo animo excepit. Baron. ann. 631.

Diui etiam Lupi Senonensis Antistitis fortitudo eluxit, cùm Dynastæ cuidam à Burgundionum Rege misso se illi iratum præferenti, eò quod obuius illi non accessisset, aliaque munerum obsequia ab alijs præstita non præstitisset, respondit inuictus. *Sacerdotis est plebem regere, & Principes sæculi diuina præcepta docere; itaque par est, illos ad eum potiùs accedere.* Baron. ann. 116. & seq.

Non est, cur hic ego multis immorer, admirandam Constantiam Diui Thomę C Cantuariensis Episcopi commemoraturus, quâ in Henricum Secundùm Angliæ Regem sacras Religionis rationes propugnauit solus, cum cæteri Antistites humanâ quadam prudentiâ obcęcati eius violentiæ conniuerent: sanè tàm illustre hac de re Thomæ nomen circumsonat, tantamque gloriam tum è sublato exilio, tùm è cruentâ demùm morte sibi peperit vir strenuissimus, vt supra laudes omnium assurgat; illud tantum indicasse placeat, quòd cum scriptis ad eum epistolis Gilbertus Londinensis Episcopus eum hortaretur, vt Anglię Regem blandiori manu palparet, scribenti respondit: *Clauum teneo, & ad somnum me vocas*: cum autem exilio detineretur, Angliæ Antistitum torporē & desidiam castigans, sic eos scriptis epistolis sugillauit. *Multo tempore silui, expectans si fortè inspiraret vobis Dominus, vt resumeretis vires, qui conuersi estis retrorsum in die belli; si fortè saltem aliquis ex vobis ascenderet ex aduerso, & opponeret se muro pro Domo Israel; expectaui non est, qui ascendat, sustinui, non est qui se opponat, Silui non est qui loquatur.* Surius 17. Nouem.

Parem virtutem in alio Sanctissimo Præsule, Vgone scilicet Lincolniensi eadem ætas, eademque Anglia conspexit; hic enim Henrici Regis studio ad eam D Sedem euectus, vix illam insedit, vt Regium administrum Ecclesiasticæ authoritati insultantem anathemare percusserit; cum autem opulentum quoddam sacerdotium conferendum ab eodem esset, iram suam obuelans pro suo prænobili aulico illud ab eo impensè postulauit: perlectâ ab Vgone Henrici epistola ait, non aulicis viris, quos sexcentis alijs modis adiuuare Regia benignitas potest, sacerdotia hæc sunt impertienda, sed sacris Deoque deuotis viris, qui sine iniuriâ istis fraudari non possunt: his ille dictis, Regium Legatum dimisit; ad hæc autem eò maiori iracundiâ Rex exarsit, quò minor Vgonis fuit, vel per epistolam, vel per virum aliquem excusatio; ad se ergo eum aduocatum, vt maximè peringratum eum obiurgauit, totque in eum collatis beneficijs pessimè dissonantem: sapienter hæc ille refutauit hâc loquendi formâ. *Noui te, vt Episcopus*

ſcopat ego eſſem efficaciter, & ſtudioſè laboraſſe. Vt igitur animam expedirem tuam,
vbi illi periculum immineret, ſi quod mei eſſet officij exequi non curarem, neceſſariò A
id mihi incubuit, vt oppreſſorem Eccleſiæ meæ, cui me conſulere oportet, per Ec-
cleſiaſticam cenſuram coërcerem, & indebitè prabendam ſibi in eam ambientem, nullà
ratione exaudirem. Excellentiæ autem tuæ præſentiam pro vtrolibet adire negocio,
non modo ſuperfluum, ſed etiam ineptum ſentiebam: cum tua prudentia pronum ſit,
quod ritè geritur, ſapienter aduertere; & voluntati nihilominus tuæ facile ſit, quod
rectum eſſe cognoueris, clementer & benignè approbare. His auditis peramanter
cum Rex excepit, exceptum æquâ humanitate dimiſit.

Cùm poſtea quibuſdam exactionibus, quæ iam inoleuerant, quibuſque non
tam Rex, quàm Epiſcopi omnes gaudebant, ardenter obſtaret, & quoddam
recens tributum reprobans, quod Richardus Henrici ſucceſſor, non aſſentienti-
bus tantùm, ſed cutentibus Archiepiſcopo reliquiſque Angliæ Præſulibus, ad
bellum in Gallos inſtaurandum, è Clero moliebatur educere, Rex ſuprâ quàm
dici poſſit excandeſcens, viros nefarios miſit, quorum vi eijceretur è Palatio, B
eiuſque bona proſcriberentur; eorum tamen ſæuitiem iniquiſſimâ compeſcuit vir
fortiſſimus, anathemate ad campanarum ſonitum euulgato eos percellens: hinc
ad Regem longè abſentem progrediens, licet familiarium adhortationibus auo-
caretur, ne miſerandus repeteretur exitus, quo Diuus Thomas Cantuarienſis
Antiſtes dies ſuos abſoluit, Regij Palatij oratorium generoſus intrauit, vbi tùm
Dynaſtis innumeris, tùm pluribus Epiſcopis ſtipatus ſacris adeſat Richardus;
fimbriâ paludamenti detortâ conſuetum ab eo oſculum Præſul flagitauit; cui
Rex indignus eo es; tunc Præſul, quin digniſſimus eo ſum, cùm tam prolixum
iter ad te inuiſendum confecerim, & validiùs eodem paludamento detorto
oſculum ab eo impertrauit; attoniti ad hæc omnes fuere, qui tàm glorioſum de
Rege triumphum eum referentem inſpexerunt, & ipſemet ſe continere non po-
tuit, quin de ſe ipſo eximiam admirationem haberet, adeò vt in re diuinâ
peragendâ vni Lincolnienſi Præſuli præceperit Rex, vt oſculum ſibi pacis afferret.
Re autem diuinâ perfectâ, cum in extrema Palatij adita vterque conueniſſet, C
Regi præcepit Hugo, vt vitæ ſuæ fideliſſimo animo ſibi rationem redderet; cùm
enim ſuâ ouis ipſe eſſet, de eo, vt de cæteris, reddenda ſibi ratio erat ad hominis
tribunal iudicantis; ſed reſpondente Rege, ſe tantùm in ſuos hoſtes inuidiæ ſti-
mulis agitari, corripuit eum acriter Hugo, quòd pauperes egenoſque opprime-
ret, quòd immania tributa exigeret aliaque permulta congeſſit; exterritus ad
hæc Rex eorum aliqua excuſauit, alia germanè confeſſus eſt, emendandaque
promiſit.

Abeunte tandem Præſule, ad Proceres, Aulicoſque ſuos conuerſus Rex ait,
Si omnes Epiſcopi tales eſſent, nihil aduerſum eos poſſent Reges, & Principes; adeò
verum eſt formidandam & ipſis Regibus eſſe Sacerdotalem conſtantiam, ſi mo-
rum ſanctitati connectatur; De Præſule hîc vſurpanda ea meritò dixerim, quæ D
D. Petrus Damian. ſer de S. Steph. Beatus Petrus Damianus aliò eriuauit. *Fiducialiter agit, nec nutat, nec muta-*
tur mens imperterrita, quæ magis amat iuſtitiam, quam vitam; fidem, quàm ſangui-
nem; mortem, quàm iuſtitiæ taciturnitatem.

A Ne in re tàm lubricà aberremus, aliqua admonentur; tùm Episcopos ad contentiones inuicem euitandas, & ad mutuam concordiam sacros & sæculares Magistratus adhortamur. Cap. XXX.

B INTER acerbissima Religionis certamina, sæuissimasque procellas, quibus vel Ethnicorum, vel Hæreticorum violentiâ Christi fides oppugnata iniquissimè fuit, summâ in existimatione, & obseruantia, vt superius vidimus, habiti semper fuere Præsules & sacri administri, tùm dignitatis suæ titulo, tùm suarum ratione virtutum, quibus potissimum elucebant: quâ autem vel temporum, vel Dæmonum vi factum sit ignoro, vt pietate iam firmiùs solidatâ, ipsius pietatis columnis, hoc est Episcopis authoritas defecerit, & Christianâ sobolese vberius effundente, ergà Christi sponsos amor obseruantiaque tepuerit; adeo vt accommodare sibi illa, è Regio Vate verba valeat, *multiplicasti gentem, sed non magnificasti lætitiam*. Sanè humana prudentia, & quam vocant Status ratio tàm radicitùs sibi sæcularium magistratum animos occupauit, vt eorum administri, tunc summam eorum beneuolentiam sibi comparare arbitrentur, cùm sacri principatus rationes & iura aggrediuntur & vexant; hinc autem fit, vt Antistites, Sacerdotalem fortitudinem exercere non valeant, vel si exerceant, Isai. 9. 3.
C in scopulos adeo perniciosos impingant, vt morbo ipso sit medicina deterior: occasiones igitur extinguendæ, & abolendæ sunt, quibus eorum cogitationes & & iura fouentur: hæ autem ad tria capita, ni fallor, referuntur.

Vt à primo ducam exordium: è contentionibus hoc emanat, quæ inter ipsos Præsules frequenter exardescunt, vel ratione finium, vel potestatis, vel antecessionis. Ad Senonensem Archiepiscopum scribens Diuus Bernardus luculento sermone conqueritur, quòd non pauci reperiantur Antistites, qui licet tàm amplâ Diœcesi fruantur, vt duobus satis esse possit Episcopis, suam ambitionem peruetusto exoletoque aliquo priuilegio prætexentes suos vlteriùs fines porrigere contendant, & aliena bona conentur inuadere; Do verba Bernardi. *Rogo, quæ tam hæc odiosa præsumptio, quis hic tantus dominandi ardor super terram? quæ principandi tam effrana cupiditas?* Respondent, hoc à se præstari, vt sui populi iura tueantur, illisque adiumento sint, quos ad suum regimen spectare affirmant: *sed Ecclesiarum sponso non placet tale vnius incrementum, quod sit detrimentum alterius*. Quinam autem immanior error irrepere possit, quàm de leuissimis hisce contentiones aggerere, lites agere, Dei causâ omissâ, populo- D.Bernard. epist.42.
D rumque salute neglectâ?

Concordiam, & pacem diuinus Spiritus affert, non lites & iurgia, quæ in suis administris auersatur; hoc vt ipse significaret, cum Moysi septuaginta Socios impertiret in sui populi regimine administrando ait, *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis &c.* quis ignoret, è suæ opulentiæ thesauro tam diuitem à Deo spiritum in eos effluere potuisse, vt è Moysis spiritu nihil esset minuendum? omnes tamen eodem locupletare spiritu Deus voluit, vt illud sacri viri scirent, Diuinæ voluntatis esse, vt maximè sibi concordes eodem spiritu coalescerent & viuerent, omnemque prorsus contentionem à se remouerent; Petro Damiano hæc debes sic loquenti. *De spiritu Moysi vires dedisse Dominus dicitur, vt & ordinatores & ordinatos vnum debere spiritum habere, perspicuum doceatur, quatenus Rectores Ecclesiæ nunquam inter se diuersa sentiant; vnde schismata, aut* Num.21.7 D. Petrus Damian. l. Gratiss. c.14

hære-

hæreses pestilenter emergant: sed vnum omnes concorditer doceant, atque in vnitate
spiritus vnanimiter viuant: hæc autem non intelligenda solum sunt de ijs, quæ A
ad fidei dogmata referuntur, sed de quâcumque aliâ re, cuius vi turbari cha-
ritas possit.

Et sanè imbecillis animi est, suæ authoritati tàm anxiè euigilare, vt eius ra-
tione ad rixas & certamina deueniamus, eam charitatem denigrantes, quæ in
nostri muneris sanctitate debet potissimum elucere: quin, si profundiùs eorum
cogitationes & vota scrutemur, non rarò fit, vt sub authoritatis prætextu no-
stram ambitionem, vanumque nostri nominis honorem tueamur, qui frequenter
aliquorum Præsulum animos tàm violenter inuadit, vt Diuinam ipsam volunta-
tem illi postponant. Ionam hi sanè imitantur, qui miserandum excidium Mi-
niue vrbi præsagire detrectabat, eò quòd de diuinâ certus pietate metueret,
quòd, si pœnitentiâ, vt accidit, eius populi animus tangeretur, veniam facil-
limè impetrasset, sibique mendacis Vatis indecora nota inhæreret; quâ de
causâ, cum propitium numen erga Niniuitas inspexit, exacerbatus adeò est, vt B
Pone. 4. 3. ipsam mortem ad animi molestiam eleuandam affectaret *Propter hoc praeoccupaui*
vt fugerem in Tharsis; scio enim, quia tu Deus clemens & misericors es, patiens
& multa miserationis, & ignoscens super malitia; & nunc Domine tolle quaso ani-
mam meam a me; quia melior est mihi mors, quàm vita; An igitur, ideo trans-
fuga Deoque inobediens. Ionas, quia Deus erga Niniuem pius? Ità sanè,
suam namque diminui opinionem cogitabat ex illâ Dei singulari pietate. *Ego*
D. Basil. Seleu.or.12 *verò euersionem proclamans, mendax vates inueniar,* sic Ionæ personam induens
Basilius Seleuciensis pronunciat.

Sed longè alia nos Christus edocuit, cum Sobrinis suis, qui primas in eius
regno sedes matris patrocinio ab eo postulabant, respõdit, non potestatis suæ hoc
esse, sed Patris: *Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare*
Matt, 20. 23 *vobis; sed quibus paratum est a Patre meo.* Ita ne verò amantissimè Redemptor,
an non eamdem cum Patre potestatem tu quoque sortiris, & cum ad tuum Tri-
bunal omnes vniuersi causæ referantur & spectent, tuam authoritatem exuis, vt C
Arij nequitiam obarmes, eique gladium porrigas, quo tuam Religionem pro-
scindat, tuumque cruentet honorem? è tuis enim verbis sua mendacia suamque
blasphœmiam ipse confirmabit, impostor nequissimus, & te tuo Patre mino-
rem nefario sermone affirmabit. *Quid sibi vult non est meum? cur vocem ap-*
D. Basil. Seleu. orat. 12. *posuisti, ex qua Ario prabeatur impietatis occasio? cur tuis ille verbis in te insolescit?*
cur mendacium a veritate mutuatur? qui mundum produxisti, impar sis ad remu-
nerandum? Sic Eusebio respondet Ambrosius. *Sanctus & bonus Dominus mallet*
D. Ambr. l. de fide ad Gratian c. 32. *aliquid dissimulare de iure, quàm de charitate deponere.* Ne suis discipulis displi-
ceret, suam authoritatem obuelauit, & Deum se ferè nesciens, humanam tantùm
personam repræsentauit. Diuinum Præceptorem imitatus hac in re adamussim
Diuus Petrus fuit, qui vt Apostolorum Princeps & supremus totius Religionis
Præfectus Episcopum Iudæ successorem eligere suâ solum facultate valuisset,
Act. 1. 22. Ecumen. ibi adhuc tamen aliorum suffragia aduocanit, *se ipsum inuidia liberans erga ipsos,* sic
Aecumenius; satius enim duxit alienæ voluntati electionem illam committere,
vt mutuam fidelium charitatem seruaret & augeret, quàm cum aliquo Religio-
nis adhuc infantis discrimine alijs displicere. An non igitur nos terræ vermiculi D
calle tam diuerso incedemus, & vt dubijs, incertisque cogitationibus hæreamus,
contentiones intexentes pacem obscurabimus, & charitatem euertemus? quàm
dispari more se gerebat Diuus Malachias Episcopus, cuius gesta Diuum Ber-
nardum Oratorem admirandum habuere; hic enim ait, quòd dum alij *fælices se*
D. Bernar. in vit. Malac *se credunt, si dilatauerunt fines suos; Malachia in dilatandâ charitate gloriatur.*
Bar on. ann. 465. In Synodo Romæ coactâ coram Hilario Pontifice, cùm de alio Antistite Inge-
nuus Ebredunensis Antistes conqureretur, quòd suæ Ecclesiæ rationes sibi vsur-
pauerit, Episcopis alijs Hilarius causam delegauit, eosque damnans, qui in por-
rigendâ suæ Ecclesiæ ditione, curam omnem impendunt, aureum illud acroama
pronunciauit. *Expectatio fructus veri ministerij non in latitudine regionum, sed*
in acquisitione ponitur animarum.

Quia

Quia autem huiusmodi contentiones euitari ab aliâ parte non possunt, dum
A pars alia ei præstare præferrique contendit, illud primò exuendum est, vt propriâ authoritate aliena inuadas, & quæ diuturnâ possessione alter habuit, subitaneâ quadam & *de facto* violentiâ vsurpes. *Nihil enim est tam iniuriosum in conseruandis gradibus dignitatum, quàm vsurpationis ambitio*: è quadam Theodosij (l. 6. tit. 5. cod. Theod.) lege verba hæc habes: amicâ quâdam & beneuolâ ratione agenda primùm omnia sunt, quo prorsus modo, vt se quidam Præsul gereret ego rogaui, qui meæ Diœcesis fines inuadebat: ea Ego Hilarij Pontificis verba præferebam, eaque etiam, quæ ex Abrahamo habemus, *ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter Pastores meos, & Pastores tuos; fratres enim sumus*: His ille peramanter (Genes. 14. 8) acquiescens, facilè agnouit, iniquissimè suos administros contentionem illam excitasse: Cùm enim componere se amicè inuicem Præsules possent, charitatis lege permittitur, vt eorum quisque suas rationes ingenuè & fideliter exaratas superioribus suis committat, eorum arbitrio dirimendas; hoe namque modo
B tùm iustitiæ munus impletur, quæ exigit, vt suas quisque rationes tueatur, tum charitati prospicitur, nec datur offensioni locus, via etiam quæcumque obstruitur quâ prophani magistratus inter hasce Præsulum contentiones suam potestatem augere moliuntur; illud enim futurum sperant, quòd dum Præsules alijs implicantur quæstionibus, ne litigiosi videantur, eas quas ipsi excitant, dissimulent, obuoluantque silentio: hæc sanè ea sunt, quæ ex huiusmodi disputationibus oriuntur, & ingentem doloris materiam D. Nazianzeno dedere in hæc erumpenti. *Hac inquam tempestate, quâ mutuo bello membra inter se confligantur, & perijt quantulumcumque restabat charitatis; nomen iam inane est sacerdos, effuso videlicet in ipsos quoque Principes contemptu*. (D. Greg. Naz. orat. 1)

Inusitatum quidem non est, vt interdum sacros inter viros contentio aliqua excitetur; huiusmodi enim quis nesciat clarissimos etiam & pijssimos inter viros exarsisse? suæ non defuere contentiones inter Basilium, & Eusebium, Nazianzeno teste: inter Chrysostomum, & Epiphanium, Nicephoro referente, inter (Nazian. orá 20 n. 51. Nicef. l. 13 histor. c. 13)
C Augustinum & Hyeronimum Ruffino narrante, aliosque quàmplures Salmeron enumerat; cum enim hæ contentiones in diuersitate tantùm intelligendi versarentur, voluntatem nullatenus attingebant, nec mutuum amorem minuebant, & vt idem Salmeron ait, *Incolumi licuit semper amicitiâ*; horum & nos vestigijs adhæreamus oportet, si cæteroquin euitari non possint. (D. Aug. ep. 15. ad Hier. Salm. in acta tract. 45.)

Locum hic omninò habeat narratio quædam, quâ Ecclesiastica ratio singulariter submouetur.

Cæsareæ cuiusdam legis vi; quâ Phœniciæ Prouinciæ distinguebantur, contendêre nonnulli, vt plures vrbes Tyri metropoli olim subiectæ, ad Berytensis (Bar. ann. 451) Ecclesiæ ditionem transmigrarent, & ad earum possessionem celerrimè Eustachius Berytensis Antistes festinauit. Huiusmodi diuisionem ęgerrimè ferente Fotio Tyri Archiepiscopo, Synodalis conuentus in Constantinopolitanâ vrbe habitus de eâ fuit, cuius suffragia in ipsum pronunciarunt. Chalcedonensis Concilij suffragium ipse appellauit (sexcentos, annuente Diuo Leone Pontifice, hoc numerabat Episcopos) cuius arbitrio statutum fuit, vt vrbes ab Eustachio vsurpatæ, Tyrio Archiepiscopo redderentur, iuxtà legem à Synodo Ni-
D cenâ præscriptam, quâ statuitur, vt in qualibet Prouinciâ vnus tantùm Metropolita designetur: aureum illud effatum tunc temporis Patres doctissimi protulere, *Contra Canones nihil pragmaticum valebit*: *Regula patrum teneant*: qua- (Conc. Nic. c. 4.) propter pragmatica illa Cæsaris lex abolita fuit vt sacris legibus iniuriosa.

Optimè cuicumque innotescet ex his, quàm in Charitatem & iustitiam iniquè Præsules illi maiores procedant, qui minores Episcopos contemnentes, eorum sibi potestatem & rationes vsurpant, ex quo fit, vt despicabiles populis suis reddantur, & impares suæ dignitati seruandæ; aptissima hic ea mihi Philonis Hebræi verba videntur, qui de Castore & Polluce sermonem habens tam concordi animo sibi inuicem famulantibus, vt equissimâ sibi mensurâ lucem impertientes, totum sibi inuicem affulgendi tempus diuidant, hæc scribit. (Philon. in expos. litter.) *Ita exaquatis naturis disparibus, quæ quidem ratio fons est totius iustitiæ*. Sacra

omnia iura fontem suum in Petri Vaticanâ Sede sortiuntur; quapropter iustitiæ est, sua vnicuique concedere: modestiæ hæc etiam consonat, quam illustri ex- A
Rup. Abb. in Io. 9 4.1. emplo nobis Christus ipse præfetulit; vt enim Rupertus Abbas expendit, licet longè ipse Baptistæ præcelleret, noluit tamen, isto viuente, designatum sibi concionandi munus exercere.

§ I.

VT Sæcularium Principum ambitio quasi violentum tumidumque flumen coërceatur, suoque alueo receptum ad alia occupanda irrumpere non audeat, cauendum secundò sacris viris est, ne suis moribus dignitatis sanctitatem dehonorent suæque famæ decus obscurent; sicut enim populi, cum diligentior apparet Episcopus in suis rationibus custodiendis, quàm in morum candore seruando, maiorique pretio leuissima quædam suæ sedis commoda videtur habere, quàm spiritualia eius incrementa, superbiæ potius & immodicæ alacritati tribuunt eius defensionem: quâ de re, cùm Neapolitano in Regno Pontificij Oratoris ego vices impleui, insignem ego Præsulem non semel defendendum suscepi; sic ex aduerso, cum eius pietatem Deoque addictum animum inspectant, persuasum sibi habent, non è rixarum amore, sed è diuini zeli ardore contentiones illas excitari: hoc certè illud est, quòd ad Eugenium scribens D. Bernardus in Episcopis postulabat. *Vides omnem Ecclesiasticum zelum feruere solâ* D. Bern. de consid. l. *dignitate tuendâ? honori totum datur, sanctitati nihil, aut parum.* B

Ad Nepotem suum Theanensem scribens Antistitem Card. Bellarminus duo Bellar. ad mon. ad Ep. Thean. cõtr. 7. illi aperit facienda hac in re, quæ nunc temporis offensionum omnium lapis est, aulasque omnes sexcentis incommodis irretit: ex his ad rem nostram illud est, quòd scilicet ita se Antistites gerant, vt Principes eorumque administri animaduertant, ab huius modi contentionibus nos esse prorsus alienos & Diuinis tantùm stimulis vrgeri ad sacra iura propugnanda. C

Validissimus magnes ad omnium licet efferatissima corda trahenda virtus est, quæ validiores etiam vires habet, cum infulata magis elucescit; venerationem virtus sacris ipsis addit, & Principes viri, qui Principatus fastigio cæteris praecellere arbitrantur, & insolenti quodam supercilio, ac si humanam naturam exuissent, se alijs immiscere dedignantur, maiores Episcopos eos agnoscunt, & obsequuntur, qui virtutis studio vacant; nec tantùm à sacris vsurpandis abhorrent, sed ad eorum potius incrementum bona sua deuoluunt; Quis hoc in Machab. 9. Oniâ non viderit, de quo scribitur. *Propter Oniæ Pontificis pietatem & animos odio habentes mala, fiebat, vt & ipsi Reges, & Principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent.* Et vbertima sunt in sacris Annalibus virorum perillustrium monumenta, è quibus præcipuum sibi locum sortitur, quod de se ipso nobis Diuus Ambrosius subministrat: vix enim Mediolanenses Infulas induit, & sacris inauguratus fuit, vt tam erectum validumque animum Theodosio seniori eâ ætate Cæsari exhibuerit, vt Cæsar simul Theod. l. 4. c. 6. admiratione & pietate captus, Theodoreto narrante, pronunciauerit, se D quidem tanti viri libertatem & piam quandam audaciam apprimè olim agnouisse, eò tamen eligendo non tantùm non abstitisse, sed vltroneâ voluptate adhæsisse, eo animo, quo eximiè gauderet, tam illustri excelsoque Præsule Medio- apud. Amb. in præfat. l. de fide. lanensem sedem occupari: cæterum ad eius ipse vigilantiam ea omnia referebat, quibus eâ ætate miseranda virtus excoli potuisset, & humi iacens pietas subleuari. Illustrior etiam obseruantia fuit, qua eius sanctitatem prosequebatur Gratianus Cæsar & Theodosius, qui in re difficillima, & præceteris, quæ ad Cæsarem spectarent maxima, demississimo cultu eius magisterio se subiecit: hinc Bellarmin. illud de Ambrosio egregiè dictum, *si Ecclesia haberet suos Ambrosios, gauderet Theodosijs.*

Sanctus pariter Epiphanius Ticinensis Antistes Theodoricum Gothorum Regem obuium habens, non tantùm eximiè sibi beneuolum tam gloriosum Principem

cipem nactus est, at illustres etiam laudes eius ex ore collegit; suos enim purpu-
A ratos Rex alloquens, de eo pronunciauit. *Ecce hominem, cuius totus Oriens si-* In vit. s. Epiphan.
milem non habet, quem vidisse premium est, cum quo habitare securitas; quantum
etiam obsequij, quantum beneuolentiæ à Gibuldo Alemannorum Rege Norino- Baro. ann. 489.
rum, & Trecensium Antistites Sanctissimi Lupus, & Seuerinus obtinuerunt!

Theodoricus autem Galliarum Rex, & Clodouæi filius non aliâ de ratione Baron. ann 482.
Treuirenses Infulas Niceso Monacho imponendas contendit, nisi quia castigatus
ab eo frequenter fuerat pijssimis monitis: dignissimum etenim eum censebat, Baron. ann. 529.
qui maximis dignitatibus ornaretur, quem fortitudo tam illustris ornabat, vt ne
Regia quidem diademata aggredi formidaret.

Spectatissimus ex his etiam fuit erga Gulielmum Roschildensem Præsulem
Daniæ Rex Suesso; cum enim, eò quod Principes aliquos morti dederit eo
tantùm nomine reos, quòd de ipso iniquum sermonem egissent, cum è templo
sacri litui vi repulisset, & Carnificem non Regem appellasset, Rex non tantùm
B nullâ hinc iracundiâ efferbuit, sed paludamentum Regiaque insignia exutus, ex Baron. ann. 1077. n. 66
aulâ, quam redierat, nudis pedibus ad Templi fores reuersus fuerit, soloque
humillimè aduolutus, tellurem exosculans veniam ardentissimè postulauerit: ac-
cessit ad hæc Episcopus, Regemque amanter amplexus veniam petitam vltrò
obtulit, ciusque persolutas pœnas paternâ cum beneuolentiâ excepit; an credi- Ann. 10. 14 Ann. 1290. n 4.
deris ista nunc temporis ab homuncione omnium abiectissimo peragenda? ma-
gnus demùm Gothorum Rex lites nonnullas cum quodam Antistite agens, cius
integritate & sanctimoniâ deprehensâ, cius non tantùm petitiones non reijciens,
cuncta ei concessit, sed obsequentissimè eum veneratus, audaciæ suæ veniam hu-
millimè postulauit.

§. II.

C AD tertium iam accedamus ab Episcopis cuirandum, & à Cardinali etiam
Bellarmino significatum, ne scilicet inconsultas nec seriò ante discussas
contentiones ineamus: breui quidem sermo hic est, at maximè salutaris: re ve-
râ enim tanta contentionum rixarumque seges ex imprudentiâ plerumque deri-
uatur, cui si semel adhæreamus, ad nostri nominis decus tuendum, leuisque
animi notam fugiendam, alias superaddamus, & intexamus oportet: quapro-
pter in Præfecturis omnibus, quas ipse in Principum ditionibus obiuit, hoc pri-
mum ab illis enixè postulabam, vt suis administris significarent, ne celerrimâ de-
liberatione, & vt dicunt *de facto* in rebus ad potestatem spectantibus, sententias
ferrent, sed mutuâ quadam discussione, rationum pondera vtrimque librarèn-
tur; cum enim sua sacra meæ fidei committeret Deus, vtique etiam meam con-
scientiam obstringebat, ne Principum sæcularium iura vllatenus violarem, cum
vtrique sua sint danda, *hoc est quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*;
quapropter studium omne meum impendi, vt non tantùm obsequentissimè cum
D ijsdem Principibus me gererem, sed eorum etiam administros primarios, tum
muneribus, tum obsequijs mihi conciliarem, quod vtrique, Deo fauente, mihi
semper prosperè cessit. Hoc sanè primùm Diuus Gregorius Episcopis omnibus In vit. D. Gregor. l. 2 c. 34.
significabat, vt nempè cum Prouinciarum Præfectis lites omnes dirimerent
rixasque componerent, eosque potius sibi tum beneuolentiâ, tum beneficijs ob-
stringerent, cum è re diuinâ potissimum sit, vt sacri simul & sæculares Principes
tranquillè degant, & vnanimi amore versentur; cum è contra sacrorum con-
temptu, quo aliquando sæculares administri impudentissimè aguntur, sacros ma-
gistratus cogat, ad ea medicamenta apponenda, quæ cum acerbissima sint, e ui-
tare omnino vellent: Sic Diuo Augustino accidit, qui abstinere non potuit,
quin Comitem Africæ Bonifacium sacris interdiceret, eò quòd capitalis faci- Baron. ann. 422.
noris reum è Templi sacris, ad quæ confugerat, violenter eduxisset; quàm va-
lidè hac de re scripserit ad illum: hinc patet, quòd extractum reum ad Templum
Comes emendatus reduxerit.

Mystico in Ecclesiæ corpore duorum oculorum instar Regnum & Sacerdotium clucescunt. Christianæ Reipublicæ duas appellauerim manus: Solem, & Lunam in Cælo Catholico coruscantes dixeris: quanta igitur toti orbi pernicies imminet, si discordes inter se fuerint animoque disiunctæ: concordent igitur simul mutuisque se auxilijs, & præstitis inuicem viribus se ad iuuent, eodemque sibi fine proposito, vnanimes ad eum attingendum accedant; aptissima ad hoc exprimendum ea mihi videntur, quæ perelegans Cassiodori calamus exarauit. A

Cassiod. l. 10 ep 3. *Astra ipsa mutuo reguntur auxilio, & vicario labore participato mundum suis limitibus administrant: ipsi quoque homini duplices manus, socias aures, oculos geminos diuina tribuerunt, vt robustius perageretur officium, quod duorum fuerat societate complendum*; hæc eadem in totam humanam Rempublicam emanabit vtilitas, si amicâ simul vi conspirauerint thiara & corona, lituus & sceptrum. Hoc etiam Deus intendens præcepit, vt concordi simul animo Moyses & Aaron, Iosuê & Caleb iungerentur: & cum repetitis mandatis vetuerit, ne cùm diuersæ Tribus fœminis connubia sua inirent Hebræi, in tribu Leui & Iudæ, hoc est Sacerdotali & Regia legem hanc aboleuit, vt nuptias simul agerent & sanguinem commiscerent: è mente hoc est Diui Epiphanij, Theodoreti, Sancti Ambrosij, aliorumque, nec plurima in sacro codice desunt, quibus etiam Lyranus rationem huiusmodi superaddit, *fuit concessum, vt sacerdos posset accipere vxorem de Tribu regia, vt & Rex, & qui præessent in spiritualibus, essent magis concordes; quod ad bonum regimen populi magis faciebat.*

Leuit. 21. 14 Num. 36. 7. & 9. D. Epiphan hæres. 78. Theod. q. 16 in Exod. 52 io num. D Ambr. l. 3. in Lucâ. Lyran. in Leuit. 21. 14 Num. 33. B

Eam loquendi formulam ad rem hanc Origenes expendit, quâ Hebræi populi ab Aegyptiacâ captiuitate fugientes memorandum facinus sacrarum historiarum scriptor narrat: *In manu Moysi & Aaron*, Duo hi erant, sacerdos alter, alter Rex quatuor igitur ipsi manus habentibus, cur dixitur eos *in manu duxisse? in manu Moysi, & Aaron eduxit eos Dominus, & non in manibus: vnum enim opus vtriusque manus est, atque vna perfectionis expletio*; sic ille sibi ipsi respondet.

Orig. ho. 7. Exod. 4. 17. sed illud æque perpendendum, quòd cum Deus sceptri instar Moysi virgam daret, cuius imperio ipsum imperantem Pharaonem coërceret, Aaroni tamen Moyses dixerit, *Tolle virgam tuam*, cum potius dicturus ei videretur *virgam meam?* soluit hæc sui acumine ingenij Diuus Augustinus his verbis. *Erat vtriq. virga illa communis, vt cuiuslibet eorum diceretur, verum diceretur*; Arctissima namque debet esse concordia, qua connectendæ simul sunt sacra prophanaque potestas, vt spiritus Dei, *qui facit concordiam in sublimibus suis*, in eis immorari innotescat. C

Exod. 7. 9. D. August. q. 20. in Ex.

Iob. 25. 2. Zacch. 6. 13 Ad hanc pariter mentem ea Zachariæ fatidica verba magnus scriptor Hieronymus interpretatur, *Et erit sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos*, hoc est inter maximum Sacerdotem & Ducem Zorobabel, de quo prius sermonem habuerat; vt igitur vtraque potestas eluceścat, sibi inuicem beneuolentiâ concordi lucem viresque refundant. *Et consilium pacificum erit inter vtrumque, vt nec regale fastigium sacerdotalem deprimat dignitatem, nec sacerdotij dignitas regale fastigium: sed in vnius gloria Domini Iesu vtrumque consentiat.*

D. Hyer. in 6. Zacch. 13

Solis Lunæque Principatum suæ vocis lege Deus seiunxit, diem illi, noctem isti tradens illustrandam: statutis autem traditisque limitibus adeò vnumquodq; horum syderum lucem suam circumscripsit, vt ne vno quidem momento temporis alterius authoritatem sibi alterum vsurpauerit: quin, cum Iosue imperante, admirando prodigio steterit Sol, Luna etiam stetisse dicitur, ne Solis moras ipsa præcurrens maioris syderis iura violaret: hæc illa concordia est, quàm inter Sacerdotium, & Regnum, Solem scilicet inter & Lunam Deus exigit, sacrorum diem ille moderatur, hæc temporaneis temperandis præest; suos igitur fines quodlibet sydus custodiat, suos limites patiatur; his duobus Reipublicæ fœlicitas coalescit, & populorum fortuna fulcitur. *O quam benè conueniebant hæc duo luminaria! quam splendidè ex hoc spirituali firmamento lucebant; quam optimè inter dies & menses, & tempora & annos distinguebant, Rex scilicet, & sacerdos in suis se gradibus continentes*. Sic egregiè Aelredus, Si igitur commissos sibi fines suum D

Iosue 10. 13

D. Ailred. serm. 10. in Isa.

Luna

Luna dum Sol dedignatur, ordineque perturbato alterna voluerit vsurpare & in A alterius orbem irrumpere, an non splendore quolibet obscurato tenebris vrbes obruet, populos caligantes efficiet? zelum & iustitiam prætexentes, zelum ipsum extinguunt, iustitiam ipsam euertunt, & virtutes ipsas vertunt io vitia, adeo vt iniqua æquitas, & zeli loco praua quædam furentis animi libido videatur; illud igitur cum Abbate Cellensi pronunciemus. *De Castris virtutum eijcitur virtus, quæ præter ordinem euagatur: perdit enim virtutis nomen, qua egreditur ordinem, virtus igitur non est, si ordinata non est.* Abb. Cell. l.... c.13.

§. III.

VErum si contigerit, vt in sacram segetem falcem suam sæcularis potestas velit immittere, & irruptione iniquissimâ aliena sibi vsurpare, euigilan-B dum illicò Antistiti est, & ad sua seruanda animus erigendus; benignè tamen & moderatè se gerat velim, vt ab odij iracundiæque præferendis notis abstineat; perniciosissima erit Episcopo ipsa victoria, si charitatem pugnans amiserit; magnanimos quidem in suâ causâ tuendâ nos Deus efflagitat, sed modestos simul & benignos; si pro Diuinâ gloriâ sacroque cultu pugnatur, accommodanda fini tam pio sunt media, nec accomodari vllo modo possunt, nisi ea virtutis dexrera moderetur. Disceptantibus simul Ioanne Syracusano Antistite, & Venantio Patritio, nec honestum in contentione modum seruantibus, vtrumque Pontificiâ authoritate Diuus Gregorius castigauit, & Patritium acerbiùs corripuit, eò quod ad vim Episcopi repellendam arma & milites adhibuerit. *Nunquid non poterat, qualibet contentio fuerit, tranquillè disponi, vt nec partium vtilitas detrimentum, nec sentiret gratia læsionem.* Sic ille; postquam verò ei ostenderit è sua contumaciâ coactum Antistitem fuisse ad suas vires exerendas, ad obseruantiam debitam ei præstandam validè adhortatur; *Nam, cum quo fidam estis grattam habituri, si vobis quod absit, cum sacerdote fuerit discordia?* D.Greg.l.5 epist. 42. D.Gregor. l.5. ep.43.

C Ad Episcopum ex aduerso scripsit, quòd licet ille Patritius ad illa in eum supplicia inferenda eum coëgisset, hæc tamen adhuc omnia peragenda sunt inoffensa & incolumi charitate; vt igitur oblationes eius exciperet eum monet, vt facultatem ei faceret in suo Oratorio Diuinam hostiam litandi, & si fortè ab eo petijsset, vt rem sacram in Oratorio ipse faceret, petitioni eius indulgeat, pristinamque amicitiam omninò resarciens, suæ causæ defensionem benignis moribus prosequatur. *Oportet namque filij sacerdotalem vos affectum impendere, & in causis prout ratio suffragatur, iurisdictionem Ecclesiæ vestræ minimè præterire.* D.Greg.l.8 epist. 58.

Aliàs etiam simul inter se de potestate rixantibus Bonifacio Regiensi Antistite & Gregorio olim Præfecto, ad litem amicâ ratione dirimendam Præsulem adhortatus est Magnus idem Gregorius; quod si fieri non posset, quàm celerrimè iustitiæ suffragio absolueretur, ne Pastoralis muneris charitatem læderet, eamq; concordiam abrumperet, quæ summoperè necessaria est ad populos piè sanctèque dirigendos; do eius verba. *Sacerdotali procul dubio conuenit grauitati, vt* D *si quas Ecclesiæ sua causas habuerit, aut pacifica eas ordinatione, si fieri potest, aut certè iudicio interueniente sine morâ definiat; vt sublatâ è medio contentionis materiâ sola illa tum filijs suis pacis possit concordia permanere.* Quo prorsus modo se D. Franciscus Salesius Gebennensis Hyerarcha gerebat. Girard in. eius vit.l. 3 c. 9.

Non igitur Principes eorumque administri ægrè ferant, quòd sacri Præsules in sacrâ potestate propugnandâ euigilent, eamque vim cogitationis impendant, quam sine ingenti crimine omittere non possunt: quâ ratione semper ego excusatum me habui, quotiescumque in re sacrâ tuendâ me totâ laborantem industriâ Principes sæculares inspiciebant (quæ autem hâc in re mea fuerit diligentia, colliget abundè lector è duobus meatum decisionum voluminibus): conqueri quidem illi possent, si in earum defensione immoderato ardore raperemur, qui fanè eò citiùs fugiendus nobis est, quò grauior pernicies est, quæ ex huiusmodi

rixis

rixis in nostram religionem infertur; quòd si ad pacem concordiamque seruandam sacra iura negligere non licet; quàcumque enim rixâ deterior istâ pax esset, A
D.Nazianz l. de pace. to. 1. quandoquidem, vt ait Nazianzenus, *Ea demùm ona est pax, quæ bone, & ipsi Deo nos coniungit; sine quà melius est dissidium, peccatis cantà ortum, quàm vitiosa concordia*. Sic ad eadem iura tuenda pro nostrarum imbecillitate virium seruanda pax est, suàque charitas sede retinenda. Ad alienas vires exterosque conatus retundendos fortitudo quidem exigitur, sed prudentiæ est fortitudinem moderari, ne desciscat in furorem, quin ipsam audaciam, Angelico docente, fortitudo ipsa moderatur.
D.Th. 2. 2. q 123. ar. 3.

D.Greg. l. 1 ep. 62. & l. 4 epist 32. l. 1. epist. 30. l. 4 ep. 34. In Pontificià simul virtute, & paternâ erga Principes charitate coniungendâ, eximius & verè admirandus Magnus fuit Gregorius; animo ad omnia impauido sacras ille respropugnabat, sed eâ modestiâ simul excellebat, vt Pontificiam ferè maiestatè obliuisceretur; duabus ex epistolis clarissimè hoc patet, quas ad Mauritium Cæsarem & ad Cæsarissam inscripsit. Charitatem hanc prudentiæ legibus directam Diuo Thomæ Cantuariensi Antistiti, strenuissimoque postea Romanæ fidei propugnatori maximè commendauit Alexander Tertius Pontifex Maximus, B dum cum Rege Britannico altercaretur; penes Cardinalem Baronium duas epistolas hac in re habes: ex aliâ autem Epistolâ apud eundem Baronium, quâ Londinensi Episcopo respondet, clarissimè innotescit, quàm prudenter & amanter pius ille Antistes cum Rege processerit; eatum sanè alterâ hæc demùm statuit. *Malumus enim ipsum in patientià & mansuetudine vincere, quàm enim aliquo modo grauare, quandiù id poterimus sustinere*.
Baron. ann. 1164.

Petr. Blesf. epist. Sapient. 81. Epistolis validissimis Aurelianensem Episcopum Petrus Blessensis confirmauit, vt Philippi Regis animum amoueret, à tributis quibusdam in sacros viros imponendis, quibus ille magnanimus Princeps, vti mens erat, ad Hyerosolimitanum Imperium à Barbarorum captiuitate victricibus armis liberaudum; in eo autem faciendo eum admonet, vt licet impauido animo res sacras in Regem propugnaturus esset, suam tamen fortitudinem piâ quâdam lenitate temperaret. *Vt si fortis est sermo, nihilominus sit suauis, diuinam Sapientiam imitatus, quæ fortiter, suauiterque vniuersa disponit*. C
Petr. Blesf. epist. 10.

Eodem stylo scribens idem Blessensis ad Gulielmum, qui eò quòd à Regijs Confessionibus esset, Episcopatuum dignitates conferendi facultatem sibi vsurpauerat, *quòd primò vsus es blanditijs, prudentia adscribo: non enim lenibus exasperandi sunt Principes; sed temperantius corrigendi*. Ex aduerso autem eum animaduertit, eò quod præ nimiâ clementiâ languisset; quod etiam in alio Presbytero nimium eneruì rursus reprehendit; cui respondente Illo, quòd à Diuino sacrificio mel arceretur, Blessensis significauit mel quidem sacris ab aris excludi, sed eius primitias à Deo probari & excipi: duæ namque lenitatis species dantur, quarum vna prudens & cauta est, & Principibus apprimè necessaria, qui facilius suauitate quàm seueritate flectuntur; altera verò vituperanda omninò est, vt potè quæ Antistitis animum eneruans, timorem & silentium in eum infert, adeò vt ex illis canibus mutis fit, quos Isaias vates carpit. Quia verò frequenter fit, vt minores administri, tùm vel lucri gratiâ, tùm prauæ cupiditatis ardore Principes in Episcopos obarment, eorum prudentiæ est eos in officio continere, nec integram fidem sinistris eorum sermonibus adhibere; eorum audaciam compescant, cum sæpiùs fiat, vt è cupiditate, quam ostentant eorum potestatem tuendi, contentiones ex aliquâ vtilitate concitent, factisque infulis obseruantiam venerationemque deperdant. His alijsque id generis vti frequenter mihi licuit, cùm Pontificij Oratoris munus in Regno Neapolitano agens plurium Episcoporum causam apud Proregem, Regiumque Collateralem propugnaui.
Petr. Blesf. epist. 100.
Beuil. 2. 11.
d. c. 12. D
Isai. 56. 10.

Quàm

A Quàm ampla potestas ea sit, qua tum à Deo, tum à Principibus Episcopi exornantur. Cap. XXXI.

POTESTAS quâ decorantur Episcopi; longè maior ea est, quam prophani politicique viri definiunt. Omitto quòd à primis vsque fidei Christianæ crepundijs potestatem suam in *Lythurgos* omnes habuerint; quâ de causâ ad Timotheum Ephesinum Præsulem scibens ait Apostolus, *Aduersus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, uel tribus testibus*, ideoque in Synodis peruetustis Milleuitanâ, Carthaginensi tertia, Agathensi, & Chalcedonensi pro- 1. Timot. 5. 19 Conc. Moleu. c. 19 Carth 3 c 9 Agathen c. 32, Calcedon. c. 9.
B bentur sacri viri, ne ad prophanum iudicem iudicandi accedant, cum eorum iudicium ferendum ab Episcopo sit. Illud etiam luculentiùs enuncio, laicos ipsos, & sæculares viros eius potestati subiacere; baptisma ipsum reprobare videtur, qui se ab Episcopi imperio subduxit; vt enim ex hominum consensu tanquam è fonte sæcularis Principatus emanat, sic ex eodem Deo suum exordium sacer habet Principatus, & est de *Iure diuino* tùm in sacris, tùm in politicis rebus; Principum & Conciliorum suffragio hæc roborantur, eodemque modo, quo homines vt homines Regi subijciuntur, sic Christiani vt Christiani Præsulem regimine gubernantur: præter Bellarminum hæc docentem, vberiùs, & antiquius hæc eadem pronunciauit Cardinalis Bertrandus, in veterum Patrum Bibliothecâ enumeratus. In Melchisedech designatum fuisse Christum Dominum, & in omnes populos potestatem à Deo habuisse quis nesciat? *Dabo tibi gentes hæreditatem suam, reges eos in virga ferrea*: quodsi ceruicosi ipsi fuerint, *tanquam vas figuli confringes eos*. Hanc autem potestatem Episcopis ab eo communica- Bertrand de orig. Iurisd. q. 3. Biblioc. patr Bellar. de Roman. Pontif. l. 1. c. 7 10. & de cleric. c. 28 in amor. vener. ann. 1 99 ps. 109 Heb 6 7. Ps. 2. 8. & 9
C tam docet Cardinalis Baronius; quâ de causâ ad Tiatirensem Præsulem scribens Diuus Ioannes ait, *Qui viceris, & custodieris vsque ad finem opera mea; dabo illi potestatem super gentes, & reges eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur; sicut & ego accepi a Patre meo.* Apoc. 2 26

Virga hæc, quæ lituus est, tribus partibus, quibus constat, triplex Episcopi ministerium describit; in superiori parte vnci speciem ipsa præfert, in mediâ recta est, in extremâ, aculeo ferroque munitur; trahendi enim sunt veluti vnco populi ad Christi fidem, probi regendi, improbi castigandi, quæ omnia vno carmine quidam vates expressit.

Curua trahit, quos recta regit, pars infima pungit.

Christum autem tùm Sacerdotali, tùm Regiâ potestate Apostolos decorasse Diuus Ephiphanius latis docet. *Regnum Dauid vnà cum Pontificatu transtulit, ac largitus est seruis suis; hoc est Pontificibus Catholicæ Ecclesiæ*: quod ipsum vaticinatus Dauid fuit. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos Principes super omnem terram*. Quæ de Episcopis intelligi, tùm Græcorum, tùm Latinorum Patrum suffragio superius latè probauimus. Ità tamen intelligas velim, vt D Epiph. hæres. 29. Psal. 44. 17. sup. p. 1. c 2 Hieron. & August
D nequaquam temporaneum & prophanum Regnum euerterit Christus, cùm potius id ipse confirmauerit, sed quod sacro Principatui illud subiecerit: indicat hæc Cardinalius Baronius, at solidiùs & diligentius probat Cardinalis Bertrandus, qui suprmam Episcoporum esse potestatem pronunciat: quapropter *ad omnia se extendit, & ab ipsa omnis iurisdictio Principum sæcularium dependet* &c. Cùm enim ad æternam beatitatem tanquam ad finem sibi obiectum Sacer Principatus dirigatur, prophana potestas in temporaneis tantùm vitæ ciuilis bonis versatur & sistit, & quia humana hæc omnia bona ad æternam beatitudinem sunt à Christi fidelibus intendenda; hinc fit, vt ad ea omnia Christianorum operâ sacra potestas porrigatur, quæ possidendæ beatitati conducunt; eòdem enim media spectant & finis: licet autem ad sacra & spiritualia bona primario sacra potestas referatur, quia tamen hominum improbitate temporaneis rebus sacræ turbantur Theodor. & alij in ps. 44 Baron. ann. 67. Bertrad. de orig Iurisd. q. 3.

& præ-

& præpediuntur: idcircò fit, vt omnia eaobstacula, quibus à Beatitatis possessione populi repelluntur, repellere teneatur Antistes, eosque simul moderari, & animaduertere, quos vel suæ vel alienæ saluti impedimento esse cognouerit. Cuncta hæc perdoctè habes à Purpurato scriptore Bertrando. A

1. & 2. Tim. Tit. epist. vnic.

Ex epistolis etiam ad Timotheum Ephesimum & ad Titum Cretensem Præsulem scriptis clarissimè innotescit, amplam illis potestatem impertiri in ijs omnibus licet temporaneis, quæ aliquo modo ad peccatum referuntur: Corinthios etiam acerbè redarguit, eò quòd sacros Iudices omittentes, ad Ethnicorum Iudicum tribunal lites suas afferrent. *Audet aliquis vestrum habens negocium aduersus alterum iudicari apud iniquos, & non apud Sanctos*, vbi expendit Diuus Ambrosius, dici haud quaquam, *apud Episcopum*, eò quòd in eâ vrbe non dum esset Episcopus.

1. Cor. 6. c relatum 14. 11. q. 1. D Clemen. epis. 1. ad Iacob. D. Ambros. ibid.

Ad Episcopos populi certatim confluebant tanquam ad Iudices, qui de litibus suis sententiam ferrent, adeò vt non leuiter conquereretur Diuus Augustinus earum ingenti copiâ se obrui, & ferè satiscere; aliàs etiam amanter dolebat, B quòd Episcopali sacerdotio tantum onus, quod in laicis de temporaneis rebus iudicandis expetiebatur, Apostolus addiderit. Rursus Alexander Primus encicilicâ in Epistolâ, quam apud sacros Canones habes, eos obiurgans, qui Liturgos ad sæculares Iudices attrahere contendunt, in eos validè inuehitur, tanquam in legum diuinarum nequissimos contemptores, *cum magis Apostolus Christianorum causas ad Ecclesias deferri, & ibidem terminari præcipiat*, illud hic indicans, vt Canonum magistri docent, quod idem Diuo Iacobo Hyerosolimitano Antistiti, & in Episcopis omnibus Diuus Clemens præcepit. Quantum verò laboris & curarum in hoc Episcopi impenderint, ex eo abundè comprehendas, quod de Diuo Gregorio Thaumaturgo Diuus Gregorius Nazianzenus memorat, & de Diuo Ambrosio Diuus Augustinus, qui de se ipso idem testatur, & suo suffragio Possidonius roborat. Cyrenensis etiam Antistes Synesius, qui octuagesimo quarto anno suprà quadringentesimū floruit, turbæ & tempestatis nomine eorum numerum describit, qui ad eius arbitrium confugientes assiduè eum obsidebant, quorum molestiam vt tandem euitaret, sacris se abdicare infulis statuit, & Prouinciarum Præsides ex iniustâ populorum administratione acriter castigauit. C

D. August. epis. 135. D. August. de oper. Monah. c. 29. c. relatum. 14 11. q. 1. D. Clemen. epist 1. ad Iacob. D. Nazianz orat. de laudib Thom. D. Aug. l. 6. conf. c. 3. D Aug de oper. Mon: c. 29.

Potestas igitur etiam in sæculares viros tùm à Christo, tùm ab Apostolis impertita fuit Episcopis; ipse etiam Constantinus Cæsar sancitâ lege sæcularibus omnibus permisit, vt in Ciuilibus causis ad sacrum Præsulum tribunal possent accedere, quod postea etiam confirmarunt Arcadius, Honorius & Theodosius illud etiam addentes, quòd Iudices alios prouocare non possent, qui sacros Iudices elegissent; in Theodosiano etiam codice, & in decreto Theodosij legem à Gratiano relatam & ampliorem habemus, vt scilicet, quæ iam à sæculari iudice agi cæpissent causæ, vel ante, vel post contestatam litem, si vnà è litigantibus pars appellauerit, licet alia reluctetur, transferri ad Episcopum possint, cuius sententia tanquam certissima habeatur, nec appellationem vllatenùs patiatur, quam subindè legem Carolus Magnus toto suo imperio potissimâ Europæ parte circumscripto confirmauit.

Sinef. ep. 12. & 57. l. Episcop. 2 C. de Episc Audien. C. Theod. l. 16. l. 11. c. quicumq; 35. & c. seq. 11 q. 1. c. volumus. 37. 11 p. 1. Conc Arelat. c. 7. Baron. ann. 314 n. 75.

Quin in Arelatensi Synodo sexcentis Episcopis coram ipso Constantino coactâ eorumdem Episcoporum regimini & censuræ ipsimet Prouinciarum Præsules subiecti fuere; quod postea imitatus Iustinianus fuit, qui præcepit, vt prouinciarum præfectis Episcopi præessent, & de prauâ eorum administratione, si quæ fortè fuerit, eos admonerent. In Moguntinâ item Synodo Leone tertio Pontifice imperante coactâ; præcipitur, vt Comites, quorum dignitas & potestas suprema erat, & sæculares Iudices vrbis Episcopo paratissimè obediant. Arnulphus item Germaniæ Rex in Triburiensi Concilio, quod Formoso Pontifice approbante, coram ipso Arnulpho actum fuit, statuit vt si fortè diuersa & aduersa mandata Comitis & Episcopi de re aliquâ facienda simul conuenirent, Episcopi mandatum mandato Comitis præhaberetur; quæ, si recentes politici accuratè perpenderent, vt ait Cardinalis Baronius, ingenti se rubore persunderent. D

Baron. ann. 535. & 11. Baron. ann. 813. Baron. ann 875.

Illustrior etiã modestia fuit, quâ suam pietatem exornauit Gregorius Hispaniæ

Rex

A Rex in Occumenico Toletano Concilio, quod, Diuo Leone Secundo Pontifice imperante, habitum fuit; præcepit enim, vt res ad suam ipsam potestatem spectantes, & quod magis est, ad dignitates & bona ijs restituenda, qui cum Ilderico Tyranno in Regium nomen conspirauerant, Episcoporum suffragio dirimerentur. Baron. ann. 683.

Valentinianum & Valentem Cæsares omitto, qui singulari lege statuerunt, vt ad Reges spectaret, mercium omnium pretium designare, vetuitque mercatoribus, ne illud vllatenus violarent, quam etiam legem Athalaricus, Honorius, & Theodosius statuerunt ad ea tantùm, quę Peregrinis venduntur, & vt eos animaduerterent, qui molesti illis essent, quos Christiana pietas ab Ethnicorum captiuitate liberauerat. l. 1. C. de episc. aud. Cassiod. l. 11 ep. 2. l Christian. 12. C eod.

§. I.

B H Inc validè, ni fallor, eâ omnia roborantur, quæ hac de re in aliquâ è meis decisionibus olim statui, in qua etiam obiter ea indicaui, quæ hinc ad commodum sacri fori deriuantur. Hinc etiam liquet, quàm alieni antiquitùs Pij Principes fuerint, vt ne in sacris causis se immiscerent, cùm potius gloriosum suo nomini ducerent Antistitum potestatem amplificare, & ad eorum tribunal forenses ipsas & prophanas causas aduocare: audi Baronium. *Vnde magis lector deploras nostra miserrima tempora, quibus nihil sollicitiùs, vigilantiùs, ac vehementiùs Præsides Prouinciarum agunt, quàm ut Ecclesiasticum tribunal solitarium reddentes, causas ecclesiasticas su sæculare indicium quibusuis prætextibus trahant.* Author. in decis. for. Eccles. n. 48 & seqq. p. 1. Baron. ann. 683.

Eò validiùs hoc idem á Christianis oculis fletus vberrimos exprimet, quò certius habemus, non apud Romanos tantùm, Tullio narrante, augures, qui apud Ethnicos Clerum constituebant, supremâ authoritate præstasse in ipsa Consulum & Senatus decreta, sed ipsas etiam inter efferatas gentes, suorum Sacerdotum C arbitrio, res suas populos & magistratus omnes committere, quarum plurimas Baronius idem breui stylo recenset; egregiè igitur Valerius Maximus, *Non dubitauerunt Sacris Imperia seruire.* Cic. l. 2. de legibus. Baron. ann. 57. n. 34. Val. max l. 1. c. 1.

Profectò Cæsar ipse pretiosissimam præ omnibus, quas numerat in Cæsareo Diademate gemmis, illam habet, quæ in obsequio consistit Romanæ Ecclesiæ eiusque administris allato; do Ambrosium: *Quid honorificentius, quàm ut Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur.* Gloriosum maximè Principibus est, vt Apostolorum successoribus, quibus Deus idem eos verbis illis subiecit, *ad alligandos Reges eorum in compedibus*, se vltrò ipsi subijciant; sanè de eis verba illa Augustinus explicans ait, *tales enim compedes consolidat nobis Episcopi manus.* D Ambros. orat. contra Auxent. Psal. 149. & D. Aug ib.

Quàpropter cum solemni ritu Rex Galliarum quis inauguratur, & in regio solio collocatur, ad debitam erga sacros viros obseruantiam venerationemque ferendam ab Archiepiscopo præclaris illis verbis admonetur, *quantò Clerum sacris altaribus propinquiorem perspicis; tantò ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris; quatenus mediator Dei & hominum, te mediatorem Cleri, & plebis permanere faciat.* In Cerem.

D Elegantissimam hic ego præterire comparationem non possum, quam sacram inter & sæcularem potestarem Diuus Gregorius Nazianzenus intexit, & communi suffragio Magistrorum Senatus amplectitur: ea autem hæc est, quod sicut in homine caro simul & ratio microcosmum, vt aiunt, componunt, sic in Catholicâ Religione sacra simul & sæcularis potestas mysticum Ecclesiæ corpus coagmentat; sicut autem in homine rationi subiacet caro, & tunc solum rationi caro præcellit, cùm perduellis more in eam assurgit, & rationis est, carnem ad suum imperium flectere, moderari, & interdum mulctare, non verò carnis est rationem vllo modo gubernare & dominari; sic propè sacræ potestatis est sæcularem dirigere, moderari, suoque imperio eam exercere, & animaduertere, non verò sæcularis potestatis est, sacram vllo modo dirigere, vel coërcere, nisi, vt aiunt, *de facto* & quâdam tyrannidis violentiâ, quam rebellis exerceat, D. Nazianz. or ad prop. simper.

Principatuum Regnorumq; fœlicitatem tunc haberi, cùm Ecclesiasticam potestatem & Iurisdictionem Principes foueant, tueantur, & patrocinentur. Cap. XXXII. A B

NVLLA me admiratio subit, quòd ij Principes Regesque, quos superiùs
memorauimus tantâ bonorum affluentiâ locupletati diuinâ manu fuerint;
è suâ enim liberalitate, qua sacram nostræ Religionis potestatem amplificatunt, B
ad eorum fœlicitatem augendam seruandamque Deus ipse præparauit.

Opulentissimum omnium patrimonium, quibus ditescat Christiana Religio,
iurisdictio est, tùm ex honotificentiâ, tùm ex vtilitate, quam affert: pretiosis-
simam dotem hanc esse dixeris, quâ eam cælestis sponsus ex inexhausto suæ
omnipotentiæ thesauro dirauerit simul & dotauerit: quid igitur mirum, si ad eam
sibi seruandam oculatissima sit? eius studium imitati Principes toti etiam ipsi sint
in eâ seruandâ, obseruandâ, fouendâ. Ethnicis ipsis hæc vera Principum scien-
tia, & status ratio, vt vocant, apprimè innotuit: E philosophorum enim ma-
ximo habemus, potissimum & maximum omnium in Principem administrando
negotium, in eo statuendum, vt res ad cultum nomenque Dei spectantes seruent,
Arist. 7. Polit. c. 8 tueantur, amplificent: *In omni Republicâ primum est curatio rerum diuinarum*.
Ad Regna seruanda, Principatus fulciendos, nihil æquè necessarium est, ac Dei
cultus, Deique administris præstita veneratio, sacræ ditionis patrocinium sa-
crorumque fauor. Tullius, Plinius, Valerius Maximus, præter Diuum Augu- C
Cic. l. 1. de natura Deor. Plin. l. 14. natur. hist. Valer. l. 1. & 4. c. 1. D. August. l. 5. de Ciuit. Dei c. 24. Nicef. l. 3. hist. Eccles. c. 1. stinum, vniformes in hanc venere sententiam: sanè Constantinus re & nomine
Magnus nullam opulentiorem hac veneratione hæreditatem filijs suis, teste Ni-
cephoro, moriens ex testamento reliquit.

His politicis artibus è tenuissimo exordio in tàm amplam magnitudinem se
Respublica Romana porrexit, vt leges omnibus imponens, imperium terris
æquaret, suumque principatum in edomitis tot Regum ceruicibus collocaret;
maximè hoc illi cordi fuit, vt quæcumque ad religionem referrentur, seruanda
sibi & fouenda essent, & ad sacra præsertim propugnanda, tùm arma stringenda,
tùm sceptrum vibrandum; hoc illa ingenio fuit vsa, vt suam sibi fœlicitatem
moliretur, & è Cælo eam traheret bonorum omnium opulentiam, quà regna &
Principatus efflorescunt, volubilem fortunæ impetum cunctantes & deridentes;
sed accipe Valerium Maximum. *Omnia post Religionem ponenda semper Romana*
Valer. max. l. 1. de relig. c. 1. exẽp. 9 *Ciuitas duxit; quapropter non dubitauerunt sacris imperia deseruire: ità fœlix hu-*
manarum rerum futurum regimen existimantes, si diuina potentia benè, atque con-
stantèr fuissent famulati. Et quamuis commentitia & illusoria ea Religio esset,
nec alia numina haberet, quàm ridicula & inania nomina; adhuc tamen Deus D
optimus maximus bonorum omnium largitor & author eorum rectam volunta-
tem non indonatam reliquit, vt Christiani Principes ab eis addiscerent, validis-
simam ad Principatuum fœlicitatem fulciendam basim esse religonem & sacro-
rum omnium reuerentiam; hoc certè fulcimine si Principatus destituantur, quò
maior erit imperij moles, eò faciliùs ruet, quò fulgentior erit præ gemmarum
onere corona, eò celerior ad interitum erit: Luculentèr hæc Valerius idem
Maximus probat, multisque appositis exemplis confirmat. Duo hìc Aquinas
D. Tho. op. 20 de regim. Princ. l. 2. c. 16. Magister addit; Alexandrum primò Macedonem affert, qui Hyerosolimæ vrbem
expugnaturus, vt supremum Pontificem sibi obuium esse deprehendit, Ponti-
ficijs indumentis ornatum, sacrisque Templi administris vtrimque stipatum, fe-
rociâ, qua tumebat, depositâ, obsequentissimè ex equo desiliens, ad eius vene-
ratio-

tionem; tanquam ad Dei administrum & interpretem supplex accessit; Templum A inde progrediens muneribus pretiosissimis eius aras cumulauit, & præ eius obsequio Hebræos omnes captiuitate solutos libertati restituit: Ad Romulum postea accedit, qui Asylum magnificè construens, & Pacidicans, suum imperium auspicatus fœliciter est; in eo enim sacram libertatem collocans, quoscumque ad ipsum confugientes securitate donabat: His narratis sapientissimè D. Thomas sic absoluit. *Quid verò dicam de Deicolis Regibus, siue veteris, siue noui testamenti? omnes enim, qui ad diuinam reuerentiam fuerunt solliciti, fœliciter suum consummauerunt cursum: qui verò è contra, infœlicem consequuti sunt exitum.* Quid igitur mirum, si Deus, qui vel feroces & barbaros Principes fortunat & ornat, ex obsequio sacris rebus & administris præstito, singulari patrocinio Christianos Principes foueat, qui pro Religionis rationibus seruandis & augendis euigilant, suasque curarum vires impendunt? discrimina omnia, & fortunæ insanientis incommoda, quibus aguntur & rotantur Principatus & Regna, quæ ideò B à Senecâ vocantur *lubrica & incerta*, facilè euitantur ab his, qui diuinam sibi virtutem & cæleste robur conciliant, ex obseruantiâ & studio, quo sacra omnia prosequuntur: meritò igitur vsurpari hac de re potest, quod Magnus Nazianzenus de Iouiniano Cæsare acerrimo Catholicæ Religionis propugnatore pronunciauit, *vt simul & ei robur afferret, & ab ea vicissim acciperet*. Suum ille Regnum fortunat & beat, qui solium suum in pietatis cultu collocat; ex hoc enim etiuatur obsequium, quo Ecclesiasticam iurisdictionem custodiet, & templorum libertati seruandæ euigilabit; prolixè probat hæc omnia Ptolæmaidis Antistes Synesius ad Arcadium Cæsarem scribens, & præ alijs Christiani Principis exemplar effingens hæc habet. *Religio autem & pietas firma in primis basis subijciatur, in quâ stabile & inconcussum simulachrum perstet*; potissimum enim Dei est, largissimâ mercede ea omnia remunerari, quæ ad Deum in eodem genere referuntur; adeoque, si quis Dei causam vel in sacris vel in administris propugnauit, propugnabitur & ipse à Deo, vt eius potestas effloreat, eiusque au- C thoritas adolescat; vberrimè ea studia pio quodam certamine compensat Deus, quibus Ecclesiæ suæ obsequitur Princeps & famulatur: *Neque a ratione alienum est, diuinum quoque Numen religiosi Principis cultu, venerationeque lætari, eumque arcanâ quadam necessitudine sibi conciliare*. Sic idem Synesius.

Senec. de consol. ad Polib. c. 28

Greg. Naz. orat. 21.

Hac de ratione ad Religionis strenuam defensionem Theodosium Cæsarem Cælestinus Primus excitauit. *Pro vestri enim imperij salute geritur, quicquid pro quiete Ecclesiæ vel sanctæ Religionis reuerentiâ laboratur*: ad Principem pietatis amantissimum, & maximè Religioni beneuolum scribebat hic Pontifex; quapropter vnâ cum Valentiniano legem illicò statuit & promulgauit, qua iubebatur, vt è quocumque crimine licet turpissimo Asylum in templo tutissimum omnibus sit, nullaque vel leuis eis molestia inferatur: Asyli autem nomine non tantùm Templum ipsum comprehendi, sed quæcumque ea, quæ inter Templi parietes & publicas domus interiacent, siue cellæ, siue porticus, siue balnea, siue horti, vel atria fuerint: aliqua eius legis verba ommittere omninò mihi non licet, ob eximiam, quam tanti Principis redolent pietatem; *sufficiat profugis* D *istis Dei auxilium; cui & arma, & leges, & ipsa etiam Regia maiestas subiecta est*. Sed aurea præ alijs sunt ea, & non in Regijs tantùm ædibus, at cordibus inscribenda. *Et nos, qui semper iure Imperij armis circumdamur, quosque sine armatis stipatoribus esse non conuenit, Dei Templum ingressuri foris arma relinquimus, & ipsum etiam diadema deponimus: & quo magis submissionis imperij speciem præferimus, eò magis Imperij nostri maiestas promittitur*. Tutissimam vides mercedem, quâ Dei se beneuolentiâ donandos hi Principes sperabant, vt potè qui optimè agnoscerent, vsuræ quandam speciem ab eo agi, qui vt dicitur à Deo, eius sacris defendendis studet & elaborat. Sanè, Theodosio imperante, ea Ecclesiasticæ immunitatis vis erat, vt eum ad Templum confugisset Stilicon Imperij proditor & læsæ maiestatis reus, eductus ex eo nunquam fuerit, quo ad vsque se spontè Cæsariano militi dederit: Iure igitur meritò vtriusque Theodosij Imperium fœlicitate maximâ fruens, supplices Barbaros vidit, hostes edomitos,

Baron. ann.

Inter. act. Conc. Eph. p. 3. ad fin. l. 4. de his qui conf. ad Eccl. Cod. Theodosian

Baron. ann. 408.

D. Cyrill. Alex. l. 1. de rectâ fide ad Theodos. Pacat. in Panegiyr. D. Aug. in psal. 17. 26. D. Aug. l. 1 de Ciuit. c. 1 & 2.

perduelles extinctos, & laureis vndique bellicis præcinctum oleas etiam blandissimæ pacis excoluit; perlege quæ de ipsis tùm Diuus Cyrillus Alexandrinus A
Patriarcha, tùm Latinus Pacatus elegantissimè intexunt: Cum Deo ipsi agebant, qui docente Diuo Augustino, *cum liberali liberalis est*, cuiusque largitas longè largitatem illam præcedit, quam humana permittat infirmitas.

Sacrarum ædium sanctitatem Barbari ipsi inexplicabili obsequio coluerunt; Gothi, quis credat, Diuo Augustino narrante, cum ferociâ immanissimâ æstuantes, exundantis torrentis instar, per Italiæ campos debaccharentur, Romæ dein vastitatem & direptionem inferentes, ab omni incommodo immunes eos omnes relinquebant, qui ad Apostolorum Petri, & Pauli sacras ædes confugerent: effrænata belli licentia, victoriæ fastus, scelerum ardor, tumultus insolentia, magnique exercitus insana vecordia, ad Templi fores libidini suæ frænum imponens, politicis quibusdam ruborem, ni fallor, afferet, qui nullo belli æstu excitati, Templorum immunitati insidiantur, eamque impio propè conatu contendunt euertere. B

Quin Placentinus Antistes Diuus Salinus, vt Padum fluuium aquarum eluuione intumescentem, ripasque suas indignarum per agros Ecclesiæ suę subiectos immani violentiâ sæuientem aspexit, promulgatâ veluti lege ei præcepit, vt ferociâ vndarum depositâ, ripis se suis includens, ab inferendâ campis iniuriâ abstineret; legi paruit flumen, & Episcopi verba audiens, ad aquas refrænandas, excussas riparum spontè suscepit habenas: hæc narrans Diuus Gregorius sic phi-
D.Greg. l. 3 dial. c. 10. losophatur; *quo in re quid aliud, quàm inobedientium hominum duritia confunditur? quando in nomine Iesu elementum ipsum irrationabile Sancti viri præceptis obediuit.* Quid ad hæc in decretoriâ vniuersi die Polirici afferent, quibus diuinâ lege præcipitur, ne Dei religionem, hoc est, Deum ipsum in suâ ditione suisque iuribus violent? obediunt ne ipsi, an potius Padum imitati, limites suos effringentes, hoc est suæ potestatis fines, in sacra irrumpunt, & sanctuarij rationes violentèr inuadunt? fortè dicent, nunc temporis Episcopos Sanctos non esse; C
atqui, dicam ego, nec ipsi flumina sunt, at homines, & Christianum nomen induti: præterquam quòd iurisdictio non Episcoporum est, sed Ecclesiæ, quæ Sancta est, sed Christi sponsi, qui Sanctitatis totius fons est & origo; sanè nec illi omnes sancti erant, quos illustrium templorum titulo obseruantissimè Gothi exceperunt.

§. I.

EAdem pariter obseruántiâ Ecclesiæ libertas, quæ in sacris bonis personisq; versatur, habita antiquitus fuit; quâ de re tùm Conciliorum, tùm summorum Pontificum exemplis omissis, duo tantùm afferre placet, quæ rubore, ni fallor, eos omnes perfundent, qui vt suorum Principum iurisdictioni vel seruandæ, vel amplificandæ sollicitos se ostendant, rationes semper exquirunt, quibus Ecclesiæ iura diminuant. Pilatus primum sit, qui Christum Dominum à Senedrin Senatu eius iudicio traditum examinaturus, inter alias interrogationes illud etiam postulauit, *Quid est veritas?* nullamque inde responsionem ex- D
Ioann. 18. 38. pectans, examen omittens è Tribunali discessit: comperrum vtique mihi est, non esse hic locum dandum ingenio, vt scintillet in argutijs ea: omnia igitur prætëriens, quæ ad hanc difficultatem enodandam afferunt, illud tantùm cum Nicolao de Lyrà proferam, quòd cum Præses animaduerteret in eâ interrogatione, sacras se res inuasisse, ab errore suo discesserit, è tribunali statim abscedens: do eius verba. *Huius quæstionis Pilatus non expectauit responsionem, quia erat de regno spirituali, vt visum est; ipse autem non habebat se intromittere, nisi in tempo-*
Lyra in Ion. 18. 38. *ralibus; & ideò hoc aduertens, dimisit illius quæstionis prosecutionem.*

Gallionis Proconsulis Achaiæ & Senecæ doctissimi fratris alterum sit, cui,
Act. 13. 13. & infra. cùm Iudæi Diuum Paulum, (vt in actis Apostolorum habes) obtulissent, dicentes, *quia contra legem hic persuadet hominibus colere Deum*, cumque ad eum plecten-

dum

dum incitarent, perpendens Gallio ad sacrum Tribunal ista spectare, eos reiecit, A ne quidem auditos. *Incipiente autem Paulo aperire os suum, dixit Gallio ad Iudaos: Si quid esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, ò viri Iudai, rectè vos sustinerem. Si verò quæstiones sunt de verbo aut nominibus & lege vestrâ, vos ipsi videritis: iudex ego horum nolo esse; & minauit eos à tribunali:* quâ de re meritò eum tùm Chrysostomus, tùm Cardinalis Hugo commendat; ea enim erat eius modestia, vt reiectis illis, quæ ad suum forum non referrentur, suos intra fines suum continuerit munus, licet Hebræi eius potestatem amplificare conarentur. Eant nunc iudices, omnemque lapidem moueant, vt dolosis disputationibus in rebus sacris se immisceant, & sacrum inter prophanumque tribunal rixas disseminent; se ipsos & alios in permolesta certamina inijciant, animumque obduratum præferant in formidanda tela, quibus è Cæli armamentario susceptis percutiet eos Ecclesia: ad rem hanc aptissima mihi videntur, quæ in epistolâ ad Henricum Angliæ Regem recenter in mortui Parentis solio collocatum scripsit clarissimus Iuo Carnotensis, & cuicumque Catholico Principi essent animo imprimenda. . *Quoniam paterni regni solium &c. & quia res omnes non aliter bene administrantur, nisi cum regnum & sacerdotium in vnum conuenerint studium, Celsitudinem vestram obseruando monemus; quatenus in regno vobis commisso, verbum Dei currere permittatis, & regnum terrenum cælesti regno, quod Ecclesia commissum est, subditum esse debere semper cogitetis. Sicut enim sensus animalis subditus debet esse rationi; ità potestas terrena subdita esse debet Ecclesiastico regimini: & quantùm valet corpus, nisi regatur ab animâ, tantùm valet terrena potestas, nisi informetur & regatur Ecclesiastica disciplina. Et sicut pacatum est regnum corporis, cum iam non resistit caro spiritui, sic in pace possidetur regnum mundi, cum iam resistere non molitur regno Dei. Hec cogitando seruum seruorum Dei vos esse intelligite, non Dominum protectorem, non possessorem. Hoc enim faciendo, & regnum terrenum quietè, Deo cooperante, possidebitis, & ad regnum æternum, eiusdem miseratione peruenietis.*

D. Chrys. & Hugo Ca. ibid.

B

Iuo epist. 51 apud Baron. ann. 1100. n. 12.

C Hinc pariter triplici epistolâ Diuus Augustinus probat, pij & Christiani Principis esse, religionis iura tueri, suarumque legum pondere vim & potestatem eidem conferre, quâ contumaces & inobedientes animaduertant.

D. August. ep. 48. 50 & 165.

Hinc Diuus Gregorius ad Mauritium Cæsarem scribens, *scimus piissimos Dominos disciplinam dirigere, ordinem seruare, cânones venerari, & se sacerdotalibus negotijs non miscere.*

Hinc demum pij Principes sibi persuasum habent, quòd ex illis Dei verbis ad Moysem, *Tolle Iosuè filium Num* &c. *Stabit coram Eleazaro sacerdote*, lex ipsis indicitur, quâ ad sacram libertatem & iurisdictionem propugnandam paratissimi esse debent, & hoc aptissimè à Principe contendendum.

D. Gregor. l. 5. epist. 25.

Num. 24. 4.

Vltima huius capitis periodus illustrissimâ Philonis Hebræi sententiâ illustretur: Patriarcham hic Iacob contemplatus, cum sopore captus admirandam illam scalam inspexit, quæ Cælum vsque attingens, Angelos sursùm deorsumque perambulantes, & Deum supremo eius capiti incumbentem habebat, sic philosophatur; Principatus scilicet & mundi regna ex suâ inæqualitate scalam quandam repræsentare, per quam frequentissimis conuersationibus ascendentes alios, D alios videas descendentes, & alienis casibus se superiùs erigentes. *Res humana habent naturalem quodammodò imaginem propter cursum inæqualem, inconstantemque; vna enim, vt ille ait, dies alium de fastigio detrahit, alium tollit in alterum &c.* Ad firmandam igitur eamque immobili sede solidandam, quid nam peragendum? dabo è sacris litteris, *& Deum innixum scala*; inconcussa illa erit, si ità se gesserit, vt Deum Deique sponsam Ecclesiam defendens, eius robur & præsidium mereatur; Philonem rursus audi: *Cum autem dicitur innixus scala, nemo intelligat Deum laborare, vt eam molem stabiliat: illud potius cogites, his verbis significari, Deum esse robur, firmitatemque eorum, quibuscumque vult assignare stabilitatem perpetuam: tantisper enim, dum ab illo sustentantur, inconcussa manent, atque integra.*

Gen 28 12. Philo. l. de somnis.

Ad huius rei veritatem altiùs assequendam, ait Philo, perpendas velim, quòd

cum scalam huiusmodi Iacob aspexit, illa etiam verba à Deo scalæ eidem in-
Gen.28.13. nixo pronunciari audiuit, *Terram, in quâ dormis, tibi dabo & semini tuo*: vides A
vt longâ prolixâque posterorum serie Regnum ei polliceatur & donet? quibus etiam verbis Septuaginta Interpretes addunt, *noli timere*; cui lectioni Philo adhærens ait. *Ille igitur cælesti scalæ innixus sit dormientem in somnis alloquitur, noli timere; meritò: quomodo posi hac timere possumus, cum habeamus te pro clypeo depellente omnes metus?*

Indubitatum igitur & compertum omnibus sit, ad Principatus solidandos, ad regna inconcussa firmanda, adeò vi nullâ temporum vel hostium vi labefactentur & nutent, hanc esse singularis Politicæ scientiam, quià autem magnus quidam Principis administer, cuius animo has cogitationes imprimere frequenter conatus fui, mihi eas suggerenti obsurduit, quâm citissimè pœnas suæ contumaciæ luit, supremam illam authoritatem, quâ diù effloruit, indecorè deperdens.

B

Ex Ecclesiasticà libertate, iurisdictione, & immunitate contemptà, in Principes eorumque administros ingentia à Deo supplicia deuolui. Cap. XXXIII.

IN primâ huius operis parte explicare memini difficultatem, quâ vt se beatitati donent, laborant Episcopi, ex eorum magnitudine, ad quæ facienda obstringuntur; sed re verâ difficile hoc idem æquè prophanis Principibus est; C
cum enim spatiosa eis peccandi licentia sit, nullique subijciantur, cui de suis operibus reddenda ratio sit, proximi semper sunt, vt præcipites ruant, extremoq; casu ferantur. Non hic ego asperam mordacemque sententiam approbo, quâ Alberti Primi concionator, vt Aeneas Siluius, qui postea Pontifex Pius Secundus est appellatus, mentem suam aperuit; Cæsarem enim eique adstantes Principes aliò distractos aspiciens, ad ipsorum curiositatem excitandam hoc problema proposuit, an æternam salutem adipisci Principes possint. *Quæritur saluari ne Prin-*
Aene. Silu. l.3.coment. in Panorm. *cipes possint*. Hinc autem & inde prolixè libratis rationibus, demùm statuit; cælesti beatitudini vtique dandos, si vt primò sacro fonte fuerint abluti, moriantur. *Quidni possint? si modo baptismo suscepto, in cunis vagientes moriantur.*

In eâ ego fide sum, quàm plurimos esse, qui à terreno principatu ad cælestem progrediantur, & è gemmeis coronis ad immortalitatis diadema præcingendum transferantur; sed nec illud inficieris velim, quàm plurimos etiàm esse, qui pessimæ politicæ adhærentes, quam eis in seruando regimine praui administri suppeditant, æternùm miserrimo casu perire. Suo quidem genio placidum & quietum mare est, at facilè procellis agitur, & vi ventorum in tempestates assurgit; D
sanè quàm plures è Principibus, si suâ indole ducerentur, suoque ingenio indulgerent, quieti studerent, & Ecclesiæ eiusque Præfectis essent obsequentissimi; sed suorum aulicorum & administrorum operâ, ventorum instar insolescunt, & modestiæ concordiæque repagulis effractis, religionem inuadunt, sacraque omnia perturbant; ex horum sermonibus quot & quanta illis pericula imminent, quot ipsi flagitijs inuoluuntur! nec tantùm in ijs, quæ ad beatitatem referuntur, quibus potissimùm humana libido suos immoderatos æstus refrænare deberet, Principum conscientias irretiunt & vitiant, sed in ijs pariter, quæ ad politicum regimen spectant, perniciosissimi eis sunt; sicut enim, vt superiùs docuimus, ad Principatus fortunandos, singulari quadam ratione obsequium & studium,

dium, quo rebus factis prospicimus, aptissimum est; sic ad eosdem corrumpen-
A dos & vexandos, facillima ea via est, quâ eadem sacra contemnimus & turbamus; cum enim honestum & vtile miro quodam nexu sibi mutuò coniungantur, vtile nunquam illud erit, quod non erit honestum; hæc autem sententia non tantùm suffragio præceptoris Christi probatur, at ipsâ humanâ scientiâ & præ alijs ab Aristide docetur: cum enim, vt Tullius & Plutarchus referunt, Senatui significasset Themistocles, se quoddam animo habere suæ Reipublicæ vtilissimum, sed non omnibus patefaciendum, Aristidem designauit Senatus, qui eius sententiam exciperet, exceptamque discuteret, discussamque referret; Aristidem ergo Themistocles alloquens, modum ei significauit, quo totam Lacedemonum classem fraudolentis artibus, & versutissimo quodam dolo, flammis absumendam committeret; his acceptis Senatum rediјt Aristides, eique indicauit. *Peratile est consilium Themistoclis Reipublicæ, sed minimè honestum*: quo responso habito tota res statim euanuit; hinc Romanus Orator Politicos Cic. l. 3. off. c. 2. Plutarc. in Aristid.
B omnes hoc exemplo erudiens sic statuit; *Maneat ergo quod turpe est, id minimè esse vtile*. Plutarchus verò Reipublicæ illius sapientissimam admirationem commendans ait. *Ita populus iste iustitiam colebat, vt quod iustum non erat, minimè putaret esse vtile*.

Si ergo sapientissimis & egregijs hisce viris, licet ethnicâ superstitione inquinatis, indubitatum & compertum, ad politicum regimen ritè peragendum, hoc erat; quantò magis Christianis viris & Catholicæ Religionis asseclis adhærere hoc animo debet, perniciosissimum scilicet suis Principibus fore consilium, si Ecclesiæ iura perturbent, si eius potestatem sibi vsurpent, si Episcoporum, quorum rationes seruandæ potius ab ipsis essent, iurisdictionem inuadentes sexcentis contentionibus eos implicent, & ab eâ curâ suis rixis eos amoueant, quam cæteroquin ad diuinum cultum augendum, ad populorum salutem comparandam diligentiori labore præstarent, nisi eorum audaciâ & iniustitiâ turbarentur.

C Quid nam magis honestati repugnat, quàm Dei authoritatem inuadere, Deiq; leges tot Conciliorum & Pontificum suffragio roboratas, eiusque Diuini Spiritus vi, cuius magisterio Sacra Religio docetur, & ducitur, sanctè firmatas, vel labefactare, vel perdere? profectò iuxtà sententiam Diui Theodori Studitæ ad Patriarcham Constantinopolitanum scribentis, huiusmodi viri Catholicum ferè nomen exuti, hæresis potius sermonem & mentem induerunt. *Neque enim perfectum esse orthodoxum, sed dimidiatum, qui fidem quidem rectam habere videatur, diuinis verò Canonibus non regatur*: quin Tyrannos eos magnus ille Regum Regnorumque administer Cassiodorus appellauit: *Tyrannicæ feritatis indicium esse, audire nolle constituta veterum sanctionum*. Hæc ego sanè Dynastæ cuidam significaui, qui ad quorumdam canonum responsionem, quos ego ad Ecclesiasticæ potestatis propugnationem recensui, non dubitauit audacter asserere, Canones singulares esse alicuius Principis leges, quibus aliorum Principum legs nequaquam subijciuntur, ac si è Vaticanâ Cathedrâ tanquam è suo fonte non deriuarentur & Dei suffragio non firmarentur. Apud Bar. ann. 808.

Quid ergo mirum, si recentes hæretici tanto studio nitantur, vt iurisdictionem
D Episcoporū vel minuant vel euertant, cum Sanctis cultū, Sacramentis venerationē gratiæ efficaciam eripiant, merita extinguant, ieiunia irrideant, Cælum obstruant, Purgatorium negent, solumque tanquam sibi condignam sedem Inferos aperiant, quibus crucientur? At quis crederet, è Catholicis non deesse, qui falcem in sacram messem inijcientes, ad Ecclesiæ iura vexanda semper animum intendant, ac si tota sui Principatus fœlicitas & magnitudo in contentionibus cum Dei administris agendis versaretur. Vtinam hi argumentum ad hominem benè discurrerent, quo Iustinianus Cæsar suam legem conscripsit, quòd scilicet, si probi probatique Principis est, vt summa sit suarum legum obseruatio, quibus populorum fœlicitas comparatur, quantò arctius Canonum custodia & obedientia perquirenda eis est, quibus animarum saluti prospicitur? *Si enim leges ciuiles, quarum potestatem fidei nostræ Deus concredidit, per omnia firma ac stabiles conseruare ad subdi-* Nouel. Iust. 127.

subditorum securitatem studemus : quantò plus studij debemus circa sacrarum regularum, & diuinarum legum obseruationem ponere , quæ pro salute animarum nostrarum definitæ, & constitutæ sunt. A

D. August. ep 48.50 & 165 plurimos cõgerit Salgad. de retent. Bullar. par. 2 c. 1. n. 50. & seqq.

Potissimum & singulare sæcularis Principis munus, vt Diuus Augustinus docet, in hoc versatur, vt diuinam Religionem tueatur & patrocinetur, eiusque immunitatem libertatemque seruet ac foueat; hoc autem tàm arctâ connexione regali dignitate associatur, vt in eius defectu quædam oppressionis species videatur: an igitur verus ille Princeps dicendus est, qui eam inuadit & calcat?

Galat. 18

Validissima enimuerò ea loquendi forma fuit, quâ ad Galathas scribens Apostolus vsus est; ipsos enim Cælites & Angelos anathemate percutit, impetitque diris sacris, si in Euangelio populis disseminando ab eo dissonassent, quod ipse ijs promulgauerat. *Sed licet nos, aut Angelus de Cœlo euangelizet nobis, præterquam quod euangelizauimus nobis, anathema sit*; his ille per hiperbolem exaggeratis ostendit, quòd si peccato, quod anathemati inferendo esset obnoxium, inquinari Angelus posset, & in eo munere exercendo, quod ad Apostolos eorumque successores spectat, immiscere se vellet, eorumque sibi potestatem vsurpare; iure meritò diris ab Ecclesiæ Præfectis percelli posset, eò quod indecorum valdè sit, vt alius licet dignitate superior, eo se ministerio perficiendo implicare conetur, quod Dei beneuolentia sacris tantùm viris administrandum commisit, ad hanc sententiam ea Apostoli verba Diuus Proculus Constantinopolitanus Antistes, & Magni Chrysostomi discipulus simul & in dignitate successor explicauit. *In ministrandi nanque ordine locatus est Angelus, non dogmata præscribendi; & periculosum sanè est: non in eo quemque ordine consistere, in quo locatus, sed ea, quæ supra naturam sunt, aggredi.* B

D. Procul. ep ad Arm. pe fide to. 5 Bibl. patr. nouiss C. qui & diuinis 24. 12 q. 4.

Acquissimè igitur sanciuit Gelasius Pontifex, vt in eos execrationes & diræ torqueantur, qui Diuinas simul humanasque leges aspernantes, Ecclesiæ prærogatiuas obscurare conantur; quod idem vbi præsertim de eius immunitate & de libertate agitur, tùm Pontifices, tùm plura Concilia statuerunt; si ergo ne Angelis quidem fas est, vt Episcoporum iurisdictionem violent, iàm effrons homuncio erit, vt eandem conetur euertere? C

Quodnam autem dissonantius incommodum accidet, quàm vt prophani viri discutiant, aut dirimant, an quæ Synodus Tridentina in Clericis exigit, perfectè possideant, an vestis & clericalis tonsura sit benè composita, an publico aliquo scelere polluatur, an publica onera subire teneatur Clerus, an qui ad templum confugit eius immunitate fruatur, an locus vbi cohors eum detinuit, prophanus sit an sacer, an censoriæ castigationes ab eâ pronunciatæ iustè & validè fuerint illatæ, an blasphœmia ex ijs, quæ simplices vocantur, an verò ex ijs, quæ hæresim redolent, aliaque id generis sexcenta ad Ecclesiasticum forum spectantia; quot tamen reperiuntur, qui his alijsque pertractandis euigilant, suumque munus omittentes toti sunt, vt huiusmodi tricis & nodis Principum mentes illaqueent, libros euoluant, consultationes misceant, nec paucos menses his discutiendis insumant? Quid? immorigeratos & improbos Clericos non raro patrocinantur, suique fauoris magnitudine eorum contumaciam proteruiorem faciunt; ac si tota eorum fœlicitas & recta principatus administratio ex imminutâ Episcoporum facultate oriretur: quià verò ventis ego viros huiusmodi superiùs comparaui; mirum in modum ijs ea verba aptantur, quibus, authore Virgilio, Neptunus eos & increpat, cum ab Aeolo ad sui maris principatum sus deque miscendum mitterentur. D

Virg. l. 1. Æneid.

Non illi imperium Pelagi, sæuumque Tridentem,
Sed mihi sorte datum; tenet ille immania saxa
Vestras Eure, domos; illâ se iactet in aulâ
AEolus, & clauso ventorum carcere regnet.

Sæcularium Principum administris politicum regimen excolendum est, iustitia prophanis subditis administranda, crimina, fraudes, raptus, & peccandi licentia coërcenda, magnatum compescenda potentia, causarum momenta libranda, annonæ comparanda vbertas, populorum quies, aliaque huiusmodi sexcenta, quibus

A quibus vix satisfacere illi possent, licet, quâcumque re aliâ omissâ, inconniuenti lumine ijs semper euigilarent: quorsum ergo tantùm temporis in eo insumere, vt Christi administri, Dei interpretes, Apostolorum successores, Ecclesiæ sponsi vexentur? quorsum eò artes omnes intendere, vt in ijs dirimendis, quæ sacrum tribunal exigunt, suam audeant anteferre sententiam? quòd si eosdem Principes subiecit Deus Episcopis, an imprudentes adeò & impudentes erunt eorum administri, vt suâ eos potestate exuentes, suis eos coërcere legibus per summum dedecus velint?

Ad hæc ipsi respondent, ad suorum Principum authoritatem seruandam suam fidem obstringi; quàm diuersa loquendi forma hæc est, tota ambigua, totaque perplexa; iam enim, ni fallor, tùm rationum, tùm exemplorum vi probatum validissimè est, ad principatus amplitudinem vel seruandam vel augendam, eum prosperrimè velificari, qui Ecclesiæ iura tueatur & foueat. Fidem, rogo, vos mihi habeatis: Non amplitudinem & incrementum vestrorum Principum his vos B artibus exquiritis, sed potius excidium & ruinam, nihil aliud hoc est, quàm in eorũ capita Cæli fulmina inflammare; quapropter cùm Romanus Italię Exarchus Lithurgi cuiusdam licentiam patrocinaretur, qui suo ab Episcopo in suorum scelerum pœnam exul in quoddam asceterium ablegatus, obedientiam ei præstare recusabat; ad eum Diuus Gregorius scribens, acritèr admonuit, ne suam operam rebus hisce immisceret, at in suum Antistitem nullum ceruicosum virum tueri auderet, nec mutuas inter tribunalia rixas pareret, aut foueret, ne Deum ipsum ad suam cogeret causam propugnandam. *Vnde iterum quæsumus, vt excellentia vestra in talium se causarum defensione non misceat, ne & Deus suam defendat iniuriam, & inter nos & alios pariat culpa discordiam*: hoc ipsi perpendant velim; quòd si tàm anxij & industrij sunt in suorum Principum causâ propugnandâ, multò industriore, pro Dei causâ tuendâ Episcopi fore tenentur. D Gregor. epist. ..

In quadam è meis decisionibus dolorem meum, quo nunc etiam crucior, satis ostendi, quòd, elapsis retrò temporibus, quidam è Scotiæ Regibus nostro ferè ab C orbe seiunctus, cum de re dubiâ circa Ecclesiasticam immunitatem ageretur, alienus adeò fuit, vt suo suffragio & *de facto* litē dirimeret, vt demississimo potius calamo Innocentij Tertij sententiam exquireret, eique protinus adhæreret. Ita ne igitur? profligata adeò nunc temporis pietas est, adeò improbitas insolescit, vt abiecti Principum & Iudicum administri in Ecclesiæ iura audeant temerè irrumpere, vt fraudibus & cauillationibus intextis eadem euellant & perdant? Auctor. decis. 61. n. 61. par. 1. C. inter alia 6. de immun. Eccl.

§. I.

Profectò tùm prophanæ, tùm sacra litterarum monumenta exemplis scatent, quibus diuinus furor in eos abundè sæuijt, qui particulam aliquam eius potestatis effrænes arrogarunt, qua Ecclesiam suam Deus ornauit. Quisnam æquè Deo charus esse præsumpserit, ac Gedeon, ad suum populum gubernandũ à Deo electus & ad suos hostes exscindendos, & Diui Pauli suffragio inter veteris D legis Heroas & Sanctos adscitus? præclarissimâ hic relatâ victoriâ, vt Deo ad cuius robur eam referebat, sui grati animi specimen exhiberet, ex auro, quod deleto ab hoste rapuerat, insigni magnificentiâ extructum Ephod, aliaque sacerdotalia indumenta elaborauit; aliena quidem à bellicâ eius disciplinâ hæc erant, ea tamen pietatis studio accensus perficere ipse voluit; leuis noxa hæc fuit, vt sacri interpretes statuerunt, & solius imprudentiæ notâ deformis: quid tamen? audi sacri codicis sententiam, *factum est Gedeoni, & domui eius in ruinam*, è magnifico enim & pretiosissimo ornamento, quod elaborauerat, opportunitatem Hebræus populus excepit, vt tanquam rem sacram illud excoleret; hinc factum, vt tota Gedeonis posteritas excisa penitus interierit; addiscant hinc Principes velim, quòd sicut è patrocinio & beneuolentiâ, quâ sacras res prosequuntur, fœlicitati suæ consulunt, sic pariter suum sibi interitum moliuntur, si easdem vel perturbent vel inuadant. Iudic. 8. 27.

2. Paralip. 26. 18.

Tùm pace, tùm bello commendatissimus Ozias fuit; eum tamen quâdam die, vt diuino amori, quem propitium sibi magnoperè agnoscebat, gratum quid faceret, thimiamatis altare thure incenso adolere vellet, amouere eum ab altari toto studio contendebant: *non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum.* Rex, qui iam operi manum apposuerat, vt pudorem eum abstergeret, quo suam Regiam maiestatem violari arbitrabatur, si ab opere incœpto discederet, prosequutus illud audacitèr fuit: Verùm quid? *statimque orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus*; adeò vt non è Sanctuario tantùm, sed ab ipso discedere hominum consortio cogeretur; hæc eleganter explicans Theodoretus ait, *ferebas in fronte argumentum iniquitatis*; eâdem quoque anni periodo suam ab eo vitam absolutam in vsurpati Sacerdotibus ministerij pœnam D.Chrysostomus expendit, qui etiam supra reliquos Principes excellere Antistites hinc docet. *Ozias aduersus ipsum supremum omnium principatum legem transgressus est: siquidem sacerdotium est ipso etiam regno venerabilius & maius. Eò quòd Deus ipsum Regale caput, Sacerdotis manibus subiecit, nos erudiens, quod hic Princeps est, ille maior.* A B

Theod. ibi.

D.Crysost. hom. 5. in c.6. Isai to. 1

l. 3. de his qui confug. ad Eccles. c. Theodos. Baron ann. 390. & seq.

Verùm peruetustis antiquæ legis euentis omissis, illud vnum, quod Eutropio accidit, validissimum esse arbitrarer, ad huiusmodi virorum audaciam retundendam. Primum hic in Arcadij Cæsaris aulâ locum occupabat, eiusque beneuolentiam tàm plenè vsurpauerat, vt non administer, at ipsius Cæsaris Cæsar videretur; cùm igitur hic flagitiosos aliquos viros per nefas & vim è templo, quò confugerant, eduxisset, & in sacrarum ædium immunitatem immanem legem euulgasset, ignorans, non in Episcopos pugnam se capessere, at in Deum, diuinum in se furorem excitari percepit, quo illatam sacris contumeliam vlcisceretur; aulicâ enim maleuolentiâ vndique obsessus Arcadij beneuolentiam amisit, & fœdissimis de sceleribus expostulatus ad illud Asylum, sic Deo permittente, confugit, cuius ipse immunitatem euertere olim studiosè contenderat, eiusque Chrysostomi eloquentiâ & patrocinio indigeret, quem per summam iniuriam contempserat; sic Perilli instar suæ miseriæ fortunæ sibi faber ipse fuit, vt lepidissimo concinnoque carmine Claudianus eum irrisit. C

Claud. l. 1 in Eutrop.

Quam benè dispositum terris, vt dignus iniqui
Fructus consilij primis authoribus instet:
Sic opifex tauri, tormentorumque repertor,
Qui funesta nouo fabricauerat æra dolori,
Primus inexpertum, Siculo cogente Tyranno,
Sensit opus, docuitque suum mugire iuuencum.

Boz de sign. Eccles. l. 23 sign. 95. c. 2 tom. 2

Sic pariter leopardis ferocissimis suos aliquos milites Stilico vidit absumi, quorum violentiâ vsus ipse fuit ad Cresconium quendam è Templo educendum; quamuis autem pœnitentiâ ipse tactus, tùm publicis pœnis, tùm Cresconium Templo reddens, omnes perfecti doloris partes expleret; quia tamen leges aliquas Ecclesiasticæ potestati iniuriosas Honorio Cæsari promulgandas dedit, tùm in Cæsarem, tùm in se ipsum diuinæ vltionis fulmina obarmauit, suoque tandem cruore suffusus, immanitèr Cæsaris imperio cæsus, vecordiæ suæ pœnas vberes luit: miserandos etiam aliquorum administrorum euentus possem & ego hic recensere; hi namque, vt blandis hisce artibus se in suorum Principum beneuolentiam & studium insinuarent, cùm plurima eis exhiberent, quibus sacra immunitas proscindebatur, miserrimâ omnium rerum iacturâ in lachrymosam calamitatum abyssum præcipites ruère, pennisque, quibus ad summa potentiæ fastigia peruolare nitebantur, excussis, per summum dedecus, sui nominis ludibrium præbuere. D

Paulin. in vit. S. Amb. Baron. ann. 395. 1.

Balsam in: :

Satis ego instruendos Principes arbitror è germanâ liberâque eâ sententiâ, qua, Balsamone narrante, Basilius Cæsar Porphirogenitus confessus vltrò est, tantam malorum molem, tàmque immanem calamitatum turbinem, quo Imperium Orientis affligebatur, ex vna lege effluxisse, quam iratus Phocas in sacram

immu-

immmunitatem euulgauerat; Ex quo lex ista robur habuit, nihil boni penitus in
A hodiernam vsque diem vitæ nostræ contigit; sed potius è contratio nullum omninò calamitatum genus defuit. Baron. ann. 452.

Adhærere Basilio poterat vtique Valentinianus Tertius, qui cum Episcoporum potestati iniuriosam legem condidisset, Dei furorem excitauit, vt in eum ex vltimis Borealis regionis adytis Attilam immitteret; cuius potentiâ, veluti flagello verberatus, tùm Aquileiam funditùs vidit excisam, tùm Romam ipsam supremo discrimine laborantem, nisi eius ferociam suâ Pontificiâ eloquentiâ Magnus Leo tranquillasset.

Prolixam Catholicorum Principum seriem centuriare hìc ego possem, qui ex offensâ Ecclesiasticâ libertate & Episcoporum iurisdictione indecorè habitâ, miserandis euentis obnoxij fuere, luctuosis cothurnis lachrimarum dedere materiem, nisi Spartam hanc egregiè coluisset Thomas Bozius Eugubinus, qui pererudito opere, clarissimo velut in speculo, Principibus viris ostendit, non aliâ Boz. de sign. l. 23 sign. 35 c. 1. 10. 2.
B decausâ plures Principatus, Principesque familias vel omninò deletas, vel miserrimè deturbatas, plurimaque tùm in Oriente, tùm ex Occidente Imperia *in gentem de gente* translata. His exemplis alia in quadam è meis decisionibus superaddere mihi placuit, nec nostra hæc ætas ab eo absfuit, vt plures Principes florentissimasque familias videret, suâ de gloriâ miserrimè deturbatas, quæ cæteroquin ad omnem pulchritudinem exterorumque admirationem egerminassent, si sacræ iurisdictionis studiosi, non ad eam enernandam, sed fulciendam suam potentiam exeruissent. Illud igitur cum Cardinali Baronio statuatur. *Vnde perspicuè est declaratum, quàm malè hi consulant politicis Regibus, cum Ecclesiastica iura, regnandi causâ proculcanda proponunt; vt nulla via sit eâ magis aperta ad regni ruinam, quàm, cum iactura rerum Ecclesiasticarum illi consulitur.* Verum quidem est, quòd eâ sollicitudine, quâ suæ immunitati seruandæ student Episcopi, studere pariter debent, vt Templum magis, quàm reum tueantur, nec delicto faueant, sed loco; quod etiam, si fieri potest, absque alieno detrimento Auctor. dec. 305. nu. 68 cum plur. seq. p. 2. Baron. ann. 846. 10. 30
C & incommodo conficiatur. Calaritanum Episcopum Ianuarium de hoc D. Gregorius admonuit, qui de profugis ad templum loquens ait, *vt nec ipsi violentiam patiantur, & qui dicuntur oppressi, damna sustineant.* D. Gregor. epist. 38. l. 8

Sed in eos maximè Diuina indignatio efferuescit, qui sacris addictos viros Deoque ipsi authoratos potentiâ suâ audent animaduertere & mulctare: Misnensis Marchio hoc testetur, qui eò quod tributa è Clericis colligeret, nec ad eorum preces ab incepto desistere vllatenùs voluit, Diuus Benno, cuius nomen templum illud præferebat, in somnijs ei se spectandum præbens, oculo eum excœcauit; licet autem tàm miserando incommodo ille resipuisset, eius tamen audaciam iterato supplicio Deus afflixit, posteritatem omnem exscindens. Benè est, ait Diuus Anacletus Pontifex; si nanque nullatenus ab aliquo Principe permittitur, vt suos in subditos & aulicos Princeps alter sibi potestatem vsurper, an credas de suis famulis hoc idem à Deo permittendum? do eius verba; *Nullus enim, vt reor inuenitur inter nos, qui velit suum seruum ab alio, quàm à se iudicari: quod si præsumptum fuerit, aut multà ipse indignatione trascitur, aut potius vltionem quærit super eum; si verò hoc inter homines agitur, quid putatis faciet Deus* Surius 26 Iulij in vit. S. Bennon. Anacl. ep. 2 ad Episcop. Italiæ.
D *Deorum, & Dominus dominantium, qui vltionem suorum promisit non differre seruorum?* Quid vlterius hac in re superaddam non habeo; illud tantùm hic extremum adnectam, ex Ecclesiasticæ libertatis & iurisdictionis contemptu facillimè viam sterni ad ipsius Religionis contemptum, imò ad hæresim ipsam: Ex hac autem quis nesciat ipsorum Principum lapsus, regnorum tumultus, populorum cædes, regnorum funera pullulare? Ad hoc confirmandum accedas Anglia; quanta quanta es, theatrum luctuosum aperis; vbi calamitates omnes, omnia scelera gestum lachrymandum repræsentant; non alio è fonte hæc emanarunt, quàm è despectâ contemptâque Ecclesiæ authoritate; hoc etiam è fonte lutulenta & purulenta Lutheri hæresis emanauit, quâ tàm magna Borealis orbis pars miserrimè contabescit. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.* Psal. 2. 10

Quia tamen frequentissimè prophani viri querantur, nefas scilicet esse, flagitiosis-

tiosissimis & perditis viris in templo Sanctitatis Asylum aperiri, illud extremum
Baron. ann. 1032 hic inseram, quod Cardinalis Baronius scribit; in eo enim clarissimè significauit A
Deus, non eorum fœditatem perpendendam, qui ad templa confugiunt, sed ad ipsorum sanctitatem, fac eque cultui obseruantiam exhibendam: Cum igitur Castellæ Rex Sancius concitatissimo equo in venatione aprum insectaretur, ad fatiscentis Templi fornicem confugit Diui Antonini Martyris religioni consecratum; accessit Rex, ictumque vibranti, quo monstrum perimeret, brachium exaruit; quapropter non tantùm ab inceptâ aggressione animum præferocem auertit, sed ad Deum Sanctumque Martyrem conuersus, obsequentissimis precibus de patrato crimine supplex veniam postulauit; refloruit illico brachij vigor, pristinæque valetudini restitutus firmissimam legem edixit, qua prophanis iudicibus vetabatur, ne in eos, qui ad templa sacrasque ædes confugiebant, manus vllatenus inijcere auderent.

De Excommunicationibus agitur ab Episcopo vibratis, earum vis ostenditur, & rationes, quibus ipsi obarmantur, afferuntur. Cap. XXXIV. B

HOC mihi persuasum animo hæret, quod sicuti pijssimis Principibus nostra hæc ætas abundat, sic etiam in posterum nullus fuerit, qui, propter ea quæ superius enucleauimus, paratissimus non fit ad omnia ea obsequia tùm Religioni, tùm sacris viris præstanda, quibus ad eius iurisdictionem & potestatem fouendam omnes vires impendat, contentiones & rixas omnes refrenabit, & ne diuinam indignationem irritet, suarum cupiditatum præferuidos æstus temperabit; si tamen euenerit, quod auertat Deus, vt vel prauatum affectionum vi, vel falsâ regnandi disciplinâ, vel iniquorum Consiliariorum incitamento modestiæ habenis excussis præceps traheretur in transuersa, arma sua non desunt Episcopis, C
c. Canonic. & c. seq. 22 q. 3 quibus suam potestatem tueantur; viam, quâ hostiles aggressiones repellant, & violentia Principum insolescentium conamina extinguant, Concilium Arausicanum eis aperit, cuius sententiam sacros inter Canones Gratianus recitat; anac. grauem. de sent. excom. thematε igitur percellendi contumaces sunt, quo ad vsque remoueatur crimen, solutaque pœna deleatur; Epistolâ decretali hoc idem Honorius Tertius præcepit ad Senonensem Antistitem in eos scribens, qui leges Ecclesiasticę libertati adc. dilecto 6. de sent. exc. in 6 uersantes condunt & euulgant, dummodo patrati erroris eos non pænituerit, & alienos à simili noxá in posterum se firmissimè pronunciauerint.

In Lugdunensi Concilio non absimilem statuit legem Innocentius Quartus; quin etiam asserit, his potissimum armis Ecclesiam se præcingere, & spiritalem D
Auth. Item. C de Episc. & Cler. D. August. epis. in Apend. D Thom. in suplem. q. 21 art. 1. hunc esse gladium, quo se obarmat.

In quadam è suis legibus, quæ *Authentica* vocantur, in huiusmodi violatores Federicus Cæsar præter triplicem illati damni restitutionem, Cæsareum etiam edictum statuit, quod (vt ita loquar) prophanam quandam excommunicationem repræsentat: egregiè in Bonifacium Comitem & Africani exercitus Ducem, hæc omnia Diuus Augustinus exercuit; cum enim ille è templo, quò fugerat, violenter flagitiosum quendam abstraxisset, acerbâ eum epistolâ Sanctus Magister obiurgauit, & pro ea tantùm vice sacris omnibus interdixit, quod Aquinate docente, minorem excommunicationem constituit. *Oblatio verò domus tua a Clericis ne suscipiatur, indixi: communionemque tibi interdico; donec peractâ pro ausibus vel errore, a me definitâ tibimet pœnitentiâ, & tempore condonato, pro*

hoc

hoc facto, corde contrito, & humiliato dignum offeras sacrificium Deo. Ad hæc Tem-
A plo reum restituit Comes, & impositas pœnas vltrò suscepit.

Cùm Othone Cæsare hoc ibidem exercuit Bernardus Alberstatensis Antistes; cùm enim ille diuturnis & versutissimis artibus diù eum Præsulem oppugnasset, vt suæ Diœceseos partem Magdeburgensi Episcopatui recentèr electo adscribere dignaretur; hoc constantissimè recusante, eò quod non diminuendæ, sed augendæ sibi essent suæ Ecclesiæ rationes, indignatus Cæsar, domi eum non secus ac in carcere detineri iussit, vt vi ea extorqueret, quæ lenitate impetrare non potuit: ad hæc pijssimus Antistes maioris hebdomadæ feriâ sextâ, Pontificijs indumentis ornatus, ac si in eo cubiculo extrà quod egredi prohibebatur, rem diuinam agere vellet, Cæsarem aduocauit, qui celerrimè ad eum accessit, sperans paratissimum eum sibi inueniendum ad suam voluntatem explendam; vt Cæsar adstitit, formidandis intonuit Antistes. *In nomine supremæ Trinitatis anathematizo te, ò Rex, cum omnibus, qui te non deserendum putant, quod manum*
B *inieceris & detines Christum Domini*. Per iocum ea Cæsar excepit, suasque ædes inde repetijt, at postea horrendi fulminis vim suâ mente peruoluens, & ad meliorem frugem se reuocans; Episcopum statim libertate donauit, & humillimè veniâ ab eo petitâ obtentâque, suo se scelere expiauit. *Ita obtinuit Episcopalis seueritas, ne se viuo aliquid Ecclesiæ detraheretur*. sic author.

Albertus Crerosius in Metrop l. 3. c. 10.

Vides, vt præter opinionem aliud hic aggredimur pertractandum Sacerdotalis fortitudinis genus, quod in eo versatur, vt Episcopus tùm suam, tùm Dei authoritatem & honorem tueatur, excommunicationis gladium vibrans, quæ idcircò à Tridentinâ Synodo vocatur *Neruus Ecclesiasticæ disciplinæ*; Eius autem vis est, vt iuxtà mentem Aquinatis Magistri ab Ecclesiæ totius communione reum seiungens, generalibus suffragijs eum priuet, *excommunicatio est separatio à communione Ecclesiæ, quoad fructum, & suffragia generalia*: purulentum veluti membrum à reliquo florentissimæ Religionis corpore eum abscindit, sacris ab officijs amouet, omniumque bonorum operum, quibus Christiana Religio abun-
C dat, particeps esse non potest; decem & octo alia incommoda, quæ excommunicatio infert, à Diuo Antonino recensentur.

Conc. Trid. sess. 25. c. 3. init de Ref.

D Thom in supplem q. 21. art. 3.

D. Anton. p 3 tit 24 c. 79.

Et quamuis amantissimæ matris instar pro cunctis non tantùm Christiani nominis Affectis, at etiam Ethnicis enixè ad Deum preces ab Ecclesiâ porrigantur, pro eis tamen, qui anathemate sunt obstricti, precari omninò recusat; & licet hoc fieri pro illis priuatim ab aliquibus possit, dummodò tamen, vt Caietanus scribit, sacrosancta pro eis hostia non litetur, adhuc tamen fructum eorum ipsi non recipiunt, sed tantùm postulatur à Deo, vt eorum mentem salutari luce irradiet, & ad meliora pœnitentiæ consilia conuertat.

Caiet. in op. de excomm q vnica.

Diuina Sapientia, cuius vi fit, vt ex ipsis serpentibus aduersus ipsos serpentes theriaca componatur, perspicit; vt apud aliquas Ethnicas nationes hæc excommunicationis pœna leuiter exprimeretur, vt Alexander ab Alexandro eruditè scribit: præ cæteris illud affert, quòd penes Germanos, quicumque in prælio dimicans clypeum amisisset, ab aliorum commercio & à sacris ipsis exclusus, & turpi quadam ignominiæ notâ obsignatus esset; confirmantur hæc à Tacito, quæ procul dubio fiebant, vt tùm alios ad inuictum robur excitarent, tùm eum fœdo
D quodam rubore suffunderent.

Alex. ab Alex l. 4. c. 7.

Tacit. de morib. German.

Græcorum etiam lege statutum erat, vt qui Veneri effrænè studerent, & humano fuso sanguine pollurentur, sacris omnibus interdicerentur.

A templorum ingressu eos omnes Magi repellebant, qui lentiginem vultu præferrent; arbitrabantur enim, vt Plinius asserit, eos numinibus odio esse, *Lentiginem habentibus non obsequi numina, vt cerni non possint*. Animantium custodes Aegiptij etiam sacris ab ædibus excludebant, ac si sui ministerij sordibus eorum sanctitatem impurarent, vt Herodotus refert: de nonnullis etiam Pausanias narrat, quòd, vt excisum ab eis Delphicum templum vlcisceretur Philippus Rex, eos ab eodem templo aliarumque gentium consortio seclusit; sed præ alijs Christianos ferè ritus assequuti sunt Galliarum populi; quandoquidem, vt in quâdam è meis decisionibus explicaui, si eorum aliquis Druidarum lege sacris inter-

Plin. l. 30. c.

Herod. l. 2.

Auctor. in decis 305. n 90 par. 2.

interdiceretur; omnium odio & contemptu afficiebatur & tanquam humanâ societate indignus omnibus erat inuisus. A

His veluti naturæ rudimentis in legis tempore excommunicatio fuit adumbrata, quæ tamen expressa postmodum accommodatiùs fuit; Iudæis enim præcipiebat Deus, vt leprâ polluti à reliquo exercitu arcerentur, tùm quia, cùm in eo Deus tanquam in suâ Sede immoraretur, nefas erat, vt sordidum aliquid & immundum in eo esset, tùm etiam ne fædus ille morbus in alios etiam irreperet: in anathemate, quo Iosue Hiericunthinam vrbem castigauit, nostrum etiam anathema fuit adumbratum. Verùm post extructam Templi molem, post conditam Synagogam, aliâ excommunicatione Iudæi vtebantur: huius enim robore quicumque Mosaicam legem auersaretur, è Synagogâ eijciebatur; quapropter nefariâ Senedrin lege, vt Diuus Ioannes testatur, statutum fuit, vt qui nostri seruatoris Iesu legem amplexaretur, è Synagogâ expelleretur, quo supplicio cœci nati pietatem mulctarunt, cum luce oculorum Christi beneficio recuperatâ, eius legem impauidus & strenuus excepit simul animo & verbis euulgauit. B

(Leuit. 13. 46 & num. 5. 1.) (Iosue 6. 17.) (Couar. latè de sent. excom. p. 1. p. 8 num. 7.) (Ioan. 9. 22.)

Aptiùs tamen & perfectius in fraternæ correctionis præcepto vim excommunicationis Christus ipse Dominus delineauit: præcepit enim, vt nullo audiente primùm corripiatur; inde coram vno vel altero teste; his peractis, ni resipucrit, denuncietur Episcopo, *Dic Ecclesiæ*, hoc est ei, qui Pastoris & Præsulis prouinciam gerens eam vrbem moderatur, & Ecclesiam repræsentat, & in quo iuxtà illud Diui Cypriani effatum, *Episcopus est in Ecclesia, & Ecclesia est in Episcopo*; nisi autem ad eius vocem meliora consilia ceperit, *sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*, hoc est Diuus Chrysostomus, Hilarius, Augustinus, & Glossa explicat, sacris omnibus interdicatur, quod vtrique clarissimè Christus ipse significare videtur, dum posteà suos Apostolos alloquens tanquam Ecclesiæ Præfectos, iuratus ait, *Amen dico vobis quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlo*; quibus è verbis tùm memorati Magistri, tùm Theologi omnes potestatem colligunt, quæ Episcopis inest, anathemate percellendi eos, quos in se contumaces & ceruicosos experiuntur; quin Theodosius ipse Cæsar, Ambrosij Mediolanensis Episcopi authoritate propter immanissimam cædem, quâ Thessalonicensem vrbem funestauerat, exclusus è templo fuit, hoc idem non ignorasse visus ex illis verbis est, quibus aulicos suos instruxit, *Seruis & mendicis ad Templum patet accessus; mihi præclusus est. Scio enim Dominum dixisse; quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in Cœlo*. C

(Math. 18. 15. 22. & seq.) (Math. 18. 18) (VideBellar. & Suar. tra. de pœnit sec. In vit. San. Ambr. apud Barron.)

Quâ de causâ Magister Aquinas statuit authoritatem hanc ad Episcopos & maiores Præsules deriuari è Iurisdictione, quam simul cum ordine dignitatis cis Christus Dominus impertiuit, Pontificiæ tamen Sedi, & potestati subiectam.

(D. Thom in supplem. q. 22. art. 1.) (D. Theoph. in c. 18. Mat.) (D. Gregor. hom. 26. in Euang.) (D. Tho. d. q. 22, art 1.)

Diuus verò Gregorius de ingenti hac Apostolis impertitâ potestate sermonem habens sic ait: *Horum profectò nunc in Ecclesiâ Episcopi locum tenent, ligandi atque soluendi authoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur*. Ab ipsis verò Episcopis suis etiam Vicarijs, licet non sint Sacerdotes, simul cum dignitate & munere conferri vtique potest. Ad viros refractarios effringendos virga ferrea vaticinio illo promittitur. *Reges eos in Virga ferrea*, quâ scilicet improborum arrogantia & temeritas edometur; quâpropter Diuus Hieronymus ægro animo tulit, quòd Episcopus quidam ad Vigilantij nequitiam infringendam sacerdotali zelo succensus virgam ferream non exerceret: *Miror Sanctum Episcopum non virgâ Apostolica, virgaque ferrea confringere vas inutile: cum scriptum sit; in matutino interficiebam omnes peccatores terræ*. Sic ille. D

(Psal. 2. 9.) (D. Hyeron. epist. 53. ad Riparium.) (Psal. 100. 8.)

Quin excommunicatio gladius quidam est, quo ad indignos è Sacris eliminandos obarmatur Episcopus, & meritò illi comparandus, quo Cherubim ille ad terrestris paradisi fores custodiendas coruscabat; ad quam mentem ea Apostoli verba, *Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est*, Diuus Hieronymus explicat hoc stylo, *Sacerdotes gladium spiritus portant; sicut Petrus percussit Ananiam & Saphiram, & Paulus Magos*. Igneus æquè ac ille gladius est, & idcircò igneos fore Antistites affirmauit Hesychius, ad probos illuminandos, ad impro-

(Rom. 13. 1.) (D. Hyeron. ibid.) (Hesych. l. 2 Leuit. c. 10)

A improbos cruciandos: ipsi Apostoli in suis constitutionibus à Diuo Clemente Pontifice recitatis, Episcopis præcipiunt, vt tanquam publicæ quietis euersores, & Satanæ stygia membra eos anathemate percutiant, qui falsi testes sunt, & calumnijs disseminandis propensi, ad Episcopos rursum conuersi hæc ipsi dixerunt. *Qui iustè a vobis punitus est, & excommunicatus, idem a vita immortali & gloriâ reiectus est, & apud iustos & pios homines inhonoratus & inglorius, & apud eundem Deum damnatus*. Hoc enim in Ecclesiæ primordijs erat in more, vt qui sacris interdictus fuisset, omnium odio, iniurijs, probris obiurgationibus afficeretur, adeò vt ad veniam suppliciter petendam erubescentiam illam, eaque ludibria euitaturus infelix ille excitaretur, eaque sponte suplicia susciperet, quæ Præsulis arbitrio irrogabantur. Ad quam sententiam ea Apostoli verba, quibus de incestuoso quodam sacris à se interdicto & errorem postea pœnitentia corrigente verba facit *sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio hæc quæ fit a pluribus*; adeò vt à communione fidelium segregari sacrisque omnibus, dixerit Tertullianus, formidandi iudicij diem quodammodò repræsentare, tunc quando summâ cum omnium sanctorum detestatione à suo consortio improbi seiungentur. *Summumque futuri iudicij praiudicium est, si quis ità deliquerit, vt a communione orationis & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur*. Cõs. Apost. l. 2. cap. 43. Conf. Ap. c. 47. d. l. 2. Clem. l. 2. const. c. 20. 2. Cor. 2. 6. Tertull. in Apol. c. 39.

B

Atque vtinam mos iste non exoleuerit; maiori namque in pretio sacra omnia essent, & Episcopale potissimum sacerdotium; quin ea ingens etiam vtilitas ex hoc oriretur, quòd qui sacris interdicitur, non placidè inter anathematum fulmina dormitaret, seque ipsum quiete tàm perniciosâ perimeret, & alios inquinaret, quin etiam honestas omnis in eo seruaretur; cum enim Episcopus Ecclesiam totam repræsentet, idem omninò est, eius anathemate percuti, ac omnium approbatione & suffragio pœnam illam irrogari, iuxtà D. Anselmi sententiam; *Sacerdote excommunicante totum corpus Ecclesiæ operatur*. D. Ansel. in c. 18. Math.

C Quin vt aptius loquamur, non tàm ab Episcopo, quàm ab eodem Christo Domino, cuius ipse Vicarius & administer est, horrenda dirarum verba pronunciantur, & anathematum verbera infliguntur; quo titulo validissimè D. Chrysostomus vtitur ad eorum formidinem & horrorem in Christianos animos inferendum. *Nemo contemnat vincula Ecclesiæ; non enim homo est qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit, & Dominos fecit homines tanti honoris*; sic ille: ad quod aptiùs intelligendum expendit Diuus Antiochus, haud quaquam à Christo Domino pronunciari, quæ in terrâ ligaueritis, ligatæ & erunt in terrâ, *sed erunt ligata & in Cælis*; adeò vt Christum ipsum veluti collegam suum Episcopus habeat, eumque è Cælo socium aduocet ad anathema & sententiam confirmandam. *Quippe qui Deum ipsum inuenies sententia tali tua suffraganeum, quasi qui dum hæc facis, contestere eadem sancita & in Cælis*. Hæc ex Antiocho Magistro Sanctissimo. D. Chrys. hom. 4 nu. c. 1. epist ad Hebreos. Rel. in epist. nemo 11. q. 3. Antioch. ho. 122.

§ I.

D EA autem, quæ anathematum robur efficit, optimè in eo diuino præcepto exprimuntur, quo antiquitùs mandabatur, vt qui supremo eius ætatis Sacerdoti arrogantèr insolescens obstaret, capitis pœnâ mulctaretur, tùm ad totum populum eo crimine emendandum, tùm ad alios etiam instruendos: *Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbiâ*. Egregiè D. Cyprianus docet, quòd sicuti tunc temporis corporea circumcisio erat, sic etiam ad corporis cruciatus referebatur pœna, quæ ceruicosis viris & improbis infertebatur; cùm autem post Christi aduentum spiritalis circumcisio fit, spiritalis quoque fit pœna, quâ in spiritali anathemate impiorum audacia castigetur, & à reliquo Ecclesiæ corpore putrida veluti membra viri nefarij resecentur. An non spiritalis quædam mors ista est, cùm extra Religionis fines nullus possit viuens appellari? Deuter. 17. 12. D. Cypr. l. 1. ep. 11.

Quin

Quin quodcumque aliud corporeum supplicium longè spiritalis hæc pęna antecellit. Nulla fuit Tyrannorum sæuities, nulla carnificum immanitas, quæ A suos eruciatus comparare huic supplicio possit: in vnum corpus sæuitiem ipsi suam exercebant, & in vnâ carne cruciandâ suas ipsi vires ostentabant. Animum ipsum, quem percutiat, inuadit Episcopus, adeò vt quò magis impunè vagari videatur reus, eò grauiori supplicio puniatur: fidem his dabit Augustinus, qui ea verba Christi seruatoris explicans. *Si Ecclesiam non audieris, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*; hæc autem ad anathemate percussos dirigi superiùs suffragantibus alijs docuimus, sic pergit. *Grauius est, quàm si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subigeretur: nam ibi quoque subiunxit, quæ alligaueritis super terram erunt ligata & in Cælis, vt intelligeretur, quantò grauiùs sit punitus, qui velut relictus est impunitus.*

Math.18.
D. August. in.

Quodnam sanè supplicium excogitari grauius potest, quàm sacris aliquem interdicere, Templorum ingressu prohibere, à bonorum operum communione, à Christi fidelium consortio seiungere, Dei patrocinium, Pastoralem curam denegare, eumque Satanæ potestati subijcere, qui suo se subijcere Prælato recusauit? B pęnas omnes, quibus excommunicatio afficit, breui carmine D. Bonauentura circumscripsit: tàm graues & ingentes eæ sunt, vt horrorem incutere cuilibet possint, & obduratissimum quemque animum emollire.

D. Bonau. p. 1. Centiloq. c. 17.

Gratia subtrahitur magis, ac magis obice rupto.
De vitio cadit in vitium: suffragia perdit
Ecclesiæ: Satana vexandus traditur ille,
Quem ligat ex proprijs anathematis vltio culpis.

1. Corint. cap. 5 vbi Chrys. Aug & Ansel. Tertull. de pudicit. c. 13 D. Ambros. de pęnit. c. 34.

Quâpropter Apostolus, cum præceptum daret ijs, qui Corynthium populum moderabantur (non dum enim præfectus ei erat Antistes) vt incæstuosum quendam anathemate percellerent, eâ dicendi formâ vsus est, *Tradere huiusmodi Sathanæ*; quibus è verbis Tertullianus & Magistri Sanctissimi Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Anselmus, alijque concordi suffragio ineluctabilem anathematis vim colligunt, cum reos Satanæ potestati subijciat, eiusque tyrannide, quæ ab Ecclesiæ Regno procul est, comprimendos permittat: optimè C

D. Hilar. in psal. 128.

Diuus Hilarius. *Qui ab Ecclesia corpore respuuntur, quæ Christi est corpus, tanquam alieni à Dei corpore, dominatui Diaboli traduntur*; cui Diuus Augustinus consonat, vt habetur in sacris Canonibus. *Omnis Christianus, qui a sacerdotibus excommunicatur, Sathanæ traditur: quomodo? quia scilicet extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus.* In eos igitur tyrannidem suam Satanas exerit, nouisque eos criminum & vitiorum obstringens vinculis, ad infanda quæque trahit, & ferocissimi leonis instar miserandas eorum animas discerpit & vorat; è scelere in scelus agit, donec sui socios præcipites in Tartari foueas impellat; habes hæc omnia è mente Ambrosij, Augustini, Hieronymi, quorum hic docet, quòd relatis verbis Apostolus, *ostendit eiectum ab Ecclesia rapido ore dęmonum lacerandum si permiserit, nolens carnis vitia mortificare.*

D. August. ser. 68. de verb. Apost. C. omnis Christian. 3. q. 3.

D. Hieron. in 1 Corint 5. 5.

Quin doctissimi Patres superiùs memorati, & præ alijs luculentissimè Theodoretus testatur, quòd primęuâ illâ Christianæ Religionis ætate, si fortè ad anathema in aliquem pronunciandum cogerentur Antistites, in eorum corpora Stygij ipsi spiritus irrumpebant, & sæuissimè eos cruciabant: in veterum Patrum monumentis plurima de hoc scatent exempla, & potissimùm Paulinus narrat, quòd eodem prorsus temporis articulo, quo Diuus Ambrosius anathemate non neminem percutiebat, eius corpus Dæmon inuadens ad omnium aspectum dirissimis cruciatibus eum agitabat; hoc tamen ostenditur ingens malorum lues, quâ animam ipsam inficit, omniaque eius bona pęssundat. Iure tamen meritò fit, vt qui ab Ecclesiæ regimine rebelli contumaciâ se subduxit, & qui Christi imperium in suis Episcopis detrectauit, (his enim, vt olim de Samuele dicitur, *non te abiecerunt sed me*), sub Dęmonis tyrannide ingemiscat, qui Pastoris amorem excussit, lupi rabie lanietur, qui paternum Episcopi regimen contempsit, Satanæ captiuitate implicetur. D

Theod. ibid

Paulin in vit. S. Ambr

1. Reg. 8. 7.

Temporanea hic mihi damna præstare non libet, quæ in eosdem irruunt, licet animo

animo obcœcati ea non animaduertant; Cometes excommunicatio est, quæ in
A præsenti minatur & funestissima postmodum mala deuoluit. Profectò prænobilis quidam Eques adhortanti mihi, vt se tàm fœdis & stygijs vinculis expediret, ingenuè significauit, post anathematis sibi fulmen incussum, rem suam domesticam miserandis incommodis fuisse afflictatam.

Temperare hic ego calami vim non valeo, quin admirandam Episcoporum authoritatem non amplificem, & piâ veneratione complectar; ea enim est, vt in Ecclesię regimine collegam Deum ipsum sortiatur; ex eâ enim repellere homines datur, & simul in eâ reduces excipere: in stygium carcerem dominatum ipsi exercent, dum improbis eum reserant & pænitentibus obstruunt; ipsum quin Cælum dominari quodammodo videntur, dum non ad pluuias prohibendas, vt Elias, ipsum suo claudunt imperio, eiusque adamantinas fores obstringunt, sed ad eas coërcendas pluuias, eumque rorem detinendum, quo Diuina beneuolentia nos viuentes irrorat, & immortali postea beatitate coronat; & demùm
B Numen ipsum aduocant ad formidandas in reos sententias confirmandas: qua propter ea verba, *quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in Cælis*; Diuus Nichon expendens, in hæc erumpit. *Vide vim verbi, vt qui excommunicat, vel deponit, vel prohibet, rem terribilem ducat, vt qui Deum ad vnâ secum ferendam sententiam vocet, nempe qui sub eius, qui est in Cælis, testimonio hoc agit: Iam & qui prohibetur, vel deponitur horreat, vt qui extra Regnum Cęlorum eijciatur.* D. Nicon. ep. ad Encli. tium. to. 3. Bibl. Patr. Matth. 16. 19.

Quàm exigua Regum & Cæsarum potestas est: licet vltrà Gaditanos limites se ille porrigeret, quàm leuis, quàm breuis adhuc esset, dum paruulo terrarum spatio, quod ad Cæli aspectum, punctus est, definiretur. Episcopi imperium tàm amplum & speciosum est, vt suæ Diœcesis fines egrediens, Cælum ipsum attingat, adeò vt eius anathemata Deus ipse audiat, & suâ voluntate confirmet.

C

§. II.

HAEC tamen verbera, quæ inferuntur, hæc vulnera quæ infliguntur, pijssimi amoris magisterio tùm Ecclesia Mater, tùm Pastor Antistes non ad mortem, sed ad vitam infligit, & ex ipsâ excommunicationis amaritie dulcissimos haurire succos nouit, quibus suis filijs blandiatur. Duæ rationes sunt, quibus ad excommunicationem inferendam Ecclesia prouocatur, & in vtràque earum Diuinum Tribunal imitatur, vt docet Aquinas; Prima igitur earum est, vt erubescentiæ sublatæque ignominiæ vi Præsulem venerari iniqui condiscant, & semitâ vitiorum omissâ, viam aggredi honestatis; quâ de causâ Timotheo significauit Paulus, sacris se duos improbos interdixisse, *Ex quibus est Hymeneus & Alexander, quos tradidi Sathanæ, vt discant non blasphemare*: mirandum sanè! vt blasphæmiam dediscant, blasphæmiarum magistri eos tradere potestati; supplicium pro magisterio eis sit & pro magistro dolor; habent enim hoc illata supplicia, vt animos vitijs obduratos emolliant, & mentes sceleribus obcœcatas il-
D lustrent; Hinc illud Regij Psaltis, *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine.* D. Thom. in 4 dist. 18. D. Anton. p. 3. tit. 24. c. 76 in prin. 1. Tim. 1. To. Psal. 82. 17

Ratio altera est, ne purulentis & venenatis improborum moribus sordescant & vitientur probi; quod fuit in causâ, vt incæstuosum illum Corinthium diris obstringeret Apostolus, *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit.* 1. Corint. 5. 6.

Quoad primam rationum Parentibus ipsis vsitatum est, vt dissolutos effrænesque filios tùm è domo tum è mensâ repellant, ne eo quidem animo, vt eos à se auellant, & opibus suis expolient, sed vt repurgatis moribus efflorentes, tùm suos hæredes meritò scribant, tùm suâ beneuolentiâ dignos inueniant; verbera non rarò ijs infligunt, vt arrogantiam exuentes paternum nomen obsequantur; hoc propè idem præstat Episcopus, qui iuxtà mentem Diui Chrysostomi, in- D. Chrys. hom. 1. in 1. ad Corint.

terdictum virum Satanæ committit, *tanquam pædagogo eum tradens*.

D.Cyprian. ep.8.l.5.vel 7. Quamuis autem Diuus Cyprianus eum, qui anathemate percussus est, inerti militi comparet, quem è militum numero cum ingenti dedecore delet armorum Præfectus, adhuc tamen facultatem ei Dux facer exhibet, vt abolitâ sui nominis infamiâ ad relicta Christi vexilla reuertatur; quòd si non rarò suas deuias oues Pastores omittunt, in eis quærendis desides, Episcoporum est, à reliquo grege aliquam ex illis seiungere, vt crimen suum & discrimen agnoscens, ouile Pastoris repetat lætissimè excipienda. Tàm excelsam potestatem ideo nobis Numen A

1.Corin.10 impertiuit ait Apostolus: *Quam dedit nobis Dominus in ædificationem & non in destructionem*: vulnerat quidem, secat, destruit spiritualis gladius, ait Hesychius at *tunc destructio non est ad destructionem, sed ad ædificationem*. Amara quidem

Eschius ibi. excommunicatio est, sed eius potus ad valetudinem afferendam, non ad amaritiem percipiendam sacris à medicis exhibetur; vulneri ferrum apponitur, non ex odio, sed ex amore, non ad dolorem, sed ad sanitatem; vt enim egregiè

D.Cyprian. ferm.3.de lapsis. Cyprianus ait, *Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & multis recessibus viscerum virus incensum dum seruat, exaggerat. Aperiendum vulnus est, & secandum, & putredinibus amputatis, medelâ fortiore curandum*, vt diuinæ beneuolentiæ ceruicosum & transfugam filium reddat, cum ignominiæ notâ dehonestans. B

Quo ad alteram rationem quis ignoret, quàm perniciosa sit mali exempli vis, & quàm facilè in alios omnes scelerum licentia irrepat, si nullâ pœnâ coercita florere videatur in aliquo? Damnandus ille Pastor esset, qui ne morbidam & tabescentem ouem à grege segregaret, tabidam luem in totum ipsum gregem fœdâ se contagione porrigeret, per summam desidiam pateretur; effatum illud

Virg. quis ignoret, *Morbida facta pecus totum corrumpit ouile*: Damnandus pariter ille Chirurgus esset, qui putrescenti membro parcens totum corpus in extremum

Cic.l.3.off. discrimen adduceret; ad benè gerendam Rempublicam malis illata supplicia perneceſſaria esse censuit Romanus Orator, hoc tantùm argumento compulsus: *vt membra quædam amputantur, si & ipsa sanguine & tanquam spiritu carere ceperunt, & nocent reliquis partibus corporis: sic ista in figurâ hominis feritas, & immanitas belluæ a communi tanquam humanitate corporis segreganda est*. Quid de Archiatro illo sentires, qui prauos humores visceribus inhærentes non exhauriens, morbo iniquissimo locum daret, & læthali febri alimenta relinqueret? C

D. August. sic propè nostrâ in re philosopheris, ait Augustinus, *Mali Christiani, sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali: quando exinuntur, tunc releuatur corpus: sic & mali quando exeunt, tunc Ecclesia releuatur & dicit. Ex me exierunt homines isti, sed non erant ex me*.

Discordes fides Citharædi manus abscindit, ne concordem aliarum vocem dissono fragore confundant; sic propè ex armonico Christianæ Religionis plectro discordem reum auellit Episcopus, ne piorum concentum suo consortio euertat: non benignitati at crudelitati tribueudum, si cum proborum discrimine improbos æquè pateretur Antistes, & sanctitatem ipsam in periculum vocans, sceleribus fræna laxaret. Antistes, vt Rabanus ait, *eijcit vnum de Ecclesiâ vt multos*

Raban. ad c.13. Hier. *seruet incolumes*. Virulenta & lætbalia germina eradicans non hortum destruit, at ornat, non fœdat at purgat. Pulchrior & mundior Ecclesia tunc est, cùm ex D

Const. Ap. l.2. c.43. eâ flagitiosi & improbi repelluntur; *Atque Ecclesia Dei magis nunc ornata fuerit, quàm antea, cum erat in ea aliquod membrum superuacaneum, & ab ea alienum*. Sic è Diuo Clemente in suis constitutionibus Apostoli docuerunt.

Episco-

A Episcopales Excommunicationes quò magis Hæreticorum vi oppugnantur, eò validiùs admirandis prodigijs tùm Cæli tùm terræ suffragio confirmantur: qui verò anathemate percussi ab vno Episcopo sunt, Episcopis omnibus reprobandos esse probatur. Cap. XXXV.

B

VALIDISSIMVM omnium supplicium, quo flagitiosi vapulent, anathema esse, satis, ni fallor, probauimus. Ex his hæretici, vi potè qui perfidiâ & vecordiâ omnibus antecellunt, primam sibi sedem vsurpant; quàpropter miserandis nequitiæ sordibus absorpti, nec tantùm Religionis, sed ipsius humanitatis quouis sensu deperdito, rabiosorum canum instar, in saxum, quo vt ad pœnitentiam reuocentur, piâ Episcopi, imò Dei ipsius manu percutiuntur, rabiem suam exercent, eaque anathemata mordacissimi impetunt, quibus ipsi plectuntur. Hinc contemptu ea habent Petrobusiani & Henriciani apud Petrum Cluniacensem; apud Diuum Antoninum Albigenses ab Ecclesiâ hanc remouent potestatem: Antichristi opera vocantur à Luthero, eaque omnibus æquè ac Episcopis liberaliter impius impertitur: Ioannes VVicleffus stultissimè insolescens Episcopis præcipit, ne in vllum excommunicationem vibrent, quem C prius à Deo interdictum nesciuerint, ac si cogi Deus possit, vt quæ in Cælo operatur, nobis ipse reuelet.

P. Eluniac. ep. de corū hæresi. D. Antonin p. 4. sum. tit. 11. c. 7. §. 5. Luter. epist. ad Senat. Pragens. Vide art. 1. Constantiæ damnat.

Nec vlla me admiratio subit, eò quod tot hæresum acies Episcopalem potestatem inuadere animaduertam, cum ex hoc eodem fonte hæreses ipsæ nascantur: ex eo enim, quòd Episcoporum potestatem flagitiosi nonnulli contempserint, eosque vt Christi Vicarios obsequi recusauerint, tanta malorum seges egerminauit, & tot errorum procellæ sæuierunt, quarum vi extra Ecclesiam eiectati luctuosè fuerunt. *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex Vice Christi cogitatur.* Sic Diuus Cyprianus.

D. Cypr l. 2 epis. 3. alias 55.

Verùm è superius allatis compertum satis est, quâm validè istorum nequitia & ignorantia, tùm Diuinis Oraculis, & Apostolorum legibus, tùm sanctorum Patrum Conciliorum Pontificumque suffragio reprobetur, adeò vt nullus sui compos esse valeat, qui nebulones istos & sycophantas versutissimos citrà maximum dedecus, vel audiat, vel sequatur; quin de palmari mendacio principes & Cæsares ipsi eos obiurgant: Et vt Theodosium omittam, de quo plura è D Diuo Ambrosio superiùs aperui, Germaniæ Rex Arnolphus non tantùm Episcoporum nomen & anathema obsequentissimè excipiebat, sed in Conuentu Triburiensi coram se habito statuendum contendit, vt quicumque Episcopales diras aspernatus, meliora consilia non capesseret, ac si perduellis esset, carceri daretur, & coram se captiuus sisteretur.

Conc. Trib. c. 3. Baron. ann. 8. 5.

Aragoniæ Rex Petrus sui nominis claritatem illustriorem fecit ex obsequio Episcopalibus diris exhibito, quàm ex hostium cædibus & ingenti accessione regnorum; prolixè in his & alijs huiusmodi explicandis Ribadeneira immoratur.

Ribad. l. 1. de princ c. 31.

Quæ tamen Florentina Respublica dedit hac in re pietatis exempla, præterire illaudata non licet: cum enim Lithurgos duos luxuriosè versantes sæcularis cohors nocturno tempore inuenisset, in carcerem eos primò coniecit, tùm elucescente iam

Surius in vit. D. Antonio.

die inter tubarum sonitus ad saetum forum eos addnxit; in Vrbis moderatores anathema statim euibrauit Diuus Antoninus eâ ætate Florentinæ Vrbis Antistes, A eò quòd Sacerdotes suos tàm indecorè & ignominiosè sibi reddiderit, nec vllâ vel precum, vel minarum vi fieri potuit, vt eos pronunciatis diris exolueret, quo ad vsque festiuâ quadam die fune collo præcincti ad primarij Templi scalas assidentes, *in forma Ecclesiæ consueta*, Episcopi potestati se absoluendos subiecerint. Rursùs, cùm ab Eugenio Quarto Pontifice Apostolicus quidam Commissarius Florentiam mitteretur, obsidis loco eum Florentiæ Reipublicæ Præfecti detinuerunt, vt aliquos Florentinos Conciues Romæ captiuos eâ opportunitate recuperarent; anathema igitur in eos Diuus Antoninus intorsit; sed cùm, vt inanem & inhonestam excommunicationem Florentini Ciues aspernarentur, ad templum suâ freti potentiâ accesserunt. Vix hæc Antoninus accepit, vt statim Templum ingrediens, tùm Sacerdoti, vt altare relinqueret, tùm Clero vniuerso vt à templo abiret generosè præcepit; paruere alacres illi, & horrore quodam percussi Florentini Ciues non tantùm furoris æstus temperarunt, sed æquissimo B animo tùm illatam contumeliam, tùm acerbam animaduersionem, quâ eorum nequitiam vir sanctissimus castigauit, pertulerunt.

Surius in eius vita 16. Maij. Memorandum hic etiam meritò videtur, quod de Diuo Dunstano Cantuariensi Episcopo legitur; hic enim post triplicem admonitionem, potentissimum quemdam Dynastam sacris interdixit, eò quòd Herodis væsaniam imitatus, sui fratris vxorem in sponsam sibi coniunxisset; ad Britanni Regis preces, minas, imperium, quibus Dynastæ sceleribus Regalis potentia patrocinabatur, impauidum se Magnus Antistes obiecit; quin ad eius contumaciam fortiùs retundendam, grauioribus eum diris obstrinxit; & licet Romanâ ex aulâ propitium sibi mandatum Comes ille extorsisset, paratissimum se ad obediendum fore respondit Antistes, si suum ipse damnans errorem, vitiosam consuetudinem exsecasset, cum publica scelera permittenda sibi nullatenus essent, quin Dei leges violaret. Ad inuictam Presulis sui constantiam & earum calamitatum formidinem, quibus anathemate percussi frequenter obruuntur, fœminæ consortium à se Comes abdicauit, & pedibus nudis incedens, rudique togâ indutus, virgam manu præferens, se Archiepiscopo coram Prouinciali Synodo prætulit, eiusque ad genua supplex prouolutus, inter vberes fletus, erumpentesque singultus veniam humillimus postulauit. C

Erubescat ad hæc nostra ætas, quæ eò nequitiæ deuenit, vt plebis & populi fecem ea pudeat facere, quæ olim potentissimi viri fecerunt.

Quoniam autem in Angliâ versamur, ad Diuinam gloriam celebrandam nostramque validiùs socordiam excitandam, Ioannes eius quondam florentissimi, nunc funestissimi Regni Princeps se spectandum exhibeat; hic enim, vt se Ex Regiftr. epift. Innoc. iij. Pontificijs diris, quibus erat alligatus, absolueret, tributarium Romanæ Ecclesiæ suum regnum inscripsit: ipsimet in medium prodeant flagitiosissimi viri, ad vim Aror. to. 2. l. 4. c. 34. Episcopalis anathematis comprobandum; Andronicus primum hic sibi locum vsurpet, qui Pentapolitanæ Prouinciæ Præfectus ad cætera vitia, quibus fordescebat, crudelitatem in subditos addidit, & sacrorum omnium contemptum: Synef. ep. 58 Baron. ann. 411. quapropter Ptolemaidis Antistes Synesius, Prouinciali Conuentu habito concordi omnium suffragio à piorum cætu fidelium eum segregauit: ad anathematis D fulmen, præter omnium opinionem, effrænem ille licentiam vitiorum excutiens, ad Antistitum patrocinium confugit, vt veniam ab Synesio impetraret: impetrauit vtique ex alacritate, quâ pœnas irrogatas excepit, viriaque ante acta damnauit.

Desiderio iam Regi Longobardorum locus detur; Romam expugnaturus exercitum validissimum ille ducebat, & potiundæ spe victoriæ ferocientem: Obuios se illi, mandante Pontifice dedere Tiburtinus, Albanensis, & Prænestinus Episcopi; ei Pontificis nomine, & sub excommunicationis pœnâ significaturi, vt ex Almæ Vrbis viâ, quàm citissimè recedens, aliò sui vim furoris inferret; ad sacri fulminis nomen exhorruit ille, animumque admirandâ conuersione refrænans, Regni sui sedes repetijt, non Româ suis armis, at suâ voluntate feliciter

citer expugnatâ; sed accipe Fulgosium. *Incredibile forsan videatur, & tamen* A *vero verius est, Barbarum Regem superbia atque immanitatis plenum, quem arma non mouerant, simplicis anathematis denunciatione territum, sententiâ mutatâ, retrò exercitum conuertisse.* Bapt. fulg. l. 1. c. 1.

Hæreticorum mendacia populi omnes exsibilant; Robertus hoc testetur Galliarum Rex; cum enim hic ex incæstuoso connubio à plerisque Galliarum Episcopis vnà cum coniuge fuisset anathemate percussus, sacerdotali edicto tàm ingenti terrore perculsa tota Gallia fuit, vt omnium famulatu destitutus Rex, duos tantùm vix sibi seruaret famulos, quorum operâ ad sumendos cibos vteretur; hi autem, cum vasa ipsa & patinas anathematis lue infectas existimarent, vt à Rege tangebantur, flammis absumendas committebant; miserrimam suam conditionem Rex comprehendens illicò resipuit, effrænemque libidinem extinguens, mentisque pertinaciâ emollitâ fœminam dimisit,& formidandis anathematis vinculis curauit exolui: habes hæc è Damiano. D. Petrus Dam epist. ad Desider. Abb. Baron. ann. 96. to. 10.

B Ipsa eadem monstra Hæreticorum effrontem audaciam damnant: Cum enim Pius Apamiensis Antistes illustrissimum Procerem sacris interdixisset, è nuptijs cum consanguineâ initis, canes ipsi, (ex eodem Damiano habes illa) canes ipsi, licet familiares & famelici ne delibare quidem panem voluerunt, quem de nuptiali mensâ sponsorum manus eis subministrarunt; omittere mirandum illud placet, quod nuperrimè scriptor non obscurus exarauit, de excommunicatione quâ in Ouinensi Ecclesiâ percussi mures exitu memorando fuere. D. Petrus Dam. ep. ad Hildebrand Gonzal.

Quid plura? Satanas ipse, stygijque eius administri excommunicationis robur, & Episcoporum in ea pronuncianda potestatem probent: cùm enim semel templum Theodobertus Rex ingrederetur cum aliquorum famulatu, quos Episcopus Nicenus interdixerat, ad populum conuersus Antistes ait, nisi qui anathemate percussi sunt, è templo egrediantur, sacrosancta hostia Deo non litabitur; repugnante ad hæc Rege, Dœmon, qui Energumeni corpus obsidebat, elatâ admodum voce tùm virtutes illustris Episcopi commendauit, tum arcana quæ- C dam Theodoberti Regis scelera euulgauit. Gregorius Turonensis Antistes hæc refert. Gregor. Turonn. l. de vit Patrum c. 17. & apud Sur. 1. Octobr. Bibl. Patr. t. 7.

Quorsum tamen hæc, si Cælum ipsum non rarò eorum audaciam fulminibus suis profligauit, qui insolescentium Gigantum instar anthemarum fulmina contemnebant: fidem abundè faciat Dynasta ille, quem superiùs memorauimus ab Apamiensi Antistite Pio sacris fuisse interdictum; cùm enim ad meliorem frugem reuocare suam mentem recusasset, & scelerum molem excutere, dùm placidissimè cubans quiesceret, fulminis vi miserandus occubuit: fidem ij faciant, quos sacris diris Hugo Lincolniensis Antistes obstrinxerat; cùm enim per summam impudentiam eas aspernarentur, occultâ quadam vi humanis ab oculis effugerunt; miles etiam ille prodeat, quem eâdem de causâ Dæmon egressus crudeliter submersit; fœmina etiam illa prodeat, quæ, cum eam Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus execrationibus diuinxisset, protinus perijt Diabolo suum spiritum excipiente; eius autem corpus diù incorruptum Deus reliquit, vt Loth vxoris instar in salis statuam conuerteretur, quo aliorum opera condirentur. D. Petrus Damian. vt supra. Sur. in eius vit. c. 23. tom. 6. In hist de Patriar. Constan. cap. 9. de Maximo.

D Memorandum pariter eius Dynastæ exemplum est, qui post anathema in eum ab Antistite vibratum, absque eò quòd interdictis pœnis vllo modo liberari posset, quamuis pro eo consanguinei familiaresque omnes deprecarentur, immaniter cæsus occubuit; cum autem, ignorante Antistite, nonnulli sui milites in Cœmeterio eius corpus tumulassent, posterâ die eius cadauer extra illud in solo nudum repererunt, absque eò quod lapis, quo sepulchrum tegebatur, ne leuiter quidem excussus videretur; eo igitur reserato, eius vestibus ibi non repertis, denuò eum ibidem tumularunt, diligentissimè simul & validè illud claudentes, ingenti etiam lapidum aceruo supra posito; verùm proximâ die, è sepulchro iterum longissimè remotum inuenerunt, quod quinquies rursus euenit, demùm tanti prodigij stupore perculsi, prophano in solo impositâ tellure condidere, & exercitus Duces exterriti optatam tranquillitatem Ecclesiæ reddiderunt; in Lemouicensi Synodo Benedicto Nono imperante narrauit hæc idemmet Episco- Baron. ann. 1034. to. 11.

pus,

pus, cui Synodus tota respondit. *Quid hoc aliud est, nisi quia sub oculis hominum Arbiter hominum affirmat Ecclesiæ suæ authoritatem; quia excommunicati à sepulturà Christianorum iustè ab Episcopo segregantur?* A

D.Greg.l.2 Diallog. D. Anton. p.2.sum tit. 4. 16. in primo. c sacris 12. de sepult.

Nec longè ab isto dissonat, quod Diuus Gregorius memorat, quòd scilicet aliquarum cadauera Monialium, quas in suæ loquacitatis pœnam Diuus Benedictus à piorum societate secluserat, dum in templo sacrosancta hostia litaretur, vel statutæ singulis horis preces haberentur, è sepulchris eruperunt, ipsisque solum tùnc se denuo crediderunt, cum eas Diuus Benedictus instituto anathemate liberauit.

Quapropter antiquissimos Canones obsecutus, Innocentius Quintus ad Archiepiscopum Nidrosiensem scribens, vt in Decretali habetur, quod è sacris tumulis eorum, quos excommunicatio obstrinxit, cadauera sacro è solo arcerentur; & si alienà violentià id præstari non posset, exhumanda esse mandat, & longè à Cœmeterio eijcienda.

Philo Phil. in histor. Glicas p. 4. aud. amart. delirio. dis. Magic. l. 2. q. 16. sect. 5

Ad quam rem opportunè memorandum mihi videtur, quod in suà Ecclesiasticà historià Philo Philosophus, in suis annalibus Glycas alijque referunt de B Presbytero quodam, quem suus Antistes, tùm Sacramentorum vsu, tùm Templi ingressu interdixit; hic enim, cùm in aliam vrbem ad sua quædam componenda domestica migrasset, carceri ab Ethnicis datus fuit, & Christianam Religionem strenuè constanterque professus, pijssimè simul & honestissimè moriens Christianum nomen & Dei gloriam illustrauit; Eodem igitur in solio ad eius cultum, cùm Christi fideles sacram Aediculam erexissent, & anniuersarià die, vti moris est, eius memoriam recolentes in eius medio pheretrum extulissent, dum ad populum se conuertens Antistes Pontificale sacrum faciens pronunciat *Pax vniuersis*, pheretrum illud prodigioso quodam impetu sublatum erupit è templo, & ter hoc idem spectaculum, se stupentibus cunctis obiecit. Antistiti suo posterà nocte se videndum martyr pijssimus dedit, eundem deprecatus feruidè fuit, vt secum illùc Vicarium mitteret, cuius potestate diris olim illatis exolueretur, hæc etiam addens, *Nam officio me sacro exclusit, ideoque sacris interesse vobiscum nequeo. Testimony quidem coronam consecutus sum; Dei faciem non dum conspexi; quòd si me, ipse profectus huc, non exoluerit, alius exoluere nemo poterit.* C

§. I.

INterrogemus iam, si placet, hæc aliaque sexcenta prodigia, suam enim vocem habent, vt nos de suo opere faciant certiores: profectò nobis respondebunt, in ipsis vires suas hac de causa Deum maximum impendisse, vt indubitatam omnibus facerent supremam, quà Præsules pollent, potestatem diras in improbos imprecandi: ex harum vinculis, vt è superiùs scriptis patet, ne ipsa quidem Martyrij virtus non potest exoluere: sanguinis baptisma martyrium est, & omnium maximum opus, quod humana infirmitas exerceat, & excellentissimi amoris nota, qua Deum suum homo prosequatur; quid tamen? è cæli beatitate, Deique aspectu repellitur Martyr; triumphum, quo eum cæleste Capitolium excipiet, assequi omninò non potest, quoad vsque Episcopi suffragium accedat; lauream quidem ad eius frontem coronandam præ manibus gerit Deus; eam tamen, vt inuicto pugili imponat, vocem Antistitis expectat, sui administri suffragio se se supremus Dominus vltrò subijcere videtur, eâdemque mensurà, quâ eius sententiam è Cælo confirmat, pœnam etiam eo condonante condonat. An igitur fuerit, qui placidè inter anathematum fulmina obdormiscat? Dæmones interdictos excruciant igne, vndis immergunt, Cælum inflammat, aer percutit; eorum cibos canes auersantur, cadauera tùmuli expellunt, & inter tam horrenda mala adhuc erit, qui anathemate percussus rideat & exultet? nec tamen omittenda censeo, quin seriò peruoluantur ea, quæ pijssimus Christi miles pronunciauit, hoc est vnius Antistitis manibus, quibus obstrictus fuit, exolui se posse; licet enim compertum omnibus sit, Vaticanam Sedem, cui cœteræ sedes subijciuntur, non D

sua,

suâ tantùm, sed alienâ etiam operâ diras ab alio quocumque inflictas exoluere
A posse; adhuc tamen hac potestate eius administri abuti non debent, nè tùm diræ, tùm Antistites eas inferentes contemptu habeantur, præsertim si nulla emendatio antecesserit; quòd si, secus acciderit, iustitia sedis Apostolicæ aliquatenus denigraretur, eiusque administrorum fama languesceret; hoc certè abundè significauit Iuo Carnotensis, qui non leuiter per Epistolam de Apostolico quodam administro conquestus fuit, eò quòd adulterum quendam nondum emendatum anathemate sibi percussum, liberare huius vinculo statuisset: Do eius verba. *Quod Simonem de Melfa, adhuc in adulterio suo perdurantem, sub velamine Apostolica authoritatis ab anatehemate relaxare disponitis, quantum in vobis est maiestatem Apostolicam multum minuistis, & fama vestræ non benè consulitis. Si enim iuste anathematis vinculo est ligatus, cum iusta vincula non dissoluat, nisi vera cordis conuersio, & adhuc permanente in crimine, ad persuasionem quamlibet persone splendida, quid est hec anathema destruere, nisi se ipsum prauaricatorem constituere.* Quâ de re prolixus satis sermo in prima huius operis parte habitus est. Iuo ep. 98. sup. p. 1. c.

B Quin æternùm memoranda est Ioannis Vigesimi modecatio; cùm enim eius mandato anathemate, quo eum Stephanus Aruernus Antistes obstrinxerat, eò quod suâ legitimâ vxore dimisśâ, alienam sibi desponsasset, absolutus fuisset Pontius Aluerniæ Comes, ad questus, in quosad Pontificem scribens Antistes erupit, iustissimus simul & Sanctissimus Pontifex suum opus reuocauit traditamq; absolutionem irritam declarauit. Pontificis responsum audi. *Quod nescienter egi, frater charissime, non mea sed tua est culpa: scis enim quia quicumque de vniuersa Dei Ecclesia, quæ est in toto orbe terrarum, ad me causa remedij recurrit, impossibile est mihi eius curam relinquere, dicente Domino ad Beatum specialiter Petrum; pasce oues meas. Quæ ergo modo sedes Apostolica poterit reijcere aliquem de modela, nisi rationabili causa? Debueras certè mihi, antequam illa morbida ouis Romam veniret, eius causam tuis innotescere apicibus, & ego eam omnimodè abijcerem, tuamque firmande authoritatem, eam anathematis ictu repercuterem.* Pontifice dignissimam Baron. ann. 1034. Io. 20.

C & maximam Principis benignitatem subiecta verba significant. *Profiteor quippe omnibus consacerdotalibus meis vbique terrarum adiutorem me, & consolatorem potius esse, quàm contradictorem. Absit enim schisma a me, & consacerdotibus. Itaque illam pænitentiam & absolutionem, quam tuo excommunicato ignoranter dederam, & ille fraudolenter accepit, irritam facio & cassam; & de illâ nihil aliud speret, quàm maledictionē, quā satisfactā, tu ipse absoluas;* quæ verba cum in secundâ Lemouicensis Concilij sessione recitarentur, Patres illi pijssimi sicut vnanimi suffragio supremâ Romani Pontificis ad omnes eos toto terrarum orbe exoluendos, qui sacris interdicti fuissent, approbauerunt, sic etiam addiderunt, *sic Apostolici Romani Episcoporum omnium sententiam confirmare, non dissoluere debent: quia sicut membra caput suum sequi, ita caput membra sua necesse est non contristari.* Conc. Lemouicen. art. 2. Baron. d. ann. 1034.

Quòd si Pontifex, qui vni tantùm Diuinæ potestati subijcitur, sollicitus adeo præ suâ modestiâ est, vt aliorum Episcoporum potestatem seruet, & anathemata ab eis inflicta confirmet, quantò magis ad hoc idem præstandum mutuò se adiuuare tenentur Antistites, eosque repellere, quos alter sacris interdixit? tùm ad
D reuerentiam Episcopo interdicenti exhibendam, tùm ad profugam illam ouem cogendam, vt via vitiosâ relictâ, solliciti Pastoris amplexus assequatur. Hoc sanè modo D. Basilius se gessit, cùm enim ipsi non eo minor Athanasius significasset, in Lybiæ Præfectum virum profligati nominis se anathema infixisse, ei respondit sibi quoque suisque populis inuisum eum futurum, & tùm à templo, tùm aliorum societate segregandum. D. Basil. ep. 47. ad Atha.

Lemouicensis superiùs memorata Synodus ibidem statuit, quòd si Episcopus aliquis interdictum aliquem seu viuum, seù mortuum excepisset, vel permisisset vt ab aliquo è suis exciperetur, Episcopali dignitate ab eiusdem prouinciæ Episcopis spoliandum pro eo tempore, quod fuerit illis visum opportunum. Baron. ann. 1034.

Perge: Nicena eadem Synodus hoc idem deliberauit hac lege, *De his qui communione priuantur seu ex Clero, seu ex Laico ordine, ab Episcopis, per vnam* Conc Nic. I. cap. 5.

quamq;

Conc. Carthag. 7. c. 1 c. seruetur 11. quæst. 3. Conc. Sard. c. 13.

quamque prouinciam sententia regularis obtineat, vt hi, qui abijciuntur, ab alijs non recipiantur. Septima item Carthaginensis Synodus, & Sardicense Concilium hanc A sententiam apposuit. *Hoc quoque omnibus placeat, vt si Diaconus, vel Presbyter, vel etiam aliquis ex Clericis sit excommunicatus, & ad alium Episcopum, qui eum nouit, confugerit, scientem eum a proprio Episcopo esse communione motum, non oportere Episcopo, & fratri suo iniuriam facientem, ei communionem præbere. Sin autem hoc facere ausus fuerit, sciat, cùm conuenerint Episcopi, se ipsum causam esse dicturum.* Diuus item Callixtus Primus, qui ad omnes vniuersim Galliarum Præsules scribens præcepit omnibus, ne vllam cum anathemate signatis societatem haberent, asseruit hoc Apostolicis legibus conformari.

D. Calix. epist. 2. in 1. tom. Conc. gener. c. excommunic. 11. q. 3.

Hæc me absoluere cogitantem Diuinus quidam ardor inuadit, quo nonnullorum infœlicitatem sæculorum defleam, quibus non desiderabantur ij, qui cum potius tenerentur ad populos instruendos de obseruantiâ, quâ Ecclesiasticas diras prosequerentur, & ad eos exterrendos, qui nullo pretio eas haberent, in contrariam rapti sententiam, non tantum ad earum metum & venerationem eos non B allíciebant, sed potius ab eâdem reuocabant; nulla enim ab Episcopo infligebatur excommunicatio, quin statim Theologus aliquis emergeret, qui nullâ operis habitâ notitia, vel ad solam delinquentis narrationem, eam pronunciaret vel iniquam, vel irritam, & consequenter nihili æstimandam: ingens sanè temeritas! quâ in ipsos Apostolorum successores iudicium ferunt, eosque vt iniquos euulgant; quin non tantùm eos ad veniam humiliter Præsuli deposcendam non adhortantur, sed potius in habitâ contumaciâ obdurant: adeo vt illud pronunciare possit quilibet Præsul, *filij matris meæ pugnauerunt contra me.*

Cant. 1. 6.

Audi ad hæc Diuum Gregorium Pontificem, *sententia Pastoris siue iusta fuerit, siue iniusta timenda est*, cui Vrbanus etiam Pontifex consonat. *Quibus Episcopi non communicant, non communicetis, & quos eiecerint, non recipiatis: valdè enim est timenda sententia Episcopi, licet iniustè liget.* Et celeberrimi omnium Theologi asserunt, interdictum licet iniustè illatum metuendum & seruandum esse, C ne Ecclesiastica iurisdictio vilescat; addentes etiam, quòd licet excommunicatio irrita sit, nec conscientiam vllatenus oneret, adhuc tamen anathemate percussum cogit, vt eo modo se gerat, quo si validè percussus eodem esset, quoadusque irritum pronuncietur, nec sacræ potestatis robur eneruetur & offensioni populo fit: validissima pariter ea ratio est, quam Magnus Gregorius affert, sequiturque Hugo Victorinus. *Hic autem, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel iniustè, nec Pastoris sui iudicium temerè reprehendat, ne & si iniustè ligatus sit, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa quæ non erat fiat.* Hinc pariter præstantes Theologi asserunt, vibrati interdicti sententiâ reum obstringi, vt maiorem fidem suo Iudici & Præsuli habeat, quàm suis aduocatis, suæquemet conscientiæ, & veniam humillimè ab eo postulet: legas velim Diuum Thomam, & quę in quadam è meis decisionibus typis impressâ fusius ego explicaui.

c. 1. 11. q. 3. c. quib. 27. d. q. 3. Silu. in 5. excomm. 2. n. 1. & 2. Sot. 4. sent. dist. 22. Nauarr. in manua. c. 27 num. 3. Sayr. de Censur. l. 1 c. 17. n. 14 D. Gregor. hom. 2 . in euang. Vgo Victor de Sacramentis l. 1. c. 26. Sagr. in relat. de Censur. l. 1 c. 17 num. 35. D. Tho. in supplem. ad 3. p. q. 21. art. 4. c.

Permolestum itaque mihi est, si hac nostrâ ætate quæ tùm sapientiâ, tum Religione spectatissimis Theologis efflorescit, emergeret aliquis, qui vt populorum libertati indulgeret, Ecclesiasticæ potestatis robur retundere, & labefactare côtenderet; insaniunt profectò, si opinantur famam sibi & populorũ beneuolentiâ comparaturos, si Cæli claues, Deique virtutem impugnent; vtinam enim D ad eam morum licentiam non se nostra iniquitas porrexisset, vt vel inter Catholicos Catholico ore indignum illud vagaretur, quod scilicet excommunicatio non prohibet, quin tranquillè alacriterque viuamus. O enim verò miserrimos! Cometis quis nesciat iure anathemata comparari; tarda quidem interdum sunt, at semper funesta, semper infausta. Profectò ex earum contemptu quot domus euersæ, obscurataque familię sunt, licet ex humanâ caligine calamitates illę alio vertantur!

Auctor. in decis. for. Eccl. 105. p. 2.

Lugdunense Concilium, quod bulla *in Cœnâ Domini* memorat à piorum societate eos omnes expellit, qui vel in bonis vel in consanguineis Episcopos vexant, quæ potestas exerceri etiam potest in Reges, qui ei subijciuntur. Tridentina Synodus in quemlibet magistratum quamuis excellentissimum inuehitur,

c. quicũq; 11. de sent. excom. in 6 Conc. Trid. c. 3. sess. 25. de refor.

qui

A qui Episcopum reuocare violenter audeat ab anathemate infligendo, vel ei præcipiat, vt irritum interdictum fuisse pronuncians, delinquentem absoluat, cùm ad sacra tantùm tribunalia graues adeò res definire & exequi spectet; Quid ergo priuati nominis viri, qui Ecclesiasticam authoritatem suomet sanguine propugnare deberent, vim excommunicationum retardant, priuatumque tribunal erigentes, vel irritas, vel iniquas eas adiudicant? nec è Diuo Gelasio Pontifice erubescant huiusmodi doctorculi pro suâ sententiâ effatum illud afferre, quod Pontifex ille Sanctissimus de Dioscoro hæretico pronunciauit, quód scilicet nullum hic anathemate percutere posset, cum iam è fidelium communione segregaretur.

Quanta Diui Anselmi Belluacensis Antistitis obseruantia erga excommunicationes fuerit, & quàm longè ab eo discesserit, vt eas vel irritas vel iniquas pronunciaret, ex hoc colligas velim, quod ipse cum Comite Huberto peregit; Presbyterum carceri hic dedit, quem cum libertati restituere nollet, tàm industriè se B gessit Antistes, vt cum è carcere eduxerit, vt eum iterum carceri darent Comitis administri, violentia & insidijs laborarunt, sed egregiè se Presbyter ab eorum vi defendens grauissima vulnera accepit, quibus proximè mortem cruentam oppetijt: aliqua etiam bona ex Episcopi prædijs Comes sibi audacter postulabat; vtroque igitur titulo, post benignas neglectas Episcopi correctiones, anathemare percussus ab eo est, licet Hubertus Apostolicum Priuilegium educeret, quo iactabat, se tantùm summi Pontificis anathemati subiacere; quapropter, cùm illud omnino Comes negligeret, grauiori eum interdicto rursus Antistes castigauit; Ad Pontificem profugit Comes, eumque certiorem fecit de ijs, quibus Pontificum diploma contemnens Episcopus eum vexabat; Archiepiscopum illicò Pontifex ad Anselmum misit, vt Comitem sine aliquâ temeritatis notâ ab eo interdictum absolueret, & quando id facere Antistes ipse recusaret, nullâ morâ pr̨peditus Archiepiscopus ipse hoc facere teneretur. His à Diuo Anselmo C acceptis, responsione hac suam sententiam explicauit, *qui iustè ligatus est solui non debet, nisi prius per pœnitentiam satisfaciat illi, quem læsit, atque ita, & si fortasse non digne & pro meritis, saltem misericordia persuadente, & iustitiâ parcente Catholicæ Ecclesiæ restituatur: neque enim vel ipsi Beato Petro sic est collata hæc potestas, vt vel non soluenda solueret, vel non liganda ligare debeat: quantò igitur minus nobis? Id igitur certum habetote, me à semel pronunciatâ sententiâ non deflexurum, sed eam plane retenturum.* Episcopalem fortitudinem admirati Præsules abierunt, absque eo quòd impertitam à Pontifice authoritatem exercerent; sed Pontificijs suis litteris Pontifex eo absoluto, id Diuo Anselmo communicauit; tàm acerbè ipse hoc tulit, vt, Episcopali dignitate depositâ, Carthusiam suam repeteret, è quâ tùm ardentissimis precibus, tùm suâ authoritate Pontifex eum eductum suæ sedi reddidit; illud tamen hic seriò animaduertendum est, quod Comes Hubertus licet Pontificiâ potestate absolutus, tantisque molestijs ab Episcopo exacerbatus, vt saluti suæ perfectiùs securiùsque consuleret, supplex ad Anselmum accedens ei se subiecerit, veniamque postulans & paratissimum se ad quamcumque pœnam suscipiendam exhibens, ab eodem Antistite, à quo fuit di-D tis obstrictus, voluerit exolui. Non is ego sum, vt hic vel damnare vel commendare velim, quæ hactenus de Diuo Anselmo narraui, illud tantùm vsurpandum hic non immeritò censeo, quod de Diuo Malachia Diuus ait Bernardus. *Ego vero illud nec in Sancto redarguendum, nec vsurpandum consulo eis, qui Sancti non fuerit.*

Sur. in eius vit. 20. Iunij

D. Bern. in vit. S. Malac

Hæc referre placuit, vt eorum audaciam compescam, qui vt doctrinæ famam aucupentur, odium aut contemptum in Episcoporum potestatem deuoluunt, sibiq; fas ducunt, vt eorum excommunicationes, quas cæteroquin propugnare & tueri deberent, labefactent & damnent.

Accommodatum hic esset, vt obseruantiam, qua Henricus Cæsar eiusque magnates anathema ab Episcopo concitatissimâ irâ æstuante indictum exceperunt, commemorarem, & humillimas pœnas, quas ad illud exuendum propriâ voce exoluerunt, licet iritum illud esse iure merito probare potuissent: quia tamen

P. Menoch. stuore p. 3. centu. 6. c. 2

tamen recentissimè hæc à pio Scriptore narrantur, ex eo Lector tuæ voluptati indulgeas velim. A

Lentum ad Excommunicationes infligendas Episcopum fore, & ad eas exoluendas paratissimum. Cap. XXXVI.

QVO magis grauia & formidanda sunt Ecclesiastica anathemata, quò magis perniciosa ea sunt & Dei suffragio approbanda, eó etiam cautiùs seriusque tractanda, adeo vt, nec leui aliquâ ratione, nec absque ingenti necessitate, nec extra iustitiæ leges sit vllatenus euibrandum. Politicum B regimen, quod nullâ horum consideratione habitâ iudicium capitale pronunciaret, Tyrannicum audiret, & Tyranno sæuior ille diceretur Antistes, qui benignitate authoratus ad sententias ferendas, quibus mors spiritualis infligitur, incautè festinaret. Homicidam eum inre appellaueris Medicum, qui in ægro curando nec eius habitudinem, nec medicamenti vim recogitans & librans, sui arbitrij lance propinanda pharmaca metiretur; iniquus & efferus audiret ille Pater, qui leui aliquâ de causâ hæreditate filium spoliaret facilè emendandum: An non igitur homicida iure vocandus esset, & efferatissimus parens ille Antistes, qui nec tempori, nec necessitati consulens tàm violento anathematis medicamine vteretur, quippe cælesti patrimonio suos filios spoliaret, quos suauiori ferulâ posset ad pietatis regulam conformare?

Pretio omnibus excommunicationes erunt, si parcæ fuerint, & sui contemptū facilè parient, si frequentes: si sæpiùs in terras fulmina ignescerent, ex eorum C frequentiâ nullum ferè terrorem incuterent; tàm formidanda ea vel strenuissimis animis sunt, quia rara.

Glos. ibi. Cùm Diuo Petro & Apostolis claues Deus impertiuit, ad Cæli fores vel reserandas, vel obstruendas, prudentiæ etiam clauem dedit, quâ dignos secernerent ab indignis, eoque modo, quo sol suâ eâdem luce ceram emolliens & cænum obdurans virtutem exercet, quæ vna quidem est, at duplicem parit effectum: Clauis, hoc est, Episcopis impertita potestas tùm ligandi tùm absoluendi, vna quidem est, sed, vt Landolphus docet, duabus constat integralibus partibus, quæ in eo versantur, vt prius res discutiantur, & sententia postea consona æquitati feratur.

Landolp de vit. Christi p. 1 c. 1.

Vtique in Episcopo damnandus & fœdus est furor, sed fœdissimus & planè monstruosus in diris infligendis; quid enim diformius, quàm leuissimâ de causâ in stygiam abyssum agere præcipites animas pretiosissimo Christi cruore redemptas? hoc certè se crimine implicauit Maximianus Antistites concitato furoris impetu raptus, quem Diuus Gregorius benignè corripuit; Diuus autem Leo ad Viennensis Prouinciæ Antistes scribens suæ eloquentiæ pondus exeruit in eis admonendis de nimiâ facilitate, quâ ad huiusmodi interdicta properant: *Nulli Christianorum facilè communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium sacerdotis, quod in magni reatus vltionem inuitus, ac dolens quodammodo debet inferre animus iudicantis: cognouimus enim pro commissis & leuibus verbis quosdam a gratiâ communionis exclusos; & animam, pro quâ Christi sanguis effusus est, irrogatione tàm saui supplicij sauciatam, & inermem quodammodo, exutumque omni munimine, diabolicis incursibus, vt facilè caperetur, obiectam.* D

D. Greg. l. 11. epist. 6. De Leo. ep. 89. ad Episc. Vienn.

Vt incommodum hoc repararet, Concilium item Sardicense laborauit, legemque ad hoc idem condidit: demum Tridentina Synodus tota in eo est, vt perquàm cautè in re adeò lubricâ & molli procederemus, ne leuissimâ de ratione animæ illaqueentur, in venenum migret antidothum & à dirarum frequentiâ earum

Conc. Sardi. can. 14. Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de reform.

rum vsus obsolescat. *Quamuis excommunicationis gladius neruus sit Ecclesiasticæ*
A *disciplinæ, & ad continendos in officio populos valdè salutaris; sobriè tamen magnâque circumspectione exercendus est: cùm experientia doceat, si temerè, aut leuibus ex rebus excutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potiùs parere, quàm salutem.*

Quin Iustinianus Imperator, qui audacter in sacris agendis rem suam immiscebat, sceptroque Cæsareo Episcopalem lituum regere contendebat, lege sua, quæ *Authentica* vocatur, statuit, ne excommunicatio properè inferretur, & vt vulgò fertur *ex abrupto*: Et quamuis Cæsaris mens esset, vt sacros Canones validiùs roboraret, eam tamen clariùs significare debebat, ne specimen daret, quo leges Episcopis ferret, quorum leges ipse potiùs erat suscepturus. Zelus quidem commendatur, sed eius modus reprobandus omninò est. §. omnibus auth de sacros Episc:

Verùm quò mea me trahit oratio? nostra repetamus: Diuus Damianus, eo quo semper pijssimo dicendi consueuit ardore, ad Alexandrum Secundum scri- D. P. Dam l. 1. epist. 14
B bens ei significauit, hanc ad infligenda interdicta facilitatem in humanum quoddam esse salutis humanæ discrimen: voraginem inexhaustam esse, quâ innumeræ gentes absorbentur, populorum excidium esse, quò præcipites sæpius se actos agnoscunt, quàm è viâ aberrasse, & hi qui non ratione de causa, hæreticorum instar, ab Ecclesiæ corpore seiunguntur; præterea iustitia ipsa subuertitur, cùm eàdem pœna crimen vel graue vel leue damnetur, & Stoicorum sententia probari videatur, quæ peccata omnia æqualis ponderis statuebat. Grauissima simul & perniciosissima res hic agitur. *Non tribunalium more, vel forensis examinis, aut libertas caditur, aut possessio confiscatur, aut pecunia mulctæ reus adducitur, sed Deo potiùs omnium scilicet bonorum auctore priuatur.*

Regularis hic ego Præfecti simplicitatem omittere absque commiseratione non possum; hic enim legem quandam subditis suis pronuncians eam verborum formulam rudis apposuit, quæ in Apostolicis diplomatis infertur. *Si quis contra* Apud Raynaud de bono regim. l. 3. punct. 2. num. 3.
C *aliquid attentauerit, aut præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum.*

Primum igitur, quod in hac re cauere diligentissimè tenetur Antistes, illud est, ne sacrum gladium euaginet, nisi re totâ serio maturéque discussâ, & graui aliquâ de causâ; hæc enim si ipsi præstiterint, ea seruabunt, quæ ex magni viri sententiâ probatum regimen componunt: hæc autem sunt subditorum saluti diligentèr inuigilare, & singulari cum temperantiâ iurisdictionem exercere, ne modestiæ præfinitos limites egrediatur, do eius verba: *Nihil aliud esse imperium, vt sapientes definiunt, nisi curam salutis alienæ: bonique esse moderatoris, restringere potestatem.* Ammian. Marcell. l. 29

Inter Diui Antonini Florentini Antistis gesta habetur, quòd grauissimis tantùm rationibus compulsus ad interdicta inferenda accessisset; quápropter cum semel ad diras imprecandas in eos, qui rem alienam sed exiguam vsurpassent, ardenter ab aliquibus impelleretur, eo prorsus renuente, cùm permolestum illis hoc esset, vir Sanctissimus, candidissimum panem ad se allatum gerens, in eum horrendas diras pronunciauit, ad quarum sonitum nigerrimi carbonis instar deturpatus ille est: tum ille: quis iam licet extremâ fame confectus ex isto manducare Apud Suriũ 4. Maij.
D voluerit, quin eum ne quidem in os inferre? sed longè fœdiores Deo, Angelis, hominibus, illorum animæ sunt, quas dirarum nexus obstrinxit; quid igitur mirum, si ne leui de causâ in tantam nigredinem animarum candor immutetur, tardus ego & mutus fuerim ad preces vestras audiendas? conuersus inde rursus ad panem ait, inflictâ excommunicatione te libero; ad quæ primæuo candore panis effloruit.

§. I. A

SEcundò caueat Antistes, ne primâ veluti pugnâ gladium hunc euaginet, sed postremum veluti agmen,& subsidiarias vires educat,cum post multa vtrimq; certamina res ad triarios venit ferro dirimenda; profectò reprobatur ille medicus, qui suauioribus neglectis medicaminibus, ferrum primò stringit, vt secet, ignem primò apponit, vt vrat, mordacia primò adhibet vt laceret. Quid intentatum omisit Apostolus, antequam incæstuosum Corynthium sacris interdiceret? cùm nulla ei spes emendationis effulgeret, Apostolicum in eum fulmen intorsit.

Const. Ap. l. 2. cap. 4. alias 45.

Iam superiùs Ecclesiasticæ disciplinę quosdam veluti gradus nos composuimus & paucis eos verbis sub methapboræ velo Diuus olim Clemens Pontifex designauit hac periodo definitos. *Ne igitur facilis sis & praproperus ad secandum, neque velociter ad seram dentatam prosilias; quin potius vtere prius scalpello ad secandum apostbema, vt causa morbi, qua intus residet, educta, corpus seruetur a dolore incolume. At si verò, quem a panitentia alienum videris,& obduruisse, hunc te cum marore, vt insanabilem ejce ex Ecclesiâ.* B

C. Sacro 4. de sent. excomm.

Ad hanc itidē rem pręstantissimus Innocentius Tertius in Oecumenicâ Synodo decreuit, vt ad excommunicationem vibrandam nullus vnquam posset Iudex accedere, quin potius debitæ admonitiones fierent, & non absque manifestâ & rationabili causâ; quòd autem postremum omnium medicamen hoc nobis adhibendum sit, cùm iam penitus prauæ cupiditatis iugo subactâ ratione nulla suauior via Præsuli remanet, qua delinquenti pristinam pietatem aperiat; Tridentina etiam Synodus statuit, quæ faciendas priùs admonitiones necessariò docet; Felinum aliosque Canonum Magistros insignes perlegat Lector hac de re (nec enim operæ pretium duco, his me forensium disputationum vepribus cruciare) vbi etiam multa reperies euenta, in quibus licet à vulgari viâ discedere, & eas cautiones omittere, quas alibi asserunt admittendas. C

Concil. Triden. sess. 25. de refor. c. 3. Felin. in c. cum sit 5. de apell.

Paulin. in vit. S. Ambros.

Necessitatis ineluctabilis impetus Diuum Ambrosium traxit, cùm Cæsarem Theodosium ab ingressu templi prohibuit; Thessalonicensis enim cædes tàm immanis fuit, vt eius sanguis ad Diuinitatis solium eruentas voces emitteret, & criminis atrocitatē prędicaret; eademmet necessitate compulsus fuit, vt Maximum Tyrannum percelleret anathemate: cuius vi ad pœnitentiā adduceretur de morte iniquissimâ, qua supremū Dominum per summuū nefas confecerat eiusque sanguinis sordes fletibus suis ablueret, quem ad vindictam luctuosè prouocantem, vt de sanguine Abelis scribitur, Deus audiebat. Cęterum spectatissimus ille Archiepiscopus per quàm cautos & lentos nos ipse desiderat, adeò vt paternâ charitate vulnus tractantes necessitatis vi ferrum stringamus, nec sine dolore illud vibremus. *Cum dolore amputatur etiam, qua putruit pars corporis, & diù tractatur, si potest sanari medicamentis: si non potest, tunc a medico bono abscinditur. Sic Episcopi effectus boni est, vt optet sanare infirmos, serpentia auferre vlcera, adurere aliqua. non abscindere; postremo quod sanari non potest, com dolore abscindere;* sic ille. Discrimen, quod inter spiritualem & carnalem Medicum intercedit, postremis hisce D verbis exprimitur; hic enim, vt suæ medicæ facultati obediat ægrumque sanet, in purulento corporis membro secando, nullo animi dolore vexatur; ille autem, quia simul pater & caput est, & in sui ipsius partem sæuit, facere non potest, quin ad secandum membrum accedens non ingemiscat & intimo corde tristetur: blandissima namque Mater Ecclesia, quam Episcopus repræsentat, sordentem & infectum filium videns, temperare se à dolore non potest, & animi cruciatus excutere; audi rursus Ambrosium: *Compatitur enim quodam spirituali dolore natura, cum suos liberos lethalibus vitijs ad mortem cernit vrgeri.*

D. Ambr. l. 2. offic. c. 27.

D. Ambro. l. 5. in Luc. c. 7.

Vgo Card. in 1 ad Corint. c. 5.

Ab Hugone Cardinali hoc idem monemur; qui etiam de quodam Episcopo refert, qui in anathematis sententia enuncianda vberrimis lachrymis affluebat, è quibus delinquentis emendatio frequentissimè emergebat. De Briocensi etiam

Præsu-

Præsule sancto Guilielmo scribitur, non sine ingenti tristitiâ ad imprecandas di-
A ras accessisse. Proh quanti roboris lachrymæ sunt, si interdictum comitentur! quàm facilè delinquentium animi emollescunt, si compertum eis fuerit, quàm molestum, quàm triste & propè luctuosum Pastori fuerit in ouem sæuire, eamq; seueritatem non ex odio seu ex amore rigescere, non ex imperio, sed è suo munere armari. Sur. 19 Iuli.

§ II.

Cauendum tertiò est, vt ad perfectæ iustitiæ amussim anathema componatur: si enim in quâcumque sententiâ ferendâ, respicienda primò iustitia, quantò maiùs expendenda & libranda hac in re illa est, vbi de populorum salute definit, & immortalis beatitatis patrimonium rapit; cum ad huius sententiæ partem Cœ-
B lum ipsum aduocetur, quàm enorme monstruosumque flagitium esset, si ad iniustam sententiam ferendam, ipsam rectissimam cæli iustitiam traheremus.

Iusta autem nunquam esse potest, nisi cùm vel in contumaces, vel è læthali grauique peccato vibretur; vnanimes tùm Theosebiæ, tùm Canonum Magistri hoc asserunt, & in plurimis è meis decisionibus licet perlegere.

C. nemo Episcop. 11. q. 3. D Thom. in suplem. ad 3 q. 21. art 3. D. Bonau. in 4. dist 18 in vit pa d. dist. q. Dixi in decis. 45. & dec 48 n. 18 p. 1. & decis. 105. n. 21. & seq. p. 2.

Quòd si nulla iustitia suffultus anathematis molem Antistes erexerit, & tàm graue perniciosumque supplicium in aliquem è suis deuoluerit, quis ignoret, læthali se crimine implicare, eumque imitari, qui ramum securi amputaturus, ictum in se ipsum vibrat, & vulnus infert? Augustini hac de re sententiam sacri Canones affirmunt hoc stylo descriptam. *Illud plane non temerè dixerim, quòd si quisquam fidelium fuerit anathematizatus iniustè, potius ei oberit, qui facit, quam ipse hanc patitur iniuriam*: huic adhæret etiam Diuus Bonauentura; quin ad Diuinum Tribunal euocandum ac de eo rationem reddendam docet Diuus Antiochus, *non enim vinculum eiusmodi impune erit, siquidem iniustè, potius ei oberit, qui facit*
C *quàm ipse hanc patitur iniuriam*: Quin se Episcopali Sacerdotio facere indignum, & se diuinâ authoritate despoliantem, non vt Episcopum, sed vt priuatum virum in eo opere videri docet etiam Magnus Gregorius, *Ipse ligandi atque soluendi potestate se priuat, qui hanc pro suis voluptatibus, & non pro subditorum moribus exercet*. Quin se homicidio polluere, imò fratricidij reum se præstare, cum fratrem suum, non corpore necet, at spiritu, in suis Constitutionibus apud D. Clementem Pontificem Apostoli docent his verbis; *Scitote enim, quòd qui, qui eum iniuriam non fecit, eijcit, aut qui se conuertit non recipit, fratrem suum occidit, & sanguinem eius fundit, sicut Cain sanguinem fratris sui fudit. cuius sanguis, qui ad Deum clamat requiritur. Iustus enim a quopiam iniustè cæsus apud Deum erit in requie sempiternâ: similiter eueniet ei, qui ab Episcopo sine causa fuerit excommunicatus. Qui tanquam pestiferum eijcit eum, qui est extra culpam, is quidem sanctar est interfectore.*

C. illud. 89. 11. q 3. D. Bonau. op. quare fiat. Min. prædic. D. Gregor. ho 26. in Euang. C. ipse 60. 11. q. 3. Clemens in Constit. Apost l. 2. c. 21.

Perge: ipse met Antistes suomet anathemate, si iniustum fuerit, vt ità loquar magis percutietur, quàm reus; Diuus Nichon apud Balsamonem hæc docet.
D *Qui pœnam præter rationem imponit, ipse est segregatus, & ipse debet eam pœnam sustinere*; cui Magnus Gregorius præiuit hæc scribens. *si quis illicite quemquam excommunicat, se ipsum, non illum excommunicat*. Verùm quidem est, vt superiùs docui, iustè ne, vel iniustè anathema inferatur, promptissimè & obsequenter excipiendum à subditis esse, eiusque humillimis precipibus absolutionem postulandam.

D. Nicho in epist. ad Enoll in 3. Ebbiot par. D. Gregor.

Ex aduerso autem, vt subditi reuerentiam Antistes agnouerit, contumaciâque depositâ ab eo suorum criminum veniam postulare, & ad quæcumque supplicia inferenda paratissimum & alacrem animum exhibere, repellere eum inhumanè non debet, ni fortè id fecerit, ad eius constantiæ in vitij fugam experimentum faciendum, vel iustam aliquam rationem haberet, quâ de eius sinceritate dubitaret; hac enim de ratione Arrium repulit mendaci dolore pallentem Diuus Petrus Alexandrinus Antistes, vel si ad aliorum terrorem & exemplum prò rei diuinæ digni- Sur. in vita S. Pet. Alex

dignitate hoc sibi faciendum esse iudicaret, vt indicauit Cadurcensis Antistes; quem superiùs memorauimus. Hæc si excipiantur, profugum & prodigum filium expansis vlnis debet pater excipere, & ore dulci complecti; deuiam ouem occurrere Pastor alacris debet, suisque impositam humeris ad ouile reducere; pios omnes viros debet Ecclesia Mater aduocare, vt de gemmâ olim deperditâ & inuentâ sibi granuletur & gestiat; hinc factum, vt in suis constitutionibus Episcopos omnes Apostoli admonuerint, vt paratissimi sint ad pœnitentes omnes sinu pietatis blandissimè excipiendos; do eorum verba. *Qui non recipit pœnitentes, oues Christi dissipat, factus aduersarius eius: vt enim iustus est Deus in iudicandis peccatoribus, sic est misericors in recipiendis conuersis. Misericordiam enim, & iudicium cecinit et Dauid ille Deo charus*. Egregium de quâ re exemplum Diuus nobis Paulus subministrauit in illo Corinthio ciue, quem á piorum societate segregatum Satanæ deuouerat; clementissimè enim eum excepit, eiusque famæ peramantèr consulens, ab eius scelere nominando abstinuit, ac si iam illud penitus oblitus suo ex animo deleuisset; quapropter Corynthijs præcepit, vt alacriter & benignè eum excipientes sibi rursus indulgerent. *Sufficit illi, qui huiusmodi est obiurgatio hæc, quæ fit a pluribus, ità vt e contrario magis donetis & consolemini, ne forte abundantiori tristitiâ absorbeatur, qui eiusmodi est*.

A — Conf. Ap. l. 2. c. 21. — Psal. 105. — B — 2. Cor. 26.

His concinit cum illud est, quod de Vascone quodam milite sacra rerum gestarum monumenta referunt; cum enim, vt ad suam vitam seruandam ad extremum discrimen adductam, ni sui Ducis imperio obedisset, reluctanti animo Presbyterum quemdam occidisset, ad Episcopum postea accedens magnoperè cum gemitu se ab ipso dicto anathemate postulans exoluendum, ad Pontificem suis cum litteris eum misit; ad hunc, dum secundâ Paschatis die Pontificali sacro in Vaticano templo adesset, & post Euangelij Lectionem suo in solio assideret, demississimo vultu se supplex Vasco miles aduoluit, & largissimis fletibus emanans, se flagitij reum confessus veniam humillimè postulabat: adstantibus præcepit Pontifex, *requirite pro quâ culpa*; quâ auditâ ad reum conuersus ei dixit, *cur Episcopum tuum non expectabas?* cui reus, omnibus adamussim relatis, sui Episcopi litteras obtulit; tunc Pontifex Episcopo dextrorsùm adstanti. *Recogita auctoritatem diuinam, quà is pœnitentia hic mortuus possit suscitari &c*: hæc meritò perpendens Cardinalis Baronius ait, *Illud magnopere obseruandum est, quòd inter ipsa missarum solemnia de peccatore pænitente oblatum iudicium, non iussum differri, nec reyci in aliud tempus peccatorum pœnitentiam implorantem; sed audiri, & eius saluti opportunis remedijs consuli, quod secundum Sanctum Gregorium nullum gratius sacrificium Deo offeratur, quàm animarum salus, ipsa conuersio peccatorum, propter quos ipsum incruentum sacrificium Deo offeratur*.

Baron. ann. 34. to. 2. — C

Ex aduerso, quàm perniciosi Christianæ Religioni sint illi Præsules, qui obdurato animo pœnitentes viros à se reijciunt, ex eo satis intelligi potest, quod purpuratus idem scriptor recitat. Saracenorum Dux Ametas pagum quendam Herculis nomen præferentem expilandum vastandumque militi suo tradiderat, Presbyter, qui fortè sacrosanctam hostiam Deo litabat, vt bellicum fragorem concepit, ex altari discedens in Saracenos irrupit, suosque conatus exerens alios vulnerauit, alios occidit; reprobauit hoc facinus Antistes, eumque in pœnam ab exercito Sacerdotio interclusit: vt ei rursus redderetur pluries ille supplex ab Episcopo postulabat, sed frustrà: furore tunc immanissimè concitatus Saracenis se adscripsit, & Christianum nomen exuens, ferocientis animi violentiam in Christianos omnes luctuosissimè exercuit, & ingentia damna non in Cappadociâ tantùm, sed in alijs etiam conterminis regionibus, furore duce, disseminauit.

Baron ann. 955. — D

Quàm

A Quàm necessariò in Episcopis Patientiæ virtus requiratur, eò quod ad Crucem & Martyrium aduocentur. Cap. XXXVII.

PATIENTIA *vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes; reportetis promissionem*; non sacris tantùm è sedibus patientiæ necessitas & excellentia nobis aperitur; ipsimet Ethnici superstitionum tenebris inuoluti, eam docere, eam exercere valuerunt; Bionem præ cæteris audi apud Laertium, *Magnum esse* Hebr. 10. 36.
B *malum non posse ferre malum; absque hoc enim nulli potest esse vita suauis.* Antisthenes verò licet è philosophiâ ad suum animum ritè componendum plurima opulentè collegisset, hoc vnum in se requirebat, Socraticam scilicet patientiam. Tàm illustris egregiaque virtus hæc est, vt, Lactantio Firmiano testante, ad eius commendationes & præconia describenda, non Oratores tantùm eloquentię suę neruos intenderint, sed vulgus ipse, reliquis cæteroquin virtutibus infensus, eximiè eam commendet & honoret. Lactant. Fir. l. 5. di. Instit.

Verùm præ cæteris omnibus ea nobis necessaria est, multis nominibus exercenda: sicut enim tùm Christiani, tùm Superioris, tùm Episcopi personam gerimus, sic triplici curarum mole laborantes, triplici titulo eâ præcellere & effulgere tenemur.

Ea sacri baptismatis vis, vt nos Dei filios statuat, Christi milites inscribat; sed patientia ea est, quâ veri Christiani probamur; tàm splendido stipendio videmur indigni, si patientiam exuamus, si calamitosas rerum vices pati nesciamus,
C ipsammet nostram fidem dubiam facimus, ipsa Christi vexilla væcordi fugâ deserimus: *si putas te non debere pati tribulationem, non dum cœpisti esse Christianus*, sic Augustinus; quapropter vt aliarum virtutum Reginam nobis hanc excolendam & studiosè addiscendam docuit Diuus Damianus, eâ potissimùm de ratione, quam Constantinopolitanus Antistes affert, hoc est; quià *a Christiana vita insolubile vinculum est tribulatio*: sed omnium optimè Tertullianus ait, adimpleri ea nullatenus à nobis posse, quibus Christianæ fidei titulo obstringimur, nisi patientiæ auxilio roboremur. D. August. in psal 15. D. P. Dam. l. 6. epist. 31. D Chrys. hom. 67. ad pop. Tertull. l. de patient. c. 15

Si ergo ad priuatæ vitæ calamitates retundendas, patientiæ clypeo obarmemur oportet, quid de eo dicendum, qui populorum regimini præest, & sexcentis vndique curarum molestiarumque aculeis obsidetur & vexatur? Aurea regnantium solia stupido ferè lumine spectantur à populis, ac si eorum in sede fęlicitas ipsa suam collocasse sedem videatur; mare illa esse opinantur, quod nullis scopulis rigescat, nulla tempestate ferociat, at serenâ semper & blandâ specie ridens, speculum Cælo præbeat intuenti; Olympum ea quis appellat, cuius fa-
D stigium nulla curarum nubila attingunt, nulla ventorum rabies vexat, nullâ humanarum vicissitudinum procellâ turbatur, nullo Cæli furentis ictu percutitur. Nos miseros! quàm crassè decipimur, quàm stolidè insanimus? Euripos meritò ea dixeris assiduo fluctuum verbere repercussos; Aeoli potius aulæ ea egregiè comparaueris, Aquilonum Eurorumque impete circumstrepenti: Benè est; non gemmis, at spinis rigescere & obrui diademata Regum credas: curas mordacissimas fouent purpurea paludamenta, molestijs trabeæ scatent, & absynthio potius quàm nectare opiparæ dapes condiuntur. Sanè si Gygis annuli magisterio Regiarum ædium adyta & ipsa Principum corda inuadere & scrutari populo permitteretur; illud Diui Chrysostomi approbaret, quod *nec Rex procul a curis, & cruce vitam agit, sed vitam viuit plenam multis tribulationibus. Mori & pati omnibus datum*, ait Euripides. Quin quò celsiora sunt montium culmina, eò citiùs & faciliùs fulmine feriuntur. Insanientis est, vt quis aliorum gubernatio- D Chrys. hom. 66. ad popu.

num

num prefectus existimet nullâ se curâ purgandum, nullis molestijs implicandum: qui hoc sibi suadet, præterita ætatum opera, populorum vices, dignitatum pondus ignorat; eloquenter igitur & simul sapienter Cyprianus pronunciauit. *Exigit pœnas de potentiore sublimitas, fænore nocendi: quam fuerit amplior summa dignitatis & honorum, tam maior exigitur vsura pœnarum.* Mihi certè probatissima semper hæc sententia fuit, è frequenti magnorum Principum consuetudine. A

D. Cypr. epist. 1. ad Donat.

Quid iam dicendum de Episcopo, quem non tantùm è suis Christiana fides enumerat, & populi superiorem habent, sed ad sacram componendam disciplinam Deus elegit, ad voluptatum titillamenta retundenda, ad cupiditatum æstus comprimendos, ad vitiorum licentiam compescendam, ad proteruorum vecordiam effringendam, ad potentium superbiam edomandam, ad sacra iura tuenda, ad sæcularium fastum eneruandum, & è Principum maximè ferocientium faucibus, sacram potestatem incolumem propugnandam; an non hæc aliaque sexcenta facilè centurianda, curas, ærumnas, agnores, suspiria, lachrymas secum præseferunt? adeò vt Episcopale onus meritissimè à D. Chrysostomo appelletur, *pelagus laborum & abyssus ærumnarum.* B

D. Chrys. l. 3 de sacerdot.

Primus omnium Episcopus Christus Dominus nostræque Religionis conditor sapientissimus, ad molem hanc sanctissimè firmandam, & ineluctabili fortitudine statuendam fundamenta iecit in patientiâ, quam ipse primus exercuit, deditque Apostolis, eorumque successoribus Episcopis exercendam: inepta videntur hæc media ad eius magnificentiam & maiestatem amplificandam, sed re verâ patientiæ subsidio clariorem adoleuit ad gloriam; quis enim nesciat, quòd tunc Episcopi nomen, Martyrij cruciatus portendebat, cùm diligentissimi Principes & Tyranni essent, vt Episcopos reperientes, immanium suppliciorum vi, eos vel ad mortem vel ad perfidiam adducerent; hoc enim animo persuasum habebant, vt facillimum esset exterrito, fugatoque Pastore greges integros deuorare; hinc illud Apostoli, *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; id est martyrium desiderat;* sic apud Aluarum Pelagium Diuus Hieronymus interpretatur: licet autem tempestate quiescente tranquillitati postea locus fuerit, cruentaque illa mortis instrumenta è carnificum manibus, Tyrannorumque immanitate discesserint; adhuc tamen alia cruciamenta Deus disposuit, quibus nos patientiæ hæreditatem lucraremur; innumera enim & prolixa supersunt animi tormenta, quæ eò magis nos excruciant, quò corpore delicatior animus est; Episcoporum magister hæc docet Gregorius, *Non sine ferro & flamma martyres esse possumus; si patientiam veraciter in animo custodimus*, qui alibi etiam in hanc sententiam verba habuit, *Mors a persequente, martyrium in aperto opere est: ferre verò contumelias & odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione*: si dum alij molestijs & iniurijs nos excruciant, cupiditatum nostrarum ebullientes æstus nos ipsi comprimimus & coërcemus, duplex in nostri cordis theatro martyrium experimur: quòd si Diuus Augustinus ait, quod *bonus Iudex est bonus martyr*, quantò magis Episcopo hoc idem aptandum, qui non tantùm in forensibus causis agendis, sed innumeris alijs permolestis operibus, quibus obsidetur, suæ mentis labores impendit; piè igitur & prudenter ad Eugenium Pontificem scribens Diuus Bernardus ait, *Agnosce hæreditatem tuam in Christi Cruce, si labor terret, merces inuitet.* Hæreditas nostra è Christi testamento adscripta, non in mundanâ superbiâ versatur, non in purpuræ luce splendescit, non in thesauris irradiat; in Cruce ea est, & pro gemmis, quibus Regum diademata scintillant, spinas è suâ coronâ discerptas in nostris thyaris collocauit. C D

Alitar de plant. Eccl art. 12

D. Gregor. hom. 17. in Ezech.

Idem ho 35

D. August.

D. Bern. l. 2 de Consid.

§. I.

HIS constitutis ea mihi sententia frequens satis est, quòd scilicet ad nostrum Martyrium elaborandum, coniunctis simul animis, Tellus, Cælum, & Erebus ipse conspirat; nequitiæ suæ vires omnes tellus intendit, vt pias Episcoporum cogitationes euertat, vt eorum labores euacuet, vt authoritatem eneruet, & potesta-

testatem quatiat, vt contumelijs dignitatis iubar obscuret, vt sermonum infamiâ
A & obscœnitate ipsorum candorem deturpet, vt calumnijs & oblocutionibus eum inuadat, vt magnatum conatibus, quibus viros nefarios patrocinantur, oppugnentur, Iudicum fraudibus illudantur; vides, vt tota fere terra vires exerat suas ad Præsules cruciandos; nec mirum, si nos mundus oppugnet, qui ad Dei libellam nostra opera metientes, mundum ipsum suasque leges oppugnamus: optimè igitur Chrysostomus: *impossibile est, vt qui malis bellum indixit, pressuris careat*; fieri nullatenus potest, vt qui sacerdotale munus omninò velit explere, tùm probis, tùm improbis placeat: nullus adhùc præstans adeò fuit, vt hunc mercurium sisteret; lapis iste philosophorum non cadit sub oculorum aspectum; effingi quidem hoc potest, dari non potest; quando enim vitio virtus amicatur? quàpropter Augusta virgo, cum Diua Brigitta enixis eam precibus pro quodam Episcopo fatigaret, ei præcepit, vt Episcopo significaret, triplici incommodo piorum Antistitum semitam laborare, angusta siquidem est, spinis obsita, ardua simul & tortuosa; angusta quidē ea est ex improborū nequitiâ, qui pietatē deridentes, monita, leges, preces, minas exeutiunt; *Contra tales homines induat se Episcopus veste patientiæ, & constantiæ, quia patientia grauia facit esse suauia, & illatas contumelias gaudenter tollerare*: Spinosa etiam ea est, è rerum aduersarum copiâ, quibus totus orbis obuoluitur; quàpropter eum Episcoporum monet, vt si paupertatis & calamitatum aculeis cruciētur, Christi cruciatus, paupertatemque recogitet; si verò furoris & inuidiæ spinis præpungatur, Christi erga nos amorem contempletur. Tortuosa demum & aspera ea est, ex offensionibus plurimis, quibus ad lapsum frequentissimè prouocamur: ab his vt caueamus, pes alter figendus Cælo est, alio tota mundi pompa calcanda.

D.Chrysost. in 2.Tom.3

D. Brigid. seu l.3. c.1

B

Ipsam Vaticanam Sedem Principibus omnibus tùm imperio, tùm sanctitate adorandam totam è spinis intexi, Diuus Antoninus Florentinus Antistes pronunciauit. Spinosa est Cathedra Petri; quid ergo eius administri rosas flores, & quibus ornentur, expectent? quià tamen hæc eadem in quodam è meis paradoxis, & luculentius infrà hæc eadem materia versanda mihi est, ad secundum Martyrium progredior, quò Episcopi stygijs artibus crucientur. Ad hoc præstandum illud mente recogito, quod de Achab Israelitarum Rege sacra refert historia. Validissimam hic vrbem è Syriæ Regis potestate recepturus, tùm suas acies ducens, tùm eas, quas in auxilium Rex Iudæ Iosaphat ad eum transmitteret, ad illum oppugnandum festinabat. Obuius illi Rex Syriæ occurrit, vt eius vota præcideret, hostilesque vires eluderet; suos igitur primarios Duces alloquens mentem suam eis aperuit, quâ admonebat, vt gregarijs militibus contemptis validissima irruptione totum belli robur in ipsum Regem Achab intenderent: *Non pugnabitis contra minorem & maiorem quicquam, nisi contra Regem Israel solum*. Ex euentu Syriæ Ducis consilij vigor enituit; ex vnâ enim Regiâ vitâ deletâ, totum bellum simul extinctum est: vno Achab percunte, victoriæ decus penes Syrios effloruit, & omnibus parta securitas; illicò enim *Præco insonuit in vniuerso exercitu antequàm sol eccumberet, dicens vnusquisque reuertatur in Ciuitatem, & in terram suam*. Luciferum superbiæ Regem Syriæ Rex designat, vrbes sibi quotidie, hoc est animas Episcopis subiectas vsurpantem: In eum obarmantur Episcopi, minoresque acies Sacerdotum & Religiosorum ad eas recipiendas educunt. Verùm Lucifer exercitatissimus huiusmodi bellorum Dux, tenebrarum Principibus, stygijsque sui exercitus Ducibus imperat, vt in solos Episcopos oculos simul & vires omnes impendant, eum ex vnâ eorum iacturâ victoria tota dependeat; hinc factum, vt cuncta semper susdeque perturbent, procellas vbique excitent, tempestates in eorum nomen & famam obarment; ad eorum contemptum fraudibus scelestissimis subditos impellant, ad iracundiam, odium, vltionem Episcopos ipsos concitent, curas omnes intendant, vt ipsorum zelus elanguescat, vt vigor labefactetur, vt tædio affecti à motum integritate, à legum obseruantiâ discedant; vt desidiæ otioque studeant, vt priuatis vtilitatibus consulant, vt commodis & delitijs eneruentur; quàm benè ipsis innotescit, quòd iuxtà Diui Gregorij sententiam, *Cum Pastor per abrupta vitiorum graditur, necesse est, vt praeceps grex*

D. Anton. in sum. p. 3 tit.22. c.25

C

Author Parad. 2. p. 1 sup.par. c.

4. Reg 22. 31.

d.c. 22. 36.

D

sequatur. Si exercitui Dux solus defuerit, actum de bello est, victoria breui coalescit, totusque populus nullo negocio inter Inferorum plausus adducitur in triumphum. A

Alia etiam argumenta non desunt, quibus ad Episcoporum excidium inuehitur: efferatissimè enim inimicus in Christum Dominum sui triumphatorem inuictum Satanas est; cùm enim eius Regnum validissimis viribus semper oppugnauerit, suam imbecillitatem perpendens, quâ in cælestem suum Dominum virus nequit euomere, eius asseclas & administros inuadit, eosque aggreditur, in quibus Christi dignitas elucet, quibusque Christi imperium roboratur: meritissimè igitur

D. August. in Psal. 124. Diuus Augustinus docebat, quòd licet nunc temporis Tyranni non sæuiant, inferni tamen Duces non desunt, qui sæuire possint; tunc igitur cruciatus nostri tollentur, cum Dæmonum potentia delebitur. *Non quia Diabolus modo per Reges non sæuit, ideò non Christiani persecutionem patiuntur: si mortuus est Diabolus, mortua sunt persecutiones: si autem ille aduersarius noster viuit*, vnde non tentationes suggerit? vnde non minas, & scandala procurat? B

Cùm igitur in nos Inferorum tota vis obarmatur, cum flagitiosorum licentia in nos insolescit, cum fraudibus vndique terretimur, ne animum deijciamus, nec hostilibus insultibus obruamur; spe nos ipsos erigamus & oculis ad Deum directis in eius virtute robur nostrum collocemus, in eius subsidio nostræ vires augeantur; nostram ipse causam aget, rationes nostras ipse tuebitur, & cùm nos eius causa tot pati, & tàm ferociter aggredi ab Erebi furijs animaduertet, tantis ipse viribus nostram imbecillitatem roborabit, vt nisi nos hostili iugo spontè subijceremus, clarissimum stygijs ex hostibus triumphum referremus.

Hebræus populus in atrocissimi Deicidij pœnam Romanis armis profligatus, & ferè deletus, vt beneficia aliqua satis honesta à Caio Imperatore reciperent, pro re suâ fore duxit, si Legatum aliquem ad Romanam aulam mitteret, qui tùm sui nominis fama, tùm alacritate ingenij, tùm Eloquentiæ pondere Cæsareum sibi animum compararet: vnanimes igitur ad id præstandum elegere Philonem virum sapientiâ prudentiâque toti non tantùm Iudeæ, sed vniuerso ipsi spectatissimum; periculosâ igitur, longâque nauigatione transactâ, Italiæ oras tandem appulit, & Romam inde accessit; hic quàm citissime animaduertit se in Principem offendisse, qui eo pretio scientias & prudentiam, quo gemmas Aesopi gallus habebat; quapropter non tantùm receptus honestè non fuit, repulsamque in omnibus passus, sed contumeliosè satis & indecorè habitus abijt: animum ad hæc ipse non fregit, quin magis erectus & fortis ad suos ait, *Bono animo nos esse oportet, quibus iratus est Caius; nunc enim Deus nobis contra illum aderit*. Sanè Ioseph Hebræus, è quo hanc Historiam habes, affirmauit, eius verbis facta penitus respondisse. Habes hic Episcope tuam imaginem. Cum stygijs viribus, & Satanæ administris vt Dei legati vexamur, animum erigamus, recentique nos spe roboremus, ex ingenti auxilio, quo nos Deus ipse confirmabit & in antidothum venena ipsa conuertet. C

Ioseph. Hebræus & antiquit. Iudai. l. 18 10 Idem c. 11.

Sed quò tertium Martyrium missum facimus? Mirandum sanè, ad terræ Erebique martyria sufferenda Cælum nos obarmat, & tamen ad nos cruciandos Cælum ipsum conspirat? quapropter Apostolos suos ad suam disseminandam legem mittens Christus ait, *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; ad Crucem missus ipse fuit à Patre, ad crucem primos Episcopos misit, quibus postea eorum successores adhærent; Particula ea, *sicut*, validissimam vim habet; nam iuxtà mentem Sanctorum Chrysostomi, Cyrilli, Theophilacti, & Ruperti Abbatis ministerij similitudinem exprimit; suos tunc igitur Vicarios Pastores mundique magistros ipse renunciauit, suam eandem potestatem authoritatemque eis impertiens: Episcopatum hic Apostoli susceperunt, licet aliqui in eâ opinione sint, quòd tunc inaugurati Episcopi fuerint, cum Pentecostes die Diuinus Spiritus celitùs in eos elapsus est; alijque verò arbitrantur Petrum tantùm Christi manibus fuisse consecratum, reliquosque Apostolos ab eodem Petro: quidquid tamen de loco & tempore proferatur, consentaneum magis videtur, quòd omnes ab eodem Christo Domino fuerint sacris initiati; ad mentem Diui Augustini hoc est, cuius D

Ioann. 20. 21

Chrysost. Cyrill. Theoph. Ruper. Ab. ibidem.

cuius ea sunt verba, *Ipse enim priusquam ad Cælos ascenderet, imponens nomen.* D. August.
A *Apostolis, ordinauit in Episcopos*, quod idem à Suario confirmatur; finis etiam ea quæstnou.&
particula similitudinem designat, hoc est, vt Cyrillus & Leontius explicant, fidei veter. testa.
propugnationem, morum disciplinam, salutem populorum. q. 17.

Suar. tract. de fine, disp. 10. sect. 1. n. 8

Aptiùs tamen eâdem particulâ similitudo ea explicatur, quâ quæ pertulit Christus incommoda, nos pariter perferemus: calumniæ, oblocutiones, contumeliæ, contemptus, persecutiones, aliaque sexcenta, eductâ velut acie nos cruciabunt, vt beatitatis Diadema nobis elaborent, eumque nobis amorem significent, quo suos Episcopos Christus ipse prosequitur: debes hæc Magno Gregorio sic ea Christi verba explicanti: *Electos Apostolos Dominus non ad mundi gaudia, sed sicut ipse missus est ad passiones in mundum mittit: quià ergo & filius amatur à Patre, & tamen ad passionem mittitur, itaque & discipuli à Domino amantur, qui tamen ad passionem mittuntur in mundum: itaque rectè dicitur, sicut misit me Pater, & ego mitto vos; id est eâ charitate vos diligo, cum inter scandala perse-*
B *cutionum mitto, qua me charitate Pater diligit, quem venire ad tollendas passiones fecit.* D. Gregor. ho. 26. in Euang.

Habes iam quàm diuersimodè cruciatus isti in nos intendantur: vt sacram à nobis auellat potestatem, nos Tellus excruciat; vt nobis commissos greges sibi rapiat Dæmon, vt nos suâ beatitate coronet, nomenque nostrum clarissimum vbiq; faciat, Cælum. Hinc, cùm ex omnibus totius orbis incolis Saulum sibi Deus elegisset, qui postea Paulus vas simul electionis & Episcopus inauguratus fuit, vt cælestis sapientiæ thesauro diues Diuinam vbique gloriam amplificaret, & mendacium numinum cultum suæ vocis virtute destitueret, Episcopalis dignitatis fastigio illud etiam inseparabile Episcopis incommodum addiderit. *Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Ignotum vulgo est, nec præ suâ imbecillitate eò se rarò porrigit, vt percipiat, amoris pignora esse calamitates: vt hæc percipias, Cælo magistro vtaris. Act. 9. 16.

C

§. II.

AB Aristotele inquiras, vnde nam Iris speciosissima oriatur; è nube, respondebit, quæ rore grauis in pluuiam nondum effluxit, *Iris perfectissimè repræsentatur in nigerrimâ nube.* Spectandam se non tradit è Cælo Iris pulcherrima, vt suâ discolori colorum pompâ mortalium oculis lenocinetur, nisi cùm pluuijs Cælum scatet; non igitur tranquillitatem portendere illa videtur, at procellas, non pacem, at bellum: in amoris tamen & pacis pignus Iridem depingit Deus. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.* Diuinæ etenim omnipotentiæ opus est, vt diuersis aduersisque adeò medijs tàm excelsum finem sortiamur. Quodnam Diuini amoris illustrius & securius specimen est, & ad durissima quæque reproborum corda emollienda validius quàm quòd ad suam bonitatem agnoscendam suâ nos ipse luce illustrauerit Deus, cum calamitatibus & ærumnis immissis nos affligat & cruciat; amat dum sæuit,
D dum vexat coronat: *Vobis datum est pro Christo, nonsolùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.* Explicantem hæc audi Augustinum. *Vtrumque ad gratiam pertinet, & fides credentium, & tollerantia patientium, quia vtrumque dixit esse donatum.* Arist. l. 3. meth. c. 4. Genes. 9. 13 Philipp. 1. D. August. l. de præd. sanct.

Vt autem hæc veritas magis elucescat, quis ignoret, eam dignitatum, opulentiæ & fœlicitatis esse vim, vt nostram mentem pondere suo prægrauantes, à cælestibus rebus amoueant, vniusque telluris humilitati defigant: vt igitur Deus tanto nos discrimine ipse subducat, sui amoris ingenio, curis & molestijs nos obuoluit; quàm egregiè Augustinus. *Si cessaret Deus, & non misceret amaritudines fœlicitatibus sæculi, obliuisceremur eum.* Quantum nobis superbiæ fastum insinuat nostræ dignitatis excellentia, titulorum fastigium, populorum obsequium, vestium splendor, Solij maiestas, opum effluentia, palatiorum amplitudo, fa- D. August in Psal. 13.

mulantium turba, subditorum reuerentiâ? his profectò superbiæ conatibus expugnata corrueret, nisi anxijs identidē molestijs, veluti Agallochi succo inspersa A
mundi degustata dulcedo nobis amarescerer; do verba Gregorij: *Deus donis suis flagella permiscet, vt omne, quod in sæculo nos delectat amarescat & illud incendium surgat in animo, quod nos semper ad cæleste desiderium excitet.* Ad Riziniensem Episcopum aliàs idem scribens ostendit, hæc satis in semet ipso exercere; licet enim, ipse ait, plurimis ipse rationibus ad immortalem beatitatem optandam vrgeretur, ex innumeris, & peracutis angoribus, quos in Pontificali ministerio experiebatur, validiùs ad cælestia vota compelli; dolores huiusmodi admodum pergratos sibi esse, eò quòd animum suum à terrenarum dulcedine rerum auellerent.

(D. Gregor. ho. in Ezech. D. Greg. l. 4. epist. 35.)

Profectò, cum adeò permolestus & amatus mundus sit, adhuc tamen ineluctabili quâdam vi ad sui amorem nostros, animos rapit, si Præsulum non pauci eius lenocinijs irretiti, laboribus sacris omissis, suique gregis custodiâ neglectâ, studium omne suis voluptatibus, suisque commodis impendunt; quid faceret, si nulla molestiarum aspersus amaritie totus dulcesceret? vt igitur suorum Præsulum saluti consulat Deus, blandimenta hinc, cruciamenta illinc porrigit, pius simul & seuerus: his ille vicissitudinibus eos exercet, ne vel molestiarum asperitate, vel voluptatum dulcedine à pietatis viâ deflectant: Ticinensi Episcopo Petro è magnâ tranquillitate in sæuissimam tempestatem migranti significauit Diuus Bernardus his verbis; *Si tristia semper acciderent, quis sustineret? si semper prospera, quis non contemneret? sed rerum tanta gubernatrix sapientia, horum pernecessariâ vicissitudine eo moderamine electis suis cursum vitæ temporalis alternat, vt nec aduersa frangant, nec læta dissoluant; cum potius & ista ex illis gratiora, & illa ex his tolerabiliora reddantur.* B

(D. Bernard. epist. 136.)

An non igitur amari nos ab eo dicemur, qui ad hoc, vt perfectos nos sui faciat administros, omnique virtutum pompâ nos ornet, quæ nostrum ministerium sit illustratura, æternamque sit nobis donatura beatitatem, cruciatus & dolores immittit, quibus affligamur, & virtutem patientiæ comparemus? vna sanè virtus hæc videtur, sed omnium cumulus perfectioque virtutum esset potius appellanda; vt enim egregiè Diuus Leo docet, *Non virtus possent esse virtutes, nisi rerum disciplinam, conuersionemque, quasi quadam sollicita mater patientia custodiret:* quàm benè virtutes omnes patientia perficit, & secum trahit: ipse idem Seneca ad suum Lucilium scribens hæc indicauit; ad absolutæ perfectæque virtutis fastigium nos patientia adducit, & ærumnis doloribusque nostris quasi cæmentis vtitur ad vitæ Episcopalis molem celsissimam statuendam. Significauit hæc Diuus Antiochus docens, quod *bonorum, si qua in nobis sunt, cardo, & caput patientia est*; sed clarissimè hoc idem Diuus Iacobus explicauit eâ loquendi formâ, *Patientia opus perfectum habet*; rationem de his Aquinas Magister dabit; patientiæ enim est, vt immoderatam tristitiam, odij, iracundiæ originem extinguat & deleat; præterire hîc ego non possum, quòd cùm semel ab eodem Aquinate postularetur, quinam omni ex parte absolutissimus dici posset, respondisse fertur, *qui vana non loquitur, & facilè patitur se contemni: quem enim videris in suo contemptu indignari, vel contristari, hunc tu ne dixeris perfectum, etiam si videris eum miracula patrantem.* Sed ad nostra redeamus: è rhimo peramarâ cæteroquin herbâ quis nesciat Apum ingenio succos dulcissimos hauriri? membrorū robur & fortitudinē frequenti exercitatione athletę comparant, vt coronam inter gymnastica theatra conquirant: eodem planè modo, curis, molestijs incommodis, nos Deus exercet, vt ad victoriam erudiat, ad coronas nos instruat, & ad eam, fortitudinē induendam nos componat, quam in stygios athletas pernecessariâ nobis esse superiùs ostendimus; voces hæ sunt, quibus ferri acies conformatur, calcaria sunt, quibus ad cursum equi concitantur & vt D. Greg. stylo vtar, *sic semina messium gelu* Sabiniano Tudertino Antistiti *cooperta, fertiliùs germinant, sic ignis flatu premitur, vt crescat*: hinc per epistolam respondens, qui Maximi, quem sacris interdixerat, impudentissimâ arrogantiâ permolestè vexabatur, eum admonet, vt ex his potius incommodis animū suum ad maius induendum robur erigeret: *Animos ergo tuos aduersitas non deijciat, sed accrescat: audaciorem te in omnibus vigor Sacerdotalis ostendat.* C D

(D. Leo. ser. de patient. — Senec. ep. 63. — Anthioc. Comml. 68. — Iacob. 1. 4. — D. Tho. 2. 2. q. 66. art. 4. ad 2. — D. Gregor. l. 6. epist. 27. — D. Gregor. l. 7. epist. 1.)

§. III.

A

§. III.

Hinc etiam fit, vt illustrius Episcoporum nomen per totum orbem irradiet, ipsisque Principibus & Regibus magis venerandum habeatur. Deoque ipsi sint eorum animæ gratiores: An non tunc elucescit silex dum percutitur, & quò magis geminantur ictus, eò magis suæ thesauros lucis ostentat? An non ex apum aculeis caligantes vtsorum oculi illuminantur? an non perfectior ille crocus est, qui validiori mole calcatur, de hoc certè Plinius ait, *gaudet calcari & atteri, pereundoque melius prouenit?* an non ex ipsarum nubium obiectu clarior lux solis erumpit! non hic ego illud Epicteti vsurpauerim; *quidnam quæso esset Hercules, nisi Taurus, Leoque extitisset, & Hidra, & Ceruus, & Vrsus*: accomodatius affirmare mihi illud liceat, Athanasios, Chrysostomos, Carolos, Hilarios, Plin. l. 25. c. 5. Epi. in eadem. Ind. c. 6.

B Augustinos, Basilios patientiæ auspicio sanctitatis absolutissimæ culmen attigisse, sibi vniuersi famam, & Principum cultus, & populorum obsequia comparasse; nisi aduersa & ardua eorum fortitudinem exercuissent, nisi reproborum calumnias, impiorum scommata, Tyrannorum potentiam, temporum aduersa offendissent, nunquam eò gloriæ, eò fœlicitatis & magnitudinis peruenissent. *Misericors Deus fieri hac omnia permittit, ut per omnia famulos suos clariores efficiat*. Sic ex his aliquis. D. Crysost. super c. 6. Genes.

Quàm opulenti thesauri ij sunt, quibus Episcopi ditescunt inter tempestates & gnas? in ventorum rabiem & procellarum aduersantium vim, si quis suæ Ecclesiæ nauim securus adducat, an non eos imitatur antiquos Antistites, qui *erant laborantes in remigando?* quis autem nesciat ad pœnarum lancem beatitatem pariter esse metiendam? Ad extremam huius operis partem amplitudo mercedis Episcopis impertiendæ aperienda mihi est, ideoque hoc tantùm in præsenti indicasse sufficiat, aduersitatibus scilicet & curis, quibus in populorum nobis commisso regimine obsidemur, pretiosissimas nobis gemmas elaborari, quibus gloriæ diadema est intexendum; palmas nobis & laureas labores illi progerminant, quibus deletis ex hostibus, clarissimum sumus habituri triumphum; breuis quidem pugna est, at æterna victoria; accipe Ambrosium. *Breuis huius laboris est meta, at corona fructus perpetui: tolerabilis passio, merces inæstimabilis*: inter molestias & angores suam vitam traducendam Apostolis eorumque successoribus Christus vaticinatus fuit; his tamen breui expletis statim subdidit; *sed tristitia vestra vertetur in gaudium*. Hoc sanè argumento Anastasij Anthiocheni Antistitis animum, sub ingenti curarum mole penè fatiscentem Diuus Gregorius excitauit: Erigamus animum, ait Gregorius; hæc enim placidè patientes, *restat vt etiam promissa sperare debeamus*. Hoc etiam loquendi stylo Columbum Numidiæ Antistitem consolatus abundè fuit; cum enim de suorum hostium numero & vi hic ingemisceret, quorum vecordiam pietatis zelus suique ministerij sanctitas in eum accenderat, ad augendam fortitudinem eum Gregorius admonens hæc fatur. *Quod enim multorum vos inimicitias ob hoc, quod nostris vos frequentius visitamus epistolis, pati significastis: dubium non est Reuerendissime Pater, bonos prauorum odia sustinere, diuinisque intentos operibus, peruersorum aduersitatibus lacerari; sed quantò hæc, quæ sunt praua, circumstant, tanto in commissi vobis curà regiminis debitis instantiùs occupari & circa gregis Christi vigilare custodiam: quantòque iniquorum vos contrarietas premit, tantò alacriores, ac de promissa remuneratione certissimos, pastoralis sollicitudinis cura debet accendere: quatenus Pastori summo lucrum de iniuncto vobis opere valeatis offerre.* Marci 6. 48. C D. Ambr. de Iacob & vità beata c. 6. Iob. 16. D. Greg. l. 7 epist. 3. D Greg l. 6 epist. 2. D

Simili planè sermone Oldericum Firmanum Episcopum Diuus Damianus erexit; è gemmis enim, quas è Cælo Christus attulit, duas esse omnium pretiosissimas docet, charitatem scilicet & patientiam, ad quas nobis exprimendas, tùm verbo, tùm exemplo nos informauit; harum subsidio Ecclesiam condiderunt Apostoli, eam strenuissimi Christiani nominis Duces palmis ornauere. Si nos igitur Apostolorum, & Martyrum sedes, & in munus implemus, vtràque D. Petrus Damian l. 4 epist. 7

obar-

obarmemur, vtramque tùm corpore, tùm animo ostendamus.

Nec alia de causâ auream crucem Episcopi ad pectus præferunt, gemmeam A verò & adamantinam Pontifex, nisi vt crucem semper aspectam semper corde recogitent, & Christi amore cuius crux est, crucis pondus amplecti non dubitent; Ingeniosâ simul & arcana definitio est, quâ Episcopum Diuus Isidorus Pelusiota describit; cum enim appellat, *vniuersæ philosophiæ simulachrum*; egregiè enim verò: tota nostri Sacerdotij moles duobus illis cardinibus innititur, quibus suam fulciri Philosophiam Epictetus asseruit, *sustine & abstine*. Quòd si Romani nomen suum tàm longè latèque porrexere omnibus admirandum & formidandum, ardua semper excipientes, & aduersa quæque occurrentes, tàmque sibi gloriosum hoc opus esse dicebant, vt iuxtà Liuij fidem, dicerent, *Agere & pati fortia Romanum est*; quidni gloriosum nobis pariter esse hoc idem arbitremur, & simul dicere valeamus, *Agere & pati fortia Episcoporum est*? Cælesti hac philosophiâ instructi Erebi mendacia delcamus, & cælestia hæc arma tractantes, stygias acies è Christi Regno, è suâ videlicet Ecclesiâ repellemus.

D. Isid. l. 3. epist. 216

Tit. Liuius

Exiguæ flammæ est, vt ad ventorum flamina extinguatur; maximum incendium illud, est quod vi ventorum augetur, & aquilonum pugnâ magis magisq; exęstuans insolescit; imbecillis animi est, vt ad quæcumque aduersa frangatur, cum è contra hreoum sit, inter ipsa certamina fieri fortiores; quietis amans & otij, à contentionibus, à molestijs, ab incommodis alienus, sacris abscedat à sedibus, infulas exuat; his enim turpè est vt ornetur, qui fracto demissoque animo est, fortes, & piè audaces illis ornentur; qui tàm illustre beneficium excepit à Domino, curarum impositam pensionem non excutiat, & in se ipso sui exemplaris describat imaginem, eius vestigia sanctorumque Antistitum semitam obseruet; alius enim ea Augustini verba ad Alipium scripta de Episcopis quàm de Christianis viris ego vsurpauerim, *Noli mirari, si postquàm Christianus, si postquàm Episcopus, effectus es, mille te vndique tribulationes vexent: quoniam Christus noster Religionis caput est, nosque membra sumus; debemus ergo non solùm eum, sed vitam eius cumulatissimè sequi; vita enim Christi respersa fuit angustijs plurimis* &c. B C

D. August. ep. Alipuo.

Si ergò in tàm insigni Sacerdotio hæreditatem suam nobis Christus Dominus impertiuit, suarum etiam pœnarum hæredes aliquâ ex parte nos esse non pudeat, vt eius etiam gloriæ parte donemur, vt enim ait Apostolus, *si compatimur, & conglorificabimur*: his artibus nostram nobis beatitatem condimus, nostræ fœlicitati velificamur: *Certa, atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, vbi est participatio Dominicæ passionis*.

Rom. c. 17.

D. Leo ser. 9 de quadra.

Eâ in sententiâ Blosius erat, vt omnium nostrorum bonorum operum pretio, vix ærumnam aliquam emeremus: Pretiosa adeò res ea est; vtinam eius pretium agnoscentes, hilares eam excipiamus.

De patientiâ, qua vitiosi, inurbani, & ceruicosi subditi sunt ab Episcopo tollerandi. Cap. XXXVIII.

D

DE Patientiâ Episcopis vniuersim necessariâ hactenus egimus: sicut autem innumera ea nobis occurrunt, quibus exercenda ea est, sic ad ea singularia perpendenda stylum adducamus oportet, quæ frequentiùs offenduntur: Versantur hæc potissimùm in pertinaciâ, inurbanitate, arrogantiâ, & impudentiâ subditorum.

Proh Deus! vix vocem aut sibilum rudis Pastorculus emittit, & virgam percutientis in morem attollit, vt statim eius vestigia sequatur grex totus, eius vocem audiat, & ad eius nutum illicò se componat: preces, adhortationes, leges,

minas

A minas simul coaceruet Episcopus, suam ferè totam potestatẽ exerat, vt audiatur; quid tùm? ad eius voces, per summum contemptum populi obsurdescunt, ad eius exempla excoecutiunt, & quò magis ad eorum vtilitatem ipse elaborat, eò molestior ipsis est, labores, industriæ artes, quibus ad eorum sibi comparandam voluntatem vtitur, quis credat, reprobantur & damnantur; quantus sanè cruciatus animi est; si vt ad immoderata beneficia è Præsulis manibus extorquenda, precibus repetitis importunè fatigeris, easque videas derideri excusationes, quarum honestate suam ipsi deberent audaciam coërcere? quid molestius excogitari possit, quàm ea omnia, quæ agimus, ab alijs corrumpi & vitiari, reijcique penitus ea, quibus vel ad nostræ conscientiæ tranquillitatem, vel ad eorum salutis securitatem laboramus? quid acerbius, quàm quod sæculares viri persuasum hoc animo habeant, vt scilicet ad eorum arbitrium, Sacerdotia, Parœcias, sacros ipsos ordines impertiamus? vt scelera impunita vagentur, vt Cleri disciplina laxetur, vt in sacrarum Virginum Gineceis liber aditus omnibus pateat, vt concionandi facultas non præstantioribus tùm pietate, tùm sapientiâ viris, at sibi studiosis & gratis concedatur, vt morum corruptelæ adolescant, & locus vitijs detur, & cum de nostrâ indignatione deberent esse sollicitì, eò quod illui potestatem extorquere nobis conentur è manibus, indignationem ipsi suam præferunt, & iactant è repulsis, quas humanissimo & blando more datas à nobis exceperunt? Hæc aliaque sexcenta eò minus tolerabilia videntur, quò magis Episcopi animus delicatus & facilis est, adeò vt non pauci sint, qui tædio quodam corripiantur, & dolore non exiguo tanguntur de iam permolesto sacerdotio sibi ipsis imposito, tantoque tumultuantis animi æstu perturbentur, vt Rachelem imitari videantur gemellorum, quos vtero ferebat, contentionibus & rixis agitatam, nam *collidebantur in vtero eius paruuli: quæ ait, si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* nec tantùm modicâ virtute præstantes Episcopi hoc dolore tædioque vexantur, sed ipsi pariter sancti viri, diùque in patientiæ palestrâ laborantes. Ex his Diuus Nazianzenus fuit, qui suæ eloquentiæ neruos impendit in harum molestiarum mole, coràm centum quinquaginta Episcopis repræsentandâ, vt se à sui populi effræni pertinaciâ tandem aliquandò subduceret; sic etiam Diuus Rusticus Narbonensis, qui ad Magnum Leonem Pontificem supplices etiam de hoc litteras exarauit; sic Diuus Amandus Traiectensis Antistes, qui in Lateranensi Synodo Diuo Martino Pontifici suam Episcopalem dignitatem reddere efficacissimè contendit, vt se ingenti eo dolore liberaret, quo ad immorigeratos sui populi mores, & vitiosam sui Cleri disciplinam vexabatur: de Diuo etiam Rodolpho huius meæ Eugubinæ Ecclesiæ quondam Hyerarchâ habetur, conatũ non semel fuisse, se sacris infulis spoliare, ex inurbanitate & duritie populorum; Diui Damiani tamen adhortationibus factum est, vt in cæpto opere perseuerans, sanctè illud moriens absolueret; vt ad Alexandrum Secundum Pontificem idem Damianus scribens narrauit: Profectò, si ad sacros magistratus deponendos hęc vna ratio sufficeret, nullus reor in præsenti foret Episcopus.

Gen. 25. 22

D. Gregor. Naz. or. 35

D. Leo ep. 29.

Baron. ann. 6. 9.

D. P. Dam. 1. epist.

Aliò igitur confugiendum est, vt dolori nostro medeamur; primùm igitur animo nobis illud adhæreat, hanc scilicet nostram esse crucem, quam nobis manu diuinâ impositam perferre vbique debeamus; quin ad eam ferendam, vti docet Angelicus, in nostrâ inauguratione nos ipsos obstrinximus: absolutissimam Episcopis esse virtutem quis nescit, ait Diuus Aquinas: hæc autem virtutis perfectio, cùm in triplici re versetur, elucere in eo primùm, debet vt subditorum vitia & iniurias patienti animo ferant; cũ placidis viris, pijs, obsequentibus facilè quid est, vt quicumque degat & societatem ineat: quàm dulce imperium est, vbi paratissimos habes ad parendum? patientiæ est, vt ad asperos, indociles, & ceruicosos mores tuos mores accõmodes. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorũ sustinere*, ait Apostolus, qui dùm alias adhortatus nos fuit, vt mutuâ commiseratione nos foueremus, *Alter alterius onera portate*, hoc designauit, iuxtà Diui Bernardi sententiam ad quendam Præsulem sic scribentis: *Hoc onus animarum est & infirmarum, nam quæ sanæ sunt portari non indigent, ac per hoc nec onus sunt.* Eos etiam Præsules idem Magister aliàs increpat, qui procaces & refractarios subditos

D. Thom. op. 18. c. 16

Rom. 15. 1.

Galat. 6. 2.

D. Bernard epist. 75.

ditos euitantes, dociles tantùm & ad pietatem propensos vellent excolere; sanè si res ita se habet, *in quibus præstabis tuam patientiam, si omnes inquietos excluseris? quibus adhibebis diligentiam disciplinæ, si omnes indisciplinatos, vel effugaueris, vel effugeris?* A

D. Bernar. ser. 52. in Cant.

In ætate adeò deprauatâ, vitiosâque versamur, vt illud Græci Vatis vsurpare meritò valeamus, vniuersum hunc orbem proscęniumquoddam esse, in quo ad hominum insaniam deridendam simul & deplorandam gestum simul facere possint Democritus & Heraclitus. *Vita nunquam fuit post condita sæcula mundi, risu pariter dignior & lachrymis.*

Si ergò ea tibi mens sit, vt tàm procacia emendare & abolere vitia te posse opineris, toto cælo aberras, & Censorinum Catonem imitaris, qui prauissimos sui sæculi mores ad pristinam reuocare disciplinam frustrà contendit; multò facilius nobis erit, vt nostri animi motus moderemur, & per tot patientiæ exercitamenta ad robustam & heroicam quandam sanctitatem nostrum animum instruamus, quâ non tantùm imbecilles & desides, sed impudentissimos etiam & nequissimos tolleremus. B

Verba illa, quibus olim Ezechielem Deus allocutus est, nobis ipsis accommodemus; *filij durâ facie & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te.* Proteruus, vecors, deperditus populus est, & quod deterius est, *cum scorpionibus* (Vatablus legit) *cum spinis habitas*: quàm procul Antistes est à rosarum delicijs & elegantiâ liliorum? spinas, aculeos, molestias, inurbanitates, contumelias expectes; licet autem arduum maximè sit, tàm dura & acerba ad sui nutrimentum assumere, ad hoc tandem erigendus noster ânimus est, hic opus, hic labor; Crux nostra hæc est, his nos veluti gressibus ad martyrium properamus, cum Purpurato Vate, illud pronunciantes, *quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt*, legit Diuus Augustinus, *sicut in frixorio confrixa sunt*, nam vt vir doctissimus ait, *Mali sunt frixorium bonorum: tantùm enim frigitur bonus, quantùm amat: quoniam tantùm dolet de multorum interitu, quantùm salutem eorum diligit*: Pastor qui gregem suum diligit, iniquè patitur quod indocilis & contumax sit. C

Ezech. 2. 4. d c. 2. 6.

Psal. 101. 4. & ibi Aug.

Si verò ad martyrium vocamur, vt superiùs ostendimus, via hæc est; tot carnifices habemus, quot improbos, in quorum vitia dum patientiæ armis, vigiles, & fortes pugnamus, incruenti martyrij palmam acquirimus, vt de sancto Eleuchadio Beatus Petrus Damianus scripsit, *Neque verò credendum est Beatum Eleuchadium, dum adhuc viueret, martyrij caruisse laboribus, & si non fuerit martyrio consumatus. Non contemnendum pertulit in ipsâ Ecclesiæ pace martyrium: quandoquidem & si non cum perfidè credentibus, sed peruersè viuentibus, insæderabilem probatur habuisse conflictum.* Indias nostras in Diœcesi nostro labori commissâ sortimur: quàm opportuna & fœlix hic nobis se præbet occasio, quâ gloriosissimum triumphum adepti, in Cæli theatro inter Purpuratorum Myriadas pompam faciamus.

D. P. Dam. serm. 6.

Si martyrij huius angores impauidè sustuleris, & inter animi cruciatus sacræ disciplinæ vim fortiter constanterque tenueris, habes, quo de sacerdotali munere glorieris: *Si enim, inter contradicentes quæ Dei sunt egeris, tunc verus operator probaberis*: sic Gregorius. D

D. Greg. l. 6 epist. 27.

§. I.

NON ea mihi mens est, vt è Zenonis scholâ prodeat Episcopus, nec è Stoæ sectatoribus illum esse contendo; si ergò conqueratur interdum, & in tristia verba, sed non indecora erumpat, cum non arguo, sed commiseror; ipse enim Regius Psaltes iuxtà Dei cor elaboratus temperare se adeò semel non potuit, quin inclamaret, *heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est; habitaui cum habitantibus Cedar*: Mortem omnium terribilium maximam ad sui quietem optabat, eò quòd inter homines versari cogeretur, agrestes, incultos, asperos, inurbanos; hanc enim eorum verborum esse sententiam *cum habitantibus Cedar*, idest cum habitantibus

Psal. 119. 5.

tibus nigredinem, obscuritatem, & tenebras, saeri explicant Praeceptores; Cedar
A enim Arabiae regio est, Saracenis & Mauris frequens è prosap â Ismaelis.

Illud tamen certus affirmo, eximij Praesulis gloriam in eo versari, vt inter aliorum tenebras elucescat, ibique sua virtus effulgeat vbi alijs obscuratur; adeò vt discrimen illud inter ipsum, & populos intercedat, quod inter Hebraeos & Aegyptios, tunc quandò Moyse manum attollente, *factae sunt tenebrae horribiles in vniuersâ terrâ Aegypti tribus diebus*, coecutiebant igitur Aegyptij eo ipso tempore quo Hebraeis sol ridebat, & Caeli facies blandiebatur; *vbicumque autem habitabant filij Israel, lux erat*. Exod. 10. 21 & 3.

Propitios ad velificandum ventos sortiri foelicitatis est; at virtuti tribuendum, si reluctantibus ventorum agminibus portum appellas. Probitatem inter probos sectari facile est, laboriosum simul & gloriosum est coeteris cadentibus stare.

Hac planè dicendi sententiâ Rhotomagensem Hyerarcham Hugonem de suorum populorum procacitate cruciatum consolatur Diuus Bernardus, *Si diei malitia inualescit, non praeualeat; si turbat, non perturbat. Mirabiles elationes maris; sed mirabilior in altis Dominus est. Et quidem inter bonos bonum esse salutem habet, inter malos verò & laudem: illud tantae faelicitatis, quantae & securitatis: hoc tantae virtutis, quantae & difficultatis*: demùm statuit, vnicum tanti mali medicamen fore patientiam, *Non solum patientem, qui nolit vinci à malo, sed & pacificum, qui vincat bono malum: alterum, vt malos portes, alterum, vt & quos sustines, sanes: in patientià tuà possides animam tuam; sed sis etiam pacificus, vt & commissa tibi possideas &c.* D. Bern. ep. 25.
B

Vtilissima pariter erunt ea, quae Diuus Gregorios subministrat; ipse enim dum Vaticanum Imperium moderaretur, aliquorum Praesulum vitia, quibus supremam D. Petri Sedem Caesareà potestate suffulti pertinacitèr inuadebant, sibi ipsi, suisque vitijs tribuebat, Deoque gratias referebat, quòd tàm placidè hic ea castigans, haud ea seruaret flammarum purganda supplicio. *Episcopi mei me despiciunt, & contra me, ac mandata mea refugium ad saeculares Iudices habent, in quo ego omnipotenti Deo gratias ago, & peccatis meis reputo*: sic ad Caesarissam D. Gregorius: Diuinae nos etiam Sapientiae demus, quòd in nos tàm ceruicosi nostri populi insurgant; & magnatum aliquandò patrocinio muniti nos acerbiùs vexent; magna sanè foelicitatis pars est, vt breui dolore expugnare valeas conscientiae maculas, quae caeteroquin saeuissimis purgatorij ignibus essent eradendae; sed rursus idem Pontifex audiatur. *Ipsa malorum societas magna purgatio bonorum est. Abel namque esse renuit, quem Chaim malitia non exercet: ferrum quippe nostrae mentis ad acumen non potest peruenire veritatis, nisi hoc alterius eraserit lima prauitatis*. D. Gregor. l. 5. ep. 34. D. Gregor.
C

Tertiò demùm illud nobis occurrat, Episcopum tùm medici, tùm Parentum munus occupare; non ad incolumes sed ad aegros medicus mittitur, è quibus interdum amentes non nulli euadunt, & permolesti ei fiunt; In eos tamen non irascitur Medicus, at in morbum; matris verò patientiam in filiorum vel partu vel educatione sufferendâ quis ignorat? nec tamen dolorum, quos suffert, acerbitas minuit maternum amorem; imitandus nobis Moyses est, qui cum sibi commissum populum haberet à Domino praedurum, agrestem, proteruum, refractarium, & gratitudinis omnis expertem, materrâ tamen dilectione eos prosequebatur, qui eum suâ pertinaciâ cruciabant, adeò vt ipsam quodam modo immortalem beatitatem frui dedignaretur, si eorum societate careret, caeli munera reijciebat, nisi ad eorum partem suus populus vocaretur; hinc ea amantissima verba, *aut dimittet illis hanc noxam, aut dele me ex libro vitae*; haec contemplatus Diuus Bernardus illa subdidit. *Non Moyses vellet solus se introduci in gaudium Domini sui, forts scilicet remanente populo, cui licet inquieto, & ingrato, vice pariter & affectione matris inhaeret. Dolent viscera, sed tollerabiliorem sibi iudicat torsionem quàm exclusionem*. Iacobi facinus explicans Diuus Augustinus, cum ille iuxtà matris praeceptum agninis pellibus tùm collum, tùm manus obuelauit, docet hoc pariter modo, aliena vitia moresque belluinos amantem Praesulem tollerare. Exod 32. 32 D. Berard. D. August. serm 44. ad diuers c. 18. & c. 16.
D

§. II.

A

EXempla interim tùm Christi Domini, tùm Sanctorum prætermittens, illud quarto loco nobis recogitandū existimo, quod in priori huius operis parte enucleatiùs explicauimus, nihil scilicet difficilius, & magis arduum nihil, quàm vnius regimine conferti populi capita gubernanda; indociles plerumque gentes, asperas, tumultuosas, tùm cogitatione, tùm voluntate difformes, specie quidem absimiles & animo discordes, eamq; prorsus imaginem præferentes, quam decantatus ille Ezechielis currus præferebat; quot nam ex ijs sunt, qui humanâ sub specie belluinum animum fouent, & ferarū instar frænum excutiunt, rationem prorsus ignorant? aptissimè de his Plutarchus, *Non enim cuiusuis est neque tractatu, ac factu facile vulgus, & multitudinem salutaribus allici rationibus, & in officio contineri, sat erit, si velut fera, naturâ suspiciosa & varia, vocem atque aspectum Rectoris minimè reformidans, regimen & frænum admittit.* B

Ezech. 1. 10

Plutar. in Polit. ad Traian.

Vtinam ea omnibus hominibus voluntas esset, qua Dei sibi commissam imaginem in suâ venustate & elegantiâ conseruarent; hac enim ratione facillimum eorum regimen esset; verùm quia vitiorum licentiæ plerique se dantes tàm fœdè se immutant, vt de eorum non nemine Regius Vates dixerit, *comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*: quînam fieri possit, vt facilè bellui ni animi humano ductu regantur? Noëmi igitur Arcæ instar suam Diœcesim arbitretur Episcopus, quæ innumera animantium genera simul claudebat; ea tamen sapientissimus ille Patriarcha patientissimè gubernabat; fastidiosus ille non erat vel de leonum rugitu, vel de luporum vlulatu, vel de equorum hinnitu, vel de canum latratu, de serpentum sibilis, vel auium cantibus; his sanè Episcopum ille exprimebat, vt enim Diuus ait Ambrosius, *in illis generibus quadrupedum & ferarum, & volucrum, figura erat conditionis humanæ, quæ ferarum more bestiali videtur induta sæuitiâ, nisi spiritus sanctificatione mitescat. Dona ergò gratiam, quæ ferinam rabiem spiritali simplicitate committat.* Si ergò Noë trecenta simul belluarum genera educans, inter pereuntis mundi naufragia securâ tranquillitate ridebat, eo quod Dei voluntati hęc statuenti se accommodaret; quis pudor nostrûm esset, si ratione præstantium hominum, & Dei similitudine illustrium vitia & inurbanitates iniquo & peracerbo animo pateremur! Non ità quidem Magnus Basilius Orientis Primas, & Cæsareæ Antistes se gessit, dignus idcirco, quem Diuus Gregorius Nazianzenus vocaret, *Leonum curatorem*: tàm generosus enim & fortis fuit aduersus ferociam superbiamque mulrorum, vt potius eos illustri patientiâ vinceret & gloriosè sibi subegerit; illud de Macedonum Magno Duce hîc mihi memorandum occurrit; palmis diues & ditissimis exuuijs onustus ad indicas regiones victorem hic exercitum adducebat, recentes sibi triumphos vbique erecturus: obuius illi eum ingenti exercitu se Rex Porus obiecit, & formidando elephantum bellatrices turres gestantium apparatu instructus giganteam ipse molem præferebat omnium maximo Elephanto sublatus. Contemplatus eum diù fuit Alexander, sic Curtius, tùm metu omni excusso, imò ad eius aspectum generosior factus, campum suo labore dignum tandem se reperisse affirmauit, *Alexander contemplans & Regem & agmen Indorum, tandem, inquit, par animo meo periculum video: cum bestijs simul & cum egregijs res est*: aperto marte prælium indicitur, pugna clangentibus vndique tubis capessitur, concurrère in se strenuissimè acies, virtute demum & fortunâ Alexandro famulantibus factum vt vinceret; suæ tamen ipse victoriæ gloriam non è profligato Regno, sed è magnitudine superatâ discriminis metiebatur, nam vt Curtius scribit, *simplicius famam æstimabat in hoste, quàm in Ciue; quippe à suis credebat magnitudinem suam destrui posse, eandem clariorem fore, quò maiores fuissent quos ipse vicisset.*

Psal. 48. 13.

D. Ambr. l. 10. in Luc. 2.

C

D. Gregor. Nazian. de laudib. Basil.

D

Q. Curt. l. 8

Habent à magno Alexandro quod addiscant Episcopi, generosè pugnandum nobis in asperos & agrestes homines est, & patientiæ armis Christi iugo populi ceruicosi cicurandi; his clari victorijs, magnificentissimis triumphis in cælesti

capi-

capitolio celebrabimur; nec enim aliâ de causâ tot nobis certamina & pericula A Deus obijcit, quàm ad nostram patientiam illustrandam, & pretiosissimas nostris frontibus coronas innectendas; Paulus hoc indicauit, & clariùs Paulinus expressit. *Magister gentium Apostolus ait arcano diuinæ pietatis consilio, & magno humanæ salutis emolumento, opponi quosdam obices cursibus nostris, vt morbos, damna, discrimina, quia tribulatio patientiæ robur operatur & patientia gloriæ præmium confert; quod certè virtus capere nisi victrix non potest: non habitura victoriæ facultatem nisi cum aliquâ prius difficultate certauerit.* Rom. 5. 3. D. Paulin. epist. 35.

Præter quàm quod nihil validius & potentius est, ad humanos animos subigendos, & quodam veluti incantamento nobis allieiendos, quàm si opportunâ patientia vtaris, adeò vt venerationem pariat, contemptum expellat; quapropter, si pernecessariam hanc subditis esse ad subiectionis molestiam emolliendam ducebat Seneca, æquè arbitror necessariam superioribus esse, vt in suo regimine commendentur. Senec. l. 3. de Ira c. 16 & 17.

B Tùm verò excellentissimum suæ perfectionis apicem virtus hæc attingit, cum non agrestes & inurbanos tantùm mores, quos euitare nullatenus potest, æquo animo perfert, sed etiam cum pro ceruicosis, & proteruis subditis Samuelis patientiam egregiam imitata, enixè Deum supplex deprecatur. Tàm fœlici sapientiâ plurium interuallo annorum pijssimus ille Vates Hæbreum populum gubernauerat, vt auream ætatem in Palæstinam reduxerit; verùm insanâ is ambitione exæstuans Regum & Purpurarum, eò vecordiæ sua traxit impudentia, vt à regiminis folio eum excutiens, proprium sibi Regem postularet; Ad tàm luctuosum facinus quid facies Samuel? cum tàm proteruo & nefario populo quânam ratione te geres? eius perfidiam singulari patientiâ expugnabo. Indignatur in populorum Deus è Samuelis repulsâ, & ad extremum excidium iam preces agitur: ad Samuelem accedunt, vt iratum Deum suis precibus emolliat & pio veluti adacto fræno coërceat; quid ad hæc Samuel? eos erigit, recreat, solatur, & subdit. *Absit autem à me hoc peccatum in Dominum, vt cessem orare pro vobis.* O C magnanimum sanè virum, ô pergratum Deo spectaculum: quid igitur mirum si preciosissimi odoris instar Angelicis manibus fuerint Deo Samuelis preces oblatæ? quid mirum, si, vt Diuus Gregorius & Theodoretus expendunt, maximè illis oblectatus fuerit Deus? Benè est: vt excellentissima sit Episcoporum potentia, hanc Samuelis patientiam æmuletur. 1 Reg. 12. 23

De Oblocutionibus suo de regimine disseminatis patientèr ab Episcopo perferendis. Cap. XXXIX.

SATIS iam in primâ huius operis parte, explicauimus quod qui Episcopalium infularum ambitione tenebatur, alienis se obtrectationibus obijciebat, tùm quia fieri nullatenus potest, vt omnium voluntati penitus indulgeamus, D tùm etiam quia insitum hoc subditorum animis est, vt Præsulum opera licet commendanda lacerent & castigent.

Quî sanè fieri possit, vt mordaces sermones Præsul euitet, si omnium oculis sua opera vsurpentur, eorum verba innumeris auribus excipiantur, & iuxtà diuersam audientium habitudinem intelligantur? displicet vni quod placet alteri; quòd hic commendandum prædicat, damnandum ille arbitratur, eodemque tempore, quo rigidus & seuerus Præsul audit, vt mollis & iners ab alijs accusatur: mortalium enim plerique, vt Romani Oratoris verbis vtar, *ex opinione multa, ex veritate pauca iudicant.* Quàpropter simulachris duobus exprimendis operam Policletus sculptor clarissimus dedit, quorum vnum iuxtà sculptoriæ disciplinæ præcepta, alterum ad vulgi opinionem elaboratum erat; huic ergo iuxtà varias loquentium sententias aliquid nunc detrahebat, nunc superaddebat, & vt Cic. pro Roscio.

satis omnibus faceret, identidem illud immutabat; absoluto tandem opere spectandum omnibus palam fecit; & vt eximiè commendari illud agnosceret, quod ad magisterium artis effinxerat, & summâ fœditate damnari aliud, egregiè respondisse fertur, *At hoc quod vituperatis à vestrâ arte profectum est, quod verè laudatis, ego meo ingenio feci.* Quicumque igitur, vt ad rem nostram Policleti facinus accommodetur, Præsulis opera attemperare suæ cupiditati optat, eaque ad suum arbitrium moderari, & consequenter desipit & insanit, qui omnibus placere in suo regimine meditatur. His sanè desiderijs Sophocles non adhæsit, si namque, sic ipse ratiocinabatur, nunc pluuius, nunc serenus Iuppiter omnium vota explere non potest, adeò vt eum laudantibus alijs, de eo alij conquerantur; quonam consilio me imperaturum sperauerim, vt mortalis homo cum sim, Ioui ipsi antecellam? quàm autem dissonum & planè monstrosum regimen esset, si ad singulorum ingenium flecteretur? Perrara ergò patientia sit oportet; quâ martyrium istud Episcopus patiatur: dare placet verba Chrysostomi. *Est enim Prælatus linguis innumeris propositus ad lacerandum: alius culpat, alius laudat, & alius detrahit, alius compositionem in ius trahit: magnaque illi constantiâ ad ista toleranda opus est.* Diuus verò Augustinus vt ostendat calamitatem hanc ab Episcopali sacerdotio seiungi nunquam posse, ait adhortationes & monita, quibus improbos Episcopi erudiunt, eorum obtrectationibus compensari, eorum mentem in malam semper partem aduocari, vt mala, bona opera prædicari; adhęc omnia emollienda & minuenda vnica patientia postulatur. Sanctissimus idem Antistes de se ipso non sine aliquâ tristitiâ fatetur, quòd cum ad dirimendas lites suum ferret suffragium, si propitium hoc diuiti esset, insultabat protinus pauper, ac si muneribus corruptus iustitiæ ordinem inuertisset, & Magnatum potentiæ contra omne fas indulsisset; si verò pauperi adiudicasset, diues illicò assurgebat, qui eum morderet, ac si vt Pauperum Protectoris sibi famam aucuparet, & populari beneuolentiâ potiretur, æquitatem contempsisset: rursus alibi narrat, quòd flagitiosi viri Episcoporum opera mensurâ suâ metientes, eorum ambitionem, auaritiam, pompam exaggerant, & quod de se ipso disseminabant, quòd ad laudes & plausus sibi conciliandos tàm frequentes conciones haberet, & hac solùm cogitatione facinora sua diligere. *At quando potero eis ostendere intentionem meam? quomodo illi scient, quod vix ego scio? nec enim ego me ipsum iudico.*

D. Chrys. ho. 5. in ad Timot.

D. Aug. in psal. 118.

D. August. super ps. 15.

D. August in psal. 141.

A — B — C

Alia hic nobis referatur Præsulum calamitas, quòd scilicet indoctissimi & prauissimi omnium non rarò ipsamet pijssima opera iàm liuido oculo inspectant & contemplantur, vt nunquam desistant, nisi maculas aliquas in eis inueniant, quas arrogantissimè damnent & carpant, Diuinamque ipsam facultatem inuadentes, mentis ipsius adyta inuestigent & scrutentur, vt eam ad difformes suos scelestosque mores interpretentur & accommodent. Hoc sanè modo nefarius Petilianus ea fulmina excutiens, quibus eum eiusdem Augustini sapientia confodit; mendacissimè pronunciabat, Augustinum exteriori licet specie à suâ doctrinâ dissentiret, Manichæum tamen animo esse; illi tamen ipse respondit, nihil clariùs animum suum patere, quàm sibi.

D. August. l. 3. contra litteras Petil. c. 10. n. 7.

Si Præfecturas igitur optaueris, fieri nunquam potest vt aliena simul odia non offendas, ipsâ enim Dei lege statui videtur, vt spinis hisce hæc summa potentia inuoluatur; quàm sapienter apud Senecam in Thebaide Iocasta hoc idem Polinici significauit. D

Senec. in Theabaid.

Regnare non vult, esse qui inuisus timet;
Simul ista mundi conditor posuit Deus,
Odium, atque Regnum.

Quàm ergò singularis & egregia patientia Episcopi sit oportet, cùm in ipsamet pia opera omnibus cæteroquin commendanda improborum sermones assurgant, vt ea mordeant, & mentem ipsam aggrediuntur vt damnent? ad hæc autem non modo irasci eis vllatenus possunt, sed ipsamet amare fulmina, quibus feriuntur, debent, virgam eos percutientem osculari tenentur, eosque ipsos fouere, quorum linguis fodiuntur, & sermonum laqueis iugulantur. *O quàm forti patientiæ scuto, quantâ animi constantiâ simul, & benignitate pollere debet Pastor, qui iugiter*

D. Chrys. ho. 14. in 1. Timot. 5.

A *giter atque multipliciter linguis hominum vexatur, importunitatibus exponitur: ad quos cum se habeat, vt signum ad sagittas, viscera tamen, ac sinum matris debet illis & ostendere & expandere.* Sic Chrysostomus. e. qualiter. 24. de accus

Quòd autem in vnius Episcopi nomen, & famam cunctorum sermones & verba colliment, ipsemet Innocentius Tertius in OEcumenicâ Synodo coram se coactâ explicauit, ipsique Tridentini Concilij Patres validè confirmant, sed præ omnibus ipsâ met experientiâ frequentissimè docemur, his omnibus philosophia ipsa consentit; cum enim in plerisque hominum vis rationis elangueat, & intellectus imperium appetitus ipse sibi vsurpet, qui non rarò, vt Alexander Alensis docet, rationem vitiat, ipsum bonum vt malum recipit, in eos necesse quodammodo est, vt odio & verborum acerbitate feratur, quorum pietate fit, vt à voluptuosis hisce cupiditatibus, nullàque lege coërcitis moribus vertantur, quâ in re potissimùm versatur munus Episcopi. Conc. Trid sess. 3 c. 6. de reform. Alex. de Alens. Metaph. D. Thom. l. 5. de anim. Leo lect. 5.

Specula sic frangit simia, quibus ei sua deformitas obiectatur; sic ægris infirmisque luminibus permolesta lux est; sic clarissimum Cæli iubar noctuæ & vespertiliones abhorrent, *nam*, vt ait Seneca, *& solem lumina ægra formidant, & auersantur diem splendidum nocturna animalia*, Sic nonnulli AEthiopiæ populi, quos Athlanticos vocant, Solem ipsum maledictis & diris incessunt, eò quòd proximè diffusis radijs, eos suosque agros aduraт, Solino & Herdoto referentibus, *Solem orientem, vt exitialem ipsis agrisque, dirâ imprecatione contuentur*. Quid igitur mirum, si Episcopi, quos mundi Soles Christus Dominus appellauit, *vos estis lux mundi*, dum in flagitiosos viros vim suę lucis, tùm statutis legibus, tùm pietatis exemplis intorquent, eorum sermonum sagittis feriantur, eorum odijs appetantur? ad hæc autem retundenda, quis validior clypeus dari queat, quàm patientia? B Senec. de vit. beata c. 21. Solin. Herodot.

Crucem igitur nostram vel patienter vel impatienter geramus oportet, vel coronandi, vel cruciandi, vel Cælo plaudente, vel arguente, & conscientiâ vel placidâ, vel perturbatâ; illud ex Tertulliano nobis adnæctat. *In omnibus patiens ero, alioquin cruciabor impatientiâ meâ*. C Tertull. de patien. c. 8.

De ipsis obtrectatoribus & eorum perfidiâ triumphum ducemus, si dicteria & scommata patienter sustulerimus; si verò irascemur, ipsa nos impatientiâ catnifice cruciabimur, eiusque vt triumphante rapiemur: sapientissimè igitur nos idem Africanus docet, *fatigatur aliena improbitas patientiâ tuâ*.

§ I.

Licet autem humanæ imbecillitati eique cupiditati, qua nostrum honorem, gloriamque diligimus, arduum satis hoc sit, plura tamen occurrunt, quibus eam difficultatem emollire possimus. Ex his primum sibi locum vindicat, quod Tito Cretensi Antistiti Diuus Paulus indicauit. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in grauitate, verbum sanum, irreprehensibile: vt is qui ex aduerso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*: non enim rarò contingit, vt vitio nostro aliorum obtrectatio sit tribuenda, vel quia nos ipsi morosi & asperi simus, nec facilè ad nostrum alloquium eos excipiamus, vel quia imprudenter cum eis agimus, vel ex ingenij dissonantiâ, vel è negotiorum morositate, vel ex ipsa nostræ vitæ deformitate, quâ populis offensionem præbemus, meritò eorum mordacitate carpimur, & procliues cæteroquin ad dicteria sermones nos ipsi irritamus. Die suæ inaugurationis anniuersariâ ad Carthaginensem populum verba faciens D. Augustinus, ad suos sibi adstantes conuersus, plures inter eos creditores, plures debitores eosagnouit; debitores ipse appellauit, quibus odio habebatur, eò quòd deperditos & profligatos eorū mores dissimulare non posset; creditores autem rursus eos ipse vocat, quos leui aliquâ de causâ, vel re vel verbis offendisset, & quamuis ipsemet tanti Magistri sermo materiæ, quam versamus, egregiè accomodetur, eius partem insinuare hic placet, licet aliquantulò prolixior videatur. *Die ergò isto solemni Episcopatus mei, prius* D D. August. hom. 24. ex tom. 10.

paucis

paruls alloquar debitores meos, qui mihi nescientes apud Deum suffragantur, dum faciunt debita, quæ dimittam, vt & mea mihi debita dimitti promerear. Vobis dico siue præsentibus, siue absentibus, quibus inimicus effi tor verum prædicans, quibus consulendo videor onerosus, quorum requirens vtilitatem, cogor offendere voluntatem, &c. Tu inimicus es medico, ego morbo; tu diligentiæ meæ, ego pestilentiæ tuæ &c. A

Ad creditores suos inde conuersus hæc habet; *Neque enim sic tumore vanæ mentis extollor, vt audeam dicere, ex quo huius muneris sarcinas porto, nullum à me hominem perperam læsum: hoc cuilibet homini tàm multis & molestis actibus occupato, atque detento, ne dicam impossibile, certè difficile est; quantò magis mihi, qui noui infirmitatem meam, quam cum meis, & pro me vestris orationibus diebus ac noctibus offero sanandam Domino Deò meo? Diuersarum ergo curarum æstibus, ac difficultatibus conturbatus, si quem fortè non vt poscebat audiui, si quem tristiùs quàm opus erat aspexi, si in quem verbum duriùs, quàm oportebat, emisi, si quem corde conturbatum, & opis indigum, responsione incongruâ conturbaui; si quem pauperem mihi in aliud intento, importuniùs insistentem, vel prætermisi, vel distuli, vel etiam nutu aspero contristaui;* B *si cui de me falsi aliquid, tanquam homini de homine suspicanti, tusto acerbiùs indignatus sum; si quis in suâ conscientiâ non agnouit, quod de illo humanitùs suspicatus sum, vos quibus pro his, atque huiusmodi offensis me fateor debitorem, simul me vestrum credite debitorem &c.*

Si ergò de iàm exiguis & leuibus noxis pijssimus dolet Antistes, quòd ijs obtrectationum materiem subministrare alijs potuerit, quid de eo dicendum esset, qui vel fastu prætumidus, vel auaritiâ teeax, vel ad lubrica pronus, vel otio, ludis, inertiæ deditus populorum linguas acueret, eorumque dicteria excitaret? studiosissimè igitur opera nobis danda est, vt quamcunque nos carpendi occasionem populis subtrahamus, iuxta illud Diui Hieronymi; *frustra irascimur obtrectationibus nostris, si eis obtrectandi materiam ministramus;* ne quidem ex imprudentiâ fas est, vt aberremus: vel ipsa indifferentia opera, quæ Momi alicuius mordacitati subiacere possint, effugiamus oportet; pleraque enim, si priuato à viro patrentur, laudantur, quæ tamen in Episcopo, damnantur: tantâ subditi carpendi prurigine laborant, optimè igitur Diuus Chrysostomus. *Episcopus autem non potest peccare clam: benè enim cum illo agitur, si non peccans liber esse possit à criminationibus, tantùm abest, vt peccans id possit:* sed de his legenda, quæ in priori parte fusiùs explicaui. C

D. Hieron. epist. 4.

Sup. p. 1. c. 16.

Illud cauendum in primis est, quòd nostra nos innocentia tueatur: nullius enim momenti est, vt ait Diuus Gregorius, eximè nos humano ore commendari, si conscientiæ voce damnemur; ex aduerso autem de aliorum obtrectationibus tristandum nobis haud est, si nostra nos conscientia suffragij sui integritate commendat: *gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ*, sic Apostolus. Effutiant quidquid velint inuidi blaterones; loquacitate suâ puluerem quidem attollent ad oculos nostros obscurandos, non sordidandos; famam quidem violare possunt, maculare conscientiam non possunt, oblatrare eis datur, non mordere. *Possunt facere malam famam; sed non interficere conscientiam*, sic magnus olim Hyerarcha; sed quod ingentis nobis debet esse solatij, illud est, quod nostræ conscientiæ suffragium ipsius Dei suffragio confirmatur: sanè hæc mente suâ recogitans magnus quidam vir cælesti quodam solatio inter tristissima, quibus homo quasi va eat infortunia, perfundebatur. *Ecce enim in Cælo testis meus & conscius meus in excelsis;* quæ explicans Diuus Gregorius ait; *si ergo nobis est testis in Cælo, testis in corde, dimitte stultos foris loqui quod volunt.* Si congestis vaporibus grauis nubes in tonitrum erumpit, metum quidem aliquem affert; qui tamen cum ipso tonitru euanescit; verùm si eum tonitru fulmen irruperit, ipsa etiam prædura montium culmina quatientur. Si ex alienis prauis affectionibus, velut è nubibus obtrectationes in nos pariuntur, nobis perniciosæ nullatenus erunt, si verò ea operantes, quæ vel imprudentiæ notâ maculantur, vel suspicionem aliquam prauitatis ingerere possunt, vapores alijs subministramus, quibus maledicentiæ fulmen componant, cauendum valdè nobis erit, ne eo nostra fama feriatur & cinerescat. Hinc Diuus Augustinus ad suos asseclas scribens, quibus permole- D

D Greg. l. 7 epist. 45. 2. Corint. 1. 12

Iob. 26. 10. D. Greg. l. 8 epist. 45.

D. August. epist. 136.

molestæ admodum erant oblocutiones aliquæ in aliquem ex eis disseminatæ, ad
A omnem metum deponendum eos hortatur, dummodo ea, quæ iactabantur, mendacia essent, & simul cauerent, ne vllam eis occasionem præberent.

Quapropter Diui Bonauenturæ sententiâ monemur, ne in eos irascamur, qui nos sermonum proteruiâ vexant; vel enim vera loquuntur, vel falsa; si vera, quid mirum, si ad ea aperienda expediti ipsi sint, ad quæ facienda paratissimi nos ipsi fuimus; si verò falsa, perniciosa nobis nullatenus erunt; quòd si iracundiæ stimulis ad ea vlciscenda succendamur, patientiæ virtute eos retundamus; quòd si ad vulnus sanandum cauterij molestia tolleratur, an non ad superbiæ tabificum tumorem deprimendum, aliena dicteria sufferre non liceat? D. Bonau. opusc. de retor.nouit.

§ II.

B SEcunda hic via nobis aperitur, qua æquo animo obtrectationes, quibus incessimur, sufferamus: ea autem est, vt eas tanquam nostræ conscientiæ medicamenta excipiamus, vt ad eum deprimendum fastum aptissima, quo plerumq; dignitates humanæ tumentes, tùm hominum odium in se obarmant; sic propè de se ipso Diuus Bernardus fatebatur, *Ego plagis conscientiæ meæ nullum iudico accommodatius medicamentum opprobrijs & contumelijs*; quantò magis nos, qui tám propensè ad superbiam insurgimus, medicamen hoc adhibere tenemur? vt suauissimum, quo præstant, liquorem emitant vuæ & oleæ, torcularis pondere comprimuntur; vt frumentum purgatissimum extrahatur, vexantur itaque immanissimo spicæ percutiuntur; vt igitur virtutum liquores pretiosos effundant Præsules, obtrectationibus premuntur; vt frumentum referant, quo cæli horrea impleantur, sermonum verbere quatiuntur; quid autem fęliciùs, quàm cum D. Ignatio Antiocheno Antistite pronunciate, *Frumentum Christi sum, bestiarum dentibus molar, vt panis mundus efficiar*: quid enim à bestijs viri mordaces discordante? D.Bernard Sur. in vit. S. Ignatij.
C fœlicitatem hanc caligans mundus ignorat: paradoxon est, quod è Cælo ad nos Christus inuexit. *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cælis.* Primis hæc Episcopis Christus ipse significauit; nobis etiam hæc ipse significat, qui ad suum gregem tuendum, ad euertenda, delendaque vitia, ad pietatem augendam, ad afflictos viros erigendos, ad Christianam Religionem amplificandam, ad ecclesiasticam potestatem fulciendam, populorum contumelijs, Principum odio, magnatum inuidiæ obiectamur. Vt igitur Christi legibus pareamus, non tristandum, sed gaudendum nobis est, eaque solùm tristitia in nobis sit, quæ ex obtrectatorum damno deriuetur. Matth.5.11

In Augustinum calami virus effudit Iulianus Pelagij nefarius sectator; in aquilam pugnam noctua instruxit, in solem se faeula accendit, & de hæreticorum more, impudentissima mendacia in Diui Augustini sanctitatem vbique spectatissimam, audacissimus effudit; quid ad hæc Augustinus, audi. *Non putes Iuliane, quod ego contemno contumelias tuas: non possum contemnere ea, quæ sunt mihi* D. August. ad Iul Pelag initio.
D *materia gaudij & tristitiæ: gaudij quidem, quia scriptum est, Beati estis cum dixerint omne malum aduersum vos &c. tristitia propter phranesim tuam, iuxta illud Apostoli, quis scandalizatur & ego non vror*; ad hæc verborum tela quis nebulonis illius angores, & animi cruciatus explicet? 2. Corint. 1.29.

Quæ verò gestientis animi lætitia ea sit, quam ex istis oblocutionibus haurire debemus, è Diuo Iacobo docemur, *omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis*, ac si diceret, eò maior futura lætitia est, quæ de possesso bono gaudet, quò maius ipsum bonum est; tàm ingens igitur, tàm opulentum bonum est, quod ex obtrectationibus in nos effusis eriuatur, vt illustri patientiæ magisterio omnia in se bona complecti videatur, adeó vt omne illud gaudium pijs viris afferat, quod vel voluptatibus, vel opibus, vel dignitatum excellentiâ valet alijs impertire; cum ergò summum bonum Christianis viris hæc Iac. 1. 2.

mole-

molestia sit, summum ipsis gaudium habendum de eâ est, *omne gaudium:* O è diuinitatis Cathedrâ sapientiam illapsam? Platonis Academia Aristotelis Gymnasium, Zenonis Stoa, Anaxagoras, Epicurus, sapientiam hanc ignorauit, derisit; non eam penitus ignorarunt Stoici, qui propterea timidam quandam patientiam affectantes, ampullatum illud effatum frequenter pronunciabant, teste Diuo Nazianzeno, *Vir bonus beatus est, etiamsi in Phalaridis tauro concrementur.* Quin Romanus Cato, vt legionum à se ductarum iacentes animos erigeret, & afflictas reficeret vires, ad serpentes, quibus agri scatebant perimendos, ad sitis ardorem quo laborabant superandum, eam sententiam à Lucano expressam effudit. A

D.Gregor. Naz. ep. 64 ad Philag.

Lucan.

Serpens, sitis, ardor, arena,
Dulcia virtuti, gaudet patientia duris.

Fucatum tamen erat hoc gaudium, commentitia erat hæc lætitia; patientiæ enim virtus sanctissima & cælestis inter Ethnicorum sordes & superstitionum mo nstra dedignata est immorati, sedemque suam habere: audi Tertullianum: *Christiana patientia calestis est & vera, gentium falsa & probrosa, quæ tanti boni nomen fœdis operationibus occupat: patientes riualium, & diuitum, & inuitatorum: impatientes solius Dei viuunt*: Tertulliano magistro discipulus Cyprianus consonet, *apud Gentiles tàm falsa est patientia quàm sapientia.* B

Tertull. l. de patient. l. 8.

D Cypr. l. de patient.

E Dei sinu virtutis huius venustatem Christus ipse perduxit, eamque suorum discipulorum animis, tùm exemplo, tùm verbo insinuauit; verùm hoc gaudium primis illis Episcopis ipse ostendit, vt tùm suos successores Episcopos, tùm Christianos omnes illius excellentiam edoceret: Hinc illa Apostolorum Principis verba, *communicantes Christi passionibus gaudete*: hine ea pariter Pauli, *Placeo mihi in infirmitatibus, & in contumelys, in necessitatibus, in persecutionibus, & in angustijs pro Christo.* Quam eandem in sententiam Apostoli omnes iuere, qui eodem è fonte cælestem hanc sapientiam auido ore potauerant.

1. Petr. 4. 13
2. Corint. 12. 10

An non gaudendum de his erit Episcopo, quibus ad suum ministerium titè explendum impellitur, & alexipharmacum ei exhibetur ad virus illud retundendum, quo tabifica aura fœlicitatis afflatur? quid aliud obtrectationes sunt, quàm flammæ, quibus nostræ virtutis aurum expurgatur & fulget? quàm lima, cuius vi rubiginis turpitudo eraditur? quàm scalprum, quo viarum asperitates æquantur? quàm cauterium, quo veneni malignitas coercetur? quàm sal, qui putredinem repellit? ex aduerso autem, vt superiùs scripsimus, virtutum omnium sobolem educant & fouent. C

Qua propter de Philippo Macedonum Rege Plutarchus testatur, eos, qui maledictis eum incessebant, summopere sibi dilectos, eò quod, vt eorum mendacia paterent, cogeretur virtutes omnes excolere.

Ipse hisce molestijs iuxtà Philonis Hebræi sententiam, lux ea nobis communicatur, quæ inter oculos & colores insinuatur: sicut enim, licet viuidâ & perspicaci oculorum acie quis excellat, plutesque præ se colores habuerit, si obscuro in loco fuerit, nihil perspiciet è lucis defectu, cuius vi colores eum videndi potentiâ coniunguntur; sic propè molestijs istis efficitur, vt humanus animus, qui obscuro in hoc corporis carcere detinetur, suo fini, scilicet Deo connectatur; ad quæ designanda, deperditam oculorum aciem piscis adhibito felle Tobias recipit; hùc referenda ea Gregorij verba videntur. *Afflictus animus fit Deo tantò proximus, quantò & à gratiâ humani fauoris alienus*: Huiusmodi autem obtrectationum virtute potissimùm fit, vt eximiè noster animus illustretur, Christique Diuinum exemplar perfectissimâ imagine repræsentet; de eo namque Apostolus. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudne absque peccato.* D

Plutarc. in Apoph Regum. Philo.

D.Gregor. l. 10. moral. c. 17
Hebr. 4. 15.

S. III.

A

§. III.

Tertia hinc ad idem confirmandum ratio emergit, quæ in eo versatur, quòd impiorum obtrectationibus & odijs, pios nos esse probatur: elegantissimis tantùm, & maximi odoris floribus cantharidæ mordacea & virulentæ delectantur; virtutis adeò proprium est, vt aduersitatibus oppugnetur, vt ne vnius quidem hostis, hoc est Caim potuerit aggressus eultare: quid ergo, vt ait D. Hieronymus, dicendum de eâ, nunc temporis est, cum totus fere orbis in eam exscindendam conspirat? obstrui venenatum blaterantium os posse quis credat, ne in egregios & venustissimos animos, læthiferum suum virus effundat? cuncta litterarum monumenta ex Hebraicis, Græcis, Latinis, sacris, prophanis authoribus eruantur & peruoluantur; hoc ex illis vsque ad nascentis vniuersi erepundijs addisces, virtutem semper à vitio oppugnari, nec alia frequentiora in eius vulnera tela adhibita, quàm loquacium virorum sermones, qui palmas, & laureas ei subministrarunt. Nihil adeò sanctum, quod sermonum suorum turpitudine nefarij viri non fœdent; aculeatis huiusmodi linguis quantùm, proh nefas, Apostoli, sacri Vates, viri omnium sanctissimi, quorum nomina veluti sydera Cælum ipsum illustrant, vexati! quid plura? Christus ipse Dominus sanctitatis author & fons inexhaustus an non detractionibus hisce aggressus semper & penè confossus fuit? quandoquidem, Ioanne de eo scribente, *murmur multum erat in turbâ de eo: quidam enim dicebant, quia bonus est, alij autem dicebant, non, sed seducit turbas*. Quæ ferè loquendi formâ inuadi Episcopi non rarò solent; duos enim in populos distinguente se populo, alio laudante alter damnat, hoc arguente alter commendat: iam do Augustinum hæc sapientissimè confirmantem: *Quicumque enicuerit in aliquâ gratiâ, alij dicunt bonus est, alij non, sed seducit turbas, quod autem dictum est de Deo, valet ad consolationem, de quocumque hoc dictum fuerit*. Si ergo tantoperè studebant, vt ipsammet inextinctam Diuinæ sanctitatis lucem obfuscarent, quantò faciliùs, vt tenuissimas nostrarum virtutum facea obtenebrent?

D. Hieron. ep. ad Virg. exulem.

B

Ioann. 7. 12

D. Aug ibi

C

Vehementi quin gaudio perfundi debemus è quodam ferè certamine, quo simul Cælum Erebusque co ntendunt; multis de rationibus in nos suorum administrorum linguas Dœmon exacuit; tùm scilicet, vt præcipites se ipsos in flagitia turpissima rapiant, vt enim aliàs è Diui Chrysostomi sententiâ diximus, si filius qui Patris famam detrahit, capitali supplicio damnatur, quantò flagitiosius eorum nomen erit, qui nomen Episcopi lacerant, quem parentibus ipsis nobis vtiliorem experimur? tùm etiam ad iracundiam suam effundendam, quâ flygius ille nebulo Deum ipsum insequitur, cui non ignorat tanto Præsules amori esse, quanto nobis ipsæmet oculorum pupillæ. *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei* Demùm quia Hyerarcharum opinione denigratâ facile est, vt impij viri in flagitio se confirment, nec è vitiorum cæno studeant emergere, dum eos vident vitiorum consortes habere, quos ad alios illustrandos in excelso suæ Ecclesiæ candelabro Deus collocauit, Satanas, ait Diuus Augustinus, *ideo de bonis mala spargit, vt infirmi non putent aliquos esse bonos, & tradant se rapiendos libidinibus, & dissipandos: dicentes apud se ipsos. Quis est qui fouet mandata Dei, aut quis est, qui seruet castitatem?*

D. Chrysost hom in illud salutare Pri. scillam post. hom. ep. ad Rom. Exod. 21. Zach. 1. 8.

D

D. August. serm 34. de temp.

Alterâ ex parte ad retundendam inferni Draconis audaciam sanctissimos viros excitat Deus, qui eò gloriosiùs Episcoporum nomen cōmendant, quò fœdiùs improborum ore damnatur, & ad eorum famam illustrandam vires omnes impendunt, licet tota vitiorum pertinacia reluctetur. Adeò verum est, sanctissimi eius Ascetæ acroama, quòd scilicet eos potissimâ curâ Deus patrocinetur, qui aliena dicteria patienter dissimulant.

Prat. spirit. c. 111.

Eum tamen hac in re docendâ Tertullianus præiuit, qui Deum describit se pro ijs constituentem debitorem, qui patienter contumelias & effusas detractiones perferunt, & damna omnia abundè compensantem, quæ ex illis possunt eri-

Tertull. de patient. c. 15

uari; do eius verba, *adeò satis idoneus patientiæ sequester Deus, si iniuriam deposueris penes eum, vltor est, si damnum restitutor est, si dolores, medicus, si mortem, suscitator est; quantùm patientiæ licet, vt Deum habeat debitorem;* quâ de ratione, vt Chrysostomus docet, multò excelsius patientiæ donum est, quo aduersitates Dei amore perlatas æquè percipimus, ac sit miraculorum ministerium; hoc enim Deum creditorem, illo debitorem habemus. *Pro Christo pati munus est maioris admirationis, quàm sit re verà mortuos suscitare, & signa miranda patrare. Nam illic quidem debitor sum, hic verò debitorem habeo Christum,* sic ille. A

D. Crysost. ho. 4. in ad Philip.

Quin, proh admirandam Numinis bonitatem! non raro permittit Deus, vt sanctissimi Antistes, quos vnanimi laudum suffragio probatissimi viri prosequuntur, improborum detractionibus vexentur, & ioculari sermone per plateas & triuia derideantur, vt eum tumorem, quem ex impertitis laudibus concipere possunt, superare facilius valeant: cùm enim pergrati Deo sint, mixto quodam artificio diuinæ prouidentiæ fit, vt simul & laudum stimulis virtutum incitentur ad cursum, & patientiæ simul holocausto suorum operum odor gratior ad Deum accedat; egregiè habes hæc apud Sacros Canones è Diuo Gregorio. *Sunt plurimi, qui vitam horum amplius, quàm debent, laudant: & ne qua elatio de laude subrepat, permittit omnipotens Deus, malos in obtrectationem, & obiurgationem prorumpere; vt si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur. Hinc est ergò, quòd Doctor gentium se in prædicatione currere testatur per infamiam, & bonam famam, qui etiam dicit, vt seductores, & veraces.* B

D. Gregor. l. 9. epist. 39 e. sunt 11. 46 q. 1.

Orbem hunc (ait apud Oratorem Romanum Theophrastus) magnificum theatrum appellaueris, in cuius areâ in aduersitates & alienos conatus committenda pugna hominibus est; pugnam autem è Cælo Deus ipse contemplatur, ad eos amplectendos & coronandos, qui strenuè fortiterque dimicarunt, & ad desides inertesque repellendos. Miserum me! mei ipsius pudet, cum è superstitionum adytis prodeuntem Epictetum audio. *Si quis nuntiauerit quendam tibi maledicere: ne refuta quæ dicta sunt: sed responde eum nescisse cætera tua uitia: nam alioqui non illa sola fuisse dicturum.* C

Cic. l. de Consol.

Epit. in Enchirid. c. 48.

Si ad hæc attingenda Aethnici peruenerunt, quantùm authorati Deo viri erubescere deberent, si conuicia detractoresque iniquo animo ferrent? an non fœdissimum esset, vt in hac generositate ostendendâ sacris viris Aethnici ipsi præstarent.

§. IV.

QVarta etiam hinc ratio eruitur, quâ ad dicaces viros, salacesque sermones placidè sufferendos, & magnanimè superandos edocemur: pluris enim facienda nobis est vnius tantùm Socratis laus, quàm vulgi totius approbatio, quæ frequentissimè reprobanda commendat & laudat; quàm iniusta popularis auræ sententia est, cùm plerumque vel suâ inconstantiâ feratur, vel ad alienam voluntatem eam attemperet.

Quando autem fortuitò Socratis nomen hic occurrit, modum ipse subministrat quo inter huiusmodi certamina victoriam assequamur; vt desides & fracti animi viros nos ipse increpat; eâ enim ratione nos docet, vt huiusmodi detractiones superemus, quâ facile admodum nobis esset pueriles vagitus superare. Socratis sententiam dabit Seneca. *Nihil magis, Socrates inquit, persuasi mihi, quàm ne ad opiniones vestras actum vita mea flecterem. Solita conferte vndique verba, non conuitiari vos putabo, sed vagire, velut infantes miserrimos.* De te subditi obloquuntur: Episcopos omnes hac in re socios habes: communis ista lues est: non ad rationem, sed ad libidinem verba sua componunt; pruriginì, qua vexantur, indulgent, suo de more cornicentur: ne tu puer videaris, pueriles eorum sermones aspernare; è Diui enim sententiâ Chrysostomi, si de eis conqueraris, si eis irascaris, pueros planè imitaris, qui aliena ludibtia flentes & tristes excipiunt. illud Apostoli accipe; *Nolite esse paruuli sensibus.* D

Senec. de beatâ vit. c. 26.

D Crisost. hom. 51. ad Pop.

Alci-

Alcibiades, quem vicibus suis tám variè fortuna vexauit, vt de eo Iustinus di-
A xerit, *Nunquam sine in offensam, siuè in fauorem mediocribus populi studijs vsus.* in Cor. 14
Dum Atheniensis Reipublicæ præesset, censorijs aliquorum sermonibus res suas Iustin.hist.
morderi audiens, ab inceptis operibus non desistens, placidumque animum
seruans, ingeniosissimum modum excogitauit, quo detractorum inuidos astus
eluderet; ingenti pretio canem ipse coëmerat, supra quàm dici possit venustis-
simum, eâque totâ elegantiâ instructum, quâ Apellis penicillus eum exornasset;
caudam igitur ei semel resecauit, secumque posteà caudâ resectâ ducebat; admi-
ratione familiares eius correpti percontati ab eo sunt, quidnam de caudæ abscis-
sione fuisset in causâ; vt scilicet, sic ipse respondit, de meo cane liberè loquen-
tes Athenienses à meâ carpendâ famâ desistant. *Loquantur de cane Alcibiadis, modo* Plutarc.
Alcibiadem desinant lacerare. Sed ad celsiora pergamus.

Argenteo cursu vehitur Luna, & inter effulgentes syderum acies Solis æmula
videtur, astrorumque regina; ad eius aspectum inclamant canes, & permolestis
latratibus, quantùm fas eis est, eam increpant, obiurgant, imprecantur, quid
B ad hæc luna? ne leuissimâ quidem semitâ à suo cursu deflectens clamores eos
deridet. Alciat. emblema 165.

Et peragit cursus Surda Diana suos.

Quantum Lunæ candoris sortitur Episcopus? is sanè est, quem ad huius sęculi
noctem irradiandam, tenebrasque vitiorum eliminandas cælestibus fulgoribus
redimitum in suæ Religionis Cælo Deus collocauit, *inter quos lucetis simul lumi-* Philip. 2. 5.
naria in mundo, sic Apostolus; suum igitur ministerij cursum placidus & hilaris
prosequatur, nihili prorsus clamores & latratus detractorum æstimans, qui egre- Plut. Menach.
giè canibus exprimuntur: quapropter fabulati veteres sunt, Hæcubam loquacis-
simam fœminam in canem fuisse conuersam, & eâdem è ratione canis nomine
Diogenes fuit appellatus; venustissimè Chrysostomus. *Resplende igitur fulgore* D. Chrysost.
vitæ, & maledicos omnes contemne. Si namque secùs egerit, ostendet, non se Cæli in 2. ad Co.
Zodiacum peragrare, sed humilia oberrare terrarum; nam, vt ait Diuus Gre-
C gorius: *Valdè miror cur vos, qui cor fixistis in Cælo, verba hominum agitent in* D.Greg.l.9 epist.39.
terrâ.

Canum latratus Leo magnanimus aspernatur; inanes eos clamores Rex ille
animantium despicit, nec fieri vnquam potest, vt eorum sonitu ab itinere in-
cæpto declinet; obtrectationes & nos Leonem imitati despicemur, ne nostram
denigremus dignitatem, nobisque ipsi iniuriosi sacerdotij decus obscuremus. Senec. de tranq. vit.
Ille magnus & nobilis est, qui more magnæ feræ latratum minutorum canum securus l.1.c.3.
exaudit.

Cùm ea Diuus Hieronymus perpenderet, quibus inuidiæ odijque flammâ suc-
censi nonnulli, sacros codices, quos improbo labore ex hebraico idiomate lati-
no sermone ipse donauerat, mordebant, & cynico dente lacerabant, coactus
non semel fuit ad ea Regij vatis pronuncianda. *Domine libera animam meam à la-* Psal. 110. 2.
bijs iniquis, & à linguâ dolosâ; calamum quin etiam fere deposuit, ac si demen-
tis esset, tanto se labore, ad aliena comparanda odia cruciare: Verùm eum enixè
tùm à Domnione, tùm à Rogatiano excitaretur ad Esdræ, & Neemiæ libros
transferendos, dicacitatem blateronum aspernatus indulgere eis voluit, eorumq;
D latratus deridens inceptum opus hilaritèr prosequutus absoluit. *Itaque licet hy-* D. Hieron.
dra sibilet, victorque si non incendit iactet: nunquam meum, iuuante Christo, silebit ep.128.l.1
eloquium: etiamsi præcisâ linguâ balbutiet: sic ipse.

Illud ex Bernardo Episcopi sciant, se populorum Medicos esse: quàpropter si
dementium ore interdum conuitijs & contumelijs afficiantur, ineptissima illa,
quæ effutiuntur, nihili prorsus æstimantes, ad dementiam superandam studium
omne conuertant; Curandum nobis hoc magis est, quòd, vt optimè Chryso-
stomus perpendit, si de obtrectationibus in nos effusis, vel sonorè conquerimur,
vel ardenter irascimur, eas veluti veras approbare videmur, cum è contra, si de-
spexerimus, innocentiam simul nostram ostendimus, & eorum vexamus inui-
diam, qui suis scommatis nos vexare contendebant.

Quin solatio nos ingenti perfundere deberent, improborum obtrectationes &

dicteria; tùm quià nos Dei seruos ostendunt, quo titulo nihil gloriosius, nihil grandius est, supraque ipsorum Regum Diademata nostras infulas infert; vt enim Apostolus ait, *si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem*; tùm A
Galat. 1.10 quia ad nostram famam obscurandam, & eneruandam imbecilles ipsi adeò sunt, vt potius effusâ loquacitate eam confirment, & illustrent; ideò namque nos ipsi sermonibus vexant, quia moribus nostris ipsi vexantur. *Peruersorum de-*
D Gregor. hom. 5. in Ezech. *rogatio vitæ nostræ approbatio est: quia tùm ostenditur aliquid iustitiæ nos habere, si illis displicere incipimus, qui non placent Deo.* Hæc Gregorius.

§. V.

Loquacium igitur hominum imprudentia, & impudentia inuicto animi robore superanda nobis est. Pium simul & benignum animum ergà eos exhibebimus, si iuxtà honesti leges, eos ad nos aduocemus, & de suo errore moneamus; hoc sanè consilio Palladium Presbyterum Diuus Gregorius instruxit; postquam enim ad detractiones contemnendas eum confirmasset, subdit, *Sunt tamen vocandi ipsi, tranquillè admonendi, eisque satisfieri modis omnibus debet, scientes, quid de eis veritas dicit, ne fortè scandalizemus eos*: quòd si postea satis sibi facere noluerint, àd Christi Seruatoris exemplum solatio recreari debemus: ipse etenim postquàm diù elaborasset, vt offensionem auerteret, quâ Pharisæi vexabantur, ex eo quòd suas sibi manus non abluerent antè mensam discipuli; immò perpendens, quòd nullatenus illi quiescentes, recenti suis è verbis offensione caperentur, ait *sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* B

D Gregor. cap. 45. Matt. 17. 26. Matt. 15. 14.

Licet igitur contemnenda nobis detractionum nequitia sit, nullaque ex eis animi acerbitas, & amaritudo capienda, nostraque debita sacerdotio vigilantia nullatenus minuenda, quin diligendæ nobis ipsæ sint, vt potè quæ ad excellentius virtutum studium Deique amorem nos adducant; adhuc tamen decet, vt perquàm diligenter curam omnem impendamus, vel ad eas euitandas, vel extinguendas, ne tetra aliqua nostro nomini nota inuratur, & apud infirmos animos nostri ministerij magnitudo vilescat; sanè vt Græcorum detractiones audierunt Apostoli, eò quòd Hebræis viduis suæ posthabentur, eas amouere sollicitè conati sunt, administros aliquos ad hoc potissimùm designantes. Hac certè admonitione Episcopos omnes vir maximus & spectatissimus totius Græciæ Antistes Chrysostomus informauit; postquàm enim eos adhortatus fuerit, vt à popularis auræ suffragio cauerent, & communis beneuolentiæ lenocinia reijcerent, subdit, *Quodnam igitur aliud contemnere illum conuenit? liuorem, atque inuidiam: intempestiuas autem insimulationes (quippè Antistitem necesse est absurdas etiam deuorare criminationes) neque præter modum vereri, ac reformidare, neque rursus leuiter despicere conuenit: sed te oportet, vt falsæ etiam existant, vt à plebeys & contemptis hominibus in te contorqueantur, contendere eas statim vt extinguas. Nulla enim res alia magis famam auget, vel bonam, vel malam, quàm vulgus incompositum; vt quod citra omnem delectum, ac iudicium, & audire, & eloqui cum assuefecerit, id omne quicquid occurrerit, temerè proloquatur, nullâ prorsus veritatis ratione habitâ. Quamobrem te non oportet vulgus ipsum contemnere, quin potius suspiciones prauas statim atque exortæ illæ fuerint intercidere. Blandè item appellare eos, qui te insimulauerint* &c. C D

Act. Ap. 6. D. Chrysost. de Sacer. l. 5

Hoc tamen sibi animo persuasum quisque habeat, nunquam scilicet aliorum os obstruendum, & balteronum sermones penitùs compescendos, licet omnes animi neruos ad hoc intenderit; si verò irascaris, deterius malum fit, & pernicioso remedio acriùs exasperatur: morbum ista non sanant, sed augent & succensos ignes non extinguunt, at amplificant; singulare medicamen patientia est: dictamum eam dixeris ad ea vulnera obduranda salutarem, quæ verborum detrahentium iacula inflixerunt. Quàm benè hac de re nos Dauid instruxit! contumeliosissimis sermonibus eius nomen semel subditus lacerabat; an fortè de illis magnanimus vir irasceretur? minimè verò: quin Abisai obiurgauit, eò quòd
2. Reg. 16.

eius

eius nebulonis proteruiam vellet vlcisci: stupore ad hæc correptus Diuus Bernardus in ista erumpit. *O verè homo secundum cor Dei, qui se vlciscenti potius, quàm exprobranti succensendum putauit.* Bernard. in cant. serm. 34.

A

Quid hic Dauidem profero; cum Nero idem naturæ monstrum, & feritatis archetypus verborum licentiam in eum grassantem, & famosos ipsos libellos in eum exaratos patientissimè perferebat, vt memorat Suetonius. Suetor. in Neron.

Coronidem capiti huic imponat pijssima simul, & sapientissima lex Theodosij Cæsaris Cæsareo quidem animo dignissima, eam accipe. *Si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacerandа, ac turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit, eum pœnæ nolumus subiacere, neque durum aliquid vel asperum volumus sustinere: quoniam si id ex leuitate processerit, contemnendum est, si ex insaniâ miseratione dignissimum est, si ab iniuriâ, remittendum.* l. vnic. c. si quis Imper. maledic.

Hoc sanè modo, qui nostri nominis iubar effusis maledictis obscurare contenderint, magis illud illustrabunt; in regno immortalitatis diademata nobis aurea component, eamque hîc nullatenùs nobis fœlicitatem eripient, quæ in conscientiæ tranquillitate, in securitate innocentiæ versatur & adolescit: è Diui enim Ambrosij sententiâ, *vitam beatam efficiunt tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ.* D. Abrof. l. 2. offic. c. 1.

B

Calumnias, odia, persecutiones patientèr ab Episcopo perferendas. Cap. XL.

C

SI grauissima, & peracerba ea Crux est, quam Episcoporum humeris populorum loquacitas imponit, multò ponderosior, & acerbior ea est, quam ijdem è calumnijs, & persecutionibus ingrati componunt, vt ipsis imponant, eiusque pondere eos excrucient. Qamobrem Philiscus apud Dionem Cassium, Ciceronem alloquens asserit, sibi prorsus obscurum esse, qui nam fieri possit, vt Præfecturam quis ambiat, breuisque Magistratus speciem affectet, quæ omnibus calumniari volentibus exposita est. Multò autem faciliùs calumniarum aculeis obiectantur Antistites, qui Rebbecæ instar duos sibi inuicem discordes populos eodem gremio fouent, adeò vt maternum viterum eorum vnus semper excruciet, & nisi vera habuerit, quibus ipsam pietatem laceret, vel ad suam effundendam inuidiam mendacia plurima coaceruet, vt eius probitatis opinionis robur eneruet: *inuidi dum bonum, quod vident accusare nequeunt, excæcati malitiâ, malum, quod non vident ad accusationem quærunt:* sic Gregorius. Dion. Cass. l. 38 D. Greg. 2. moral. c. 13.

Nihil validiùs extremâ hac ætate aggrediuntur hæretici, quàm Episcoporum thiaras; perquàm enim optimè eis compertum est, eorum famâ profligatâ Religionem ipsam Catholicam vilescere, eorumque obscuritatem in ipsam redundare. Calamitosissimum igitur opus est, vt eodem propè sermone in Antistites obarmentur Catholici, quò in eos instruuntur Hæretici, & cùm, vt potè eorum subditi, oues & filij tueri eorum famam deberent, factoque veluti clypeo peracuta eorum verba retundere, linguas potius suas & iacula exacuant, quibus eorum pietatem confodiunt, & hæreticorum mendacia confirmare videntur. Verùm, quod perniciosius est, eò latiùs ætate præteritâ se huiusmodi subditorum calumniæ porrigebant, & audaciùs loquacitatis licentia grassabatur, quò magis nullo fræno coërcita, nullo supplicio plectebatur, licet Episcoporum innocentia clarior in dies innotesceret, & palmaris mendacium virorum impudentia nosceretur; ex obscurâ igitur plebe, & abiectissimâ vulgi fæce probatissimorum hominum interdum fama, & opinio dependebat, eiusque arbitrio se ipsos expurgare cogebantur. Quàm molestum & penè intollerandum hoc esset, ex eo patet, quod de Athanasio Constantinopolitano Patriarchâ Gregoras refert; cum Gregoras 17. in theatr vit. hum. l. mihi 1780.

D

enim

enim hic calumniatores suos capitali pœnâ dignissimos carcere tantùm damnari videret, tantâ iracundiâ, æstuauit, vt nobilissimæ illius sedis infulas exuerit, quibus non tantùm nullam sibi venerationem addebat, sed impunitatis spe ad sui excidium alij excitabantur. Quid sanè ille fecisset, si nullo prorsus supplicio mulctati illi fuissent, vti non rarò contingit? A

Nullum acerbius vulnus honestis viris infligitur, quàm si bona eorum obscuretur opinio; maximum hoc est experimentum quo eorum patientia probetur.

Indomita ea sit virtus oportet, quæ calumniarum ictus retundat, & persecutionum tela repellat; iuxtà enim sapientissimi Regis mentem: *Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.* (Eccl. 7. 8.)

Vt se adulterorum scelere tanquam patrati adulterij ream damnari castissima Susanna cognouit, ad Cælum conuersâ lachrymarum voce suum commendauit Iudici Deo candorem, falsorumque testium improbitatem, ac si non tàm de corporis morte doleret, quàm de suæ innocentiæ famâ deperditâ. *Plorauit cum crimen obijceretur: plorauit cum sibi de pudicâ, & castâ adulteri indicium vendicarent; non mortem deplorans, sed castitatis calumniam:* sic Ambrosius. B (Dan. 13. — D. Ambr. lib. de fuga secul. c. vii.)

Quin Iob idem patientiæ exemplar, licet imperterrito animo, tùm suas, tùm filiorum opes excisas sustinuisset, post vulnera sanie taboque fluentia toto corpore sparsa, post consanguineorum risus, & coniugis probra, post omnia tela è Satanicâ pharetrâ euibrata, inuictè retusa, vix trium suorum amicorum ore audijt, eo se animo esse, vt suorum in pœnam scelerum, tàm fœdo supplicio Diuinâ vltione fuisse mulctatum, vt toto animo perturbatus, *maledixit diei suo, & locutus est, pereat dies, in quâ natus sum, & nox, in quâ dictum est, conceptus est homo &c.* (Iob. 3. 1.) Mirum enim vero? acerbiora ei suæ famæ vulnera erant, quàm corporis, earumque linguarum magis cruciabatur aculeis, quàm vermibus suos artus depascentibus: magis suum animum cruciabat opinio, quàm de suis occultis sceleribus habuissent populi, quàm calamitas illa tàm turpis, in cuius sordes stygio furore actus inciderat: sed accipe Chrysostomi verba. *Maximè verò lacerabat eum, non vis sanè malorum, sed quod tanquam in hominem impium & exlegem, tanquam in Dei hostem, & qui virtutem antea esset ementitus, calamitas illa incidisse videretur; nec ità de corporis lue, vt is de hominis existimatione laborabat; quia suis illis ærumnis plerosque offendi, id est scandalizari animaduertebat.* C (Chrysost. in curena in Iob. Pauli comiruli.)

Adhùc tamen acutiora sunt calumniarum spicula, eò quòd, licet è rei veritate repertâ vulnera inflicta obdurentur, adhuc tamen eorum cicatrix inhæret; satis hoc expendit nefarius ille calumniarum architectus, apud Plutarchum, *docens tamet si morsiculus consanaretur, tamen calumniæ cicatricem mansuram:* quamquam ille toto è Cælo aberraret, vt enucleatiùs ego in quodam é meis moralibus paradoxis ostendi, & hic non leuiter indicaui. (Plutarc. de adul. & amic. discr. Author. parad. 7. p. 1.)

§. I.

QVO tamen asperior, & molestior ista Crux est, eò etiam illustriorem Episcopi repræsentat dignitatem, & virtutis excellentiam, quam in eis requirunt; vt enim egregiè Bernardus scripsit, *bona facere, & mala pati, & sic perseuerare vsque ad mortem, vita Apostolorum est.* Horoscopus hic est, quo ad sacrarum sedium culmen ij aduocantur, qui à Deo eliguntur; onus quidem est, quod ab Antistitum ministerio seiungi nullatenus potest, sed eius maiestatem amplificat, sanctitatem illustrat: maius quid est, pro Diuino nomine persecutionem pati, quàm non Episcopales tantùm infulas, sed ipsummet Pontificium diadema præcingere: Quid inter vniuersi totius principatus illustrius, grandius, magnificentius excogitari potest, ipsique Diuinitati proximius, quàm Vaticana Pontificis maiestas? ad eius pedes Principum, Regum, Cæsarum diademata ipsa obsequentissimè prosternuntur; & tamen de exilio, quo Diuus Cornelius Pontifex fuerat affectus, scribens Diuus Cyprianus ait, hoc permissum Diuinâ sapientiâ fuis- D (D. Bernard. ser. de S. Petr. & Paulo. — D. Cypr.)

fuisse, *ut maior rediret*: Diuus verò Chrysostomus pretiosiores ducebat ipsas A Pauli catenas, quàm Apostolicum ipsum munus, quo Deus eum coronauerat. D.Chrysost. h.5. super. Iob.

Calumniæ omnes, probra, contumeliæ, tunc euanescent, cùm in suis explendis partibus languescet Episcopus, cùm ea deses omittet, quæ ad sui populi commodum præstare tenetur, cùm Diuinæ voluntati leges præhabebit humanas, cùm è vero Pastore in mercenarium desciscat; nec enim mentiri vllatenùs potest, qui ad Ephesinum Hyerarcham scribens ait, *Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patientur*. Persecutionis autem nomine labores omnes incommoda, calamitates angustias significari docet Chrysostomus; hæc autem licet omnibus etiam Christifidelibus accommodentur, potissimo tamen modo tribuenda Episcopis sunt, quos ad martyrium perferendum Deus accersit; *Et ideo nunquàm deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit obseruatio pietatis*, ait Diuus Leo: è contrario autem aliud Diuus Gregorius colligit: *Quâ in re ego fideliter dico; minus piè viuis, si minus persecutionem pertuleris*. 2.Tim.3.12 D.Chrysost. ibid. D.Leo serm. de quadrag. D.Greg. l.6 epist. 29.

B Ex incommodis & calumnijs, quas Vrbem Thessalonicensem ingrediens expertus Apostolus Paulus fuit, fructum præsagijt, quem è suorum laborum semine illo erat ex agro collecturus; assiduâ ferè patientiæ exercitatione luctatus ipse ibi est, cum Hebræis, cum Ethnicis, cum Philosophis, cum Magistratibus, cum Tyrannis, & innumeris vbique aduersitatum spinis circum obsessus, illud postea audacter pronunciare potuit: *Ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos; quia non inanis fuit*: non quidem inanis & infœcundus fuit; vnde tamen hæc tanta fœcunditas? audi, *sed ante passi, & contumelijs affecti*. Nullum vtilius & nobilius dari potest exordium, quàm ex aduersitatibus, quæ innocenter sufferantur: inanis labor suus fuisset Apostolo, nisi plenitudinem quandam è molestijs habuisset: sapienter hæc explicauit Diuus Gregorius: *Ecce dulcissime fili Prædicator Sanctus ingressum suum vacuum fuisse perhibuit, si contumelias non pertulisset, & tua charitas dicere bona vult; sed mala perpeti recusat; vnde necesse est, vt inter aduersa* C *se districtiùs accingat, vt desiderium ad amorem Dei, atque studium bonæ operationis ipsa plus aduersitas augeat*. 1.Tessal. 2. D.Greg.l.6 epist. 27.

Ex huiusmodi igitur molestijs & pugnis confirmandus Antistitis animus est, ad ministerium suum ritè peragendum, ad populorum mores componendos, ad vitiorum sordes expurgandas, quod idem duabus venustissimis comparationibus sanctus idem Pontifex confirmat: *Sic semina messium gelu cooperta fertiliùs germinant, sic ignis flatu premitur, vt crescat*.

Quod etiam idem Sabiniano Tudertino Antistiti significauit, asserens patientiæ vi quodcumque pondus leue fieri, quodcumque repagulum effringi, quamcumque violentiam superari. *Animos ergò tuos aduersitas non deijciat, sed accendat: audaciorem te in omnibus uigor sacerdotalis ostendat*.

Ad Regem Recharedum scribens idem Diuus Gregorius, his aduersitatibus affirmat, quibus piorum animus oppugnatur, & bona opera vel extinguuntur, vel tepescunt, virtutis robur exerceri: quid enim excelsius, quid sanctius, quàm vt è Græciæ regionibus in ferax Italiæ solum Paulus accedat Christi nomen explicaturus? nauis tamen, quâ Romam ipse vehebeatur, passa naufragium est, D stetit tamen inter procellas incolumis vir fortissimus, & inter maris discrimina Romam securus animo præferebat; aureum hic mihi occurrit Senecæ effatum ex eo deprompturn opusculo, quod de Prouidentiâ calamo ferè Christiano ad mortalium animos in aduersitatum violentiam roborandos, exarauit; homines igitur Deum alloquentem asserens, ait *Contemnite fortunam, nullum ei telum, quo feriret animum, dedi*: procellas quidem & turbines excitare potest Satanæ furor, & mundi ferocia; nullum tamen telum ei est, quo vulnerare nos possit, nostrasque animi vires exscindere; nobis tantùm volentibus tranquillitas nostra turbabitur. D.Gregor. l.7. epist. c. aduers.48.q Senec de Prouid c 6

Haud quidem inficias iuerim, permolesta nobis esse, & peracerba calumniarum vulnera, quibus appetimur; sed quando nulla ex ijs alia emergeret vtilitas, quàm vt inter earum flammas nostræ virtutis aurum expurgetur, expurgatumq; eluce-

elucescat, an non optanda nobis quæcumque persecutio, & quæque molestia A
D. Gregor. Nazianz de laudibus. blandissimo esset animo excipienda? *Malum illud quidem grauissimum, sed in quo patienter tolerando mira solet eminere uirtus iustorum*, sic ait Diuus Nazianzenus: quæ sanè ad Aquitaniæ Hyerarchas roborandos Diuus Bernardus attulit; *Virtus*
D. Bernar. epist. 126 *in pace acquiritur, in pressurâ probatur, in uictoriâ approbatur.*

Si ergò calumnijs, & odijs illustramur, quid ea damnamus tanquam nostræ famæ dehonestamenta? obscurari Sol nubibus nunquam potest; nec vnquam piorum Antistitum sanctitas ex impiorum nequitiâ denigratur.

Per summam despicientiam tunc sal calcatur, cum deperdito sapore eius virtus elanguit; quòd si vigeat & suam vim seruet, ipsas Principum mensas condit & ornat; Cùm igitur è Christi sententiâ sal Episcopi sint, calcari nunquam ipsi
Matth. 5. 13. valent: nisi cùm propriam virtutem obliti vitiorum rabe computruerint: his eos Diuus Augustinus adscribit, qui persecutionum metu à sui muneris sanctitate
D. August. l. 1. ser. Dom in mont. c. 6 tom. 4. deflectunt; *non itaque calcatur ab hominibus qui persecutionem patitur, sed qui persecutionem timendo infatuatur.* Hæc ipse. B

Fusiùs in his confirmandis immorari non placet, cùm iam prolixè in quodam
Par. 1. Parad. 7. è meis Paradoxis ostenderim, è compactis calumnijs lucidiori quodam ornamento nostram famam irradiari.

Addere tamen illud hic libet, quòd ij Antistites, qui ad Dei causam agendam, odijs afficiuntur, & conuicijs inuaduntur, non tantùm patientiæ fulgoribus apud homines magis elucescunt, sed quod caput est, in regno beatitatis immenso quodam thesauro ditescunt: Christum inter, & Apostolos, horumque successores
Matth. 5. 11 initus contractus hic est; Diuique Matthæi calamo subsignatus, *Beati estis cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduersus uos mentientes propter*
D. August. serm. 16. de temp. *me.* Deus immortalis, ait Diuus Augustinus, ad beatitudinem hanc attingendam, quot se cruciatibus dilaniandos obiecere, viri, pueri, puellæque blandissimæ? an enerues adeò & delicati nos erimus, vt ad calumniæ punctionem, ad molestiæ breuis aculeum, viam nos ab eius possessione deflectamùs? quâ fronte, C quo vultu sanctorum patriam ingredi contendemus, si sanctorum aculeatas, & cruentatas vias timido pede premere ignoramus? mendacia igitur ea sint, quæ in nos effunduntur, ex odio nostræ potestatis etiuentur; quid nam? non ea tantùm contemnamus, at hilari blandoque oculo excipiamus. Optimè Diuus Hiero-
D. Hier. in 5. Matth. nymus, *Illud maledictum contemnendum est quòd beatitudinem creat, quod falsò maledicentis ore profertur.*

Ne autem superiùs explicata argumenta hic iterùm repetam, aliud placet afferre sic expositum: fieri nullatenus potest, vt nullâ molestiâ vexatus, aduersitate nullâ aggressus Episcopalem Præfecturam quis administret; auream ætatem sortiti debebamus, vel innocentiæ sæculũ, quo populos gubernandos habere mus qui facili & hilari vultu iustitiæ rigorem domi suæ exciperent: ebullientis animi æstus compescere, prauas affectiones adimere, effrænes cupiditates obstringere, aliena crimina, tùm verbo, tùm virgâ mulctare, opus est non sine molestijs, & alienâ repugnantiâ exercendum: Huiusmodi ipsis aculeis breues ipsæ Præfecturæ cruciantur; Regia ipsa capita, ad quorum nutum non domus tantùm & vrbes sed populi prouinciæque pallescunt, an effugere hæc calumniarum iacula potuerunt? sanè ne ipsis Rex Cyrus perturbaretur, Antisthenes sic eum admonuit. D
Epit. l. 4. dist. c. 6. *Quid verò Antisthenes ait? an unquam audisti? Regium est, Cyre, cum rectè facias, malè audire*: quos Virga Episcopalis afflixit, ad effundendum dolorem, linguæ sceptrum exerunt, quo eorum dominium aliquatenus vlciscantur; ipsamet probatissima opera calumniarum illis materiam subministrant, virtutes in vitia deformant, crudelitate iustitiam, imprudentiâ zelum, pietatem ipsam falsâ pietatis specie personantes; *fieri non potest, ut qui uirtute excellunt, apud omnes benè*
D. Chrysost. ser. de calu. *audiant*, sic Chrysostomus. Præter quàm quòd cum subditis eæ rationes non innotescant, quibus acerba lex aliqua decernitur & indicitur, & cùm eorum Canonum ignari penitus sint, quorum vi ad statuendam euulgandamque Præsul obstringitur, ea tantùm considerantes, quæ primâ quidem specie damnati posse videntur, facilè fit, vt ea carpant & mordeant, quæ commendanda cæteroquin essent

essent & laudibus egregijs cumulanda; cum autem nulli fas sit, aliquem licet è
A vulgò abiectissimum damnare, quin priùs audiatur, hac calamitate Præsules, &
Præfecti vexantur, vt è iustitiæ amore quam tuentur, priusquàm suarum vi rationum expurgare se possint, arguuntur, & damnantur vt rei; hoc certè illud est, de quo Tertullianus olim conquerebatur. *Iustitia unum gessit interdum, ne ignorata damnetur: An hoc magis gloriabitur potestas, quo etiam inauditam damnabunt veritatem?* Vsitatissimum hoc mortalibus est, vt à vitio virtus damnetur, proteruiâ modestia opprimatur, excusentur, imò laudentur crimina, Præsulum prudentia & probitas oppugnetur. In castissimo adolescente Ioseph deperditâque Aegyptiâ fœminâ egregium de his exemplum Philo Hebræus refert. *Semper hoc mundanorum iudicium fuit semper inuersus hic eorum ordo: Ioseph castus vinculis illigatur, adultera mulier inter mariti amplexus deliciatur:* hoc tamen verbere præ alijs sacri Principes vapulant; ad quod significandum Diuino consilio factum est, vt in mundi ipsius infantiâ improborum hominum impugnationes prodirent in Abel
B innocentissimum, & in Iacob Labani Pastorem mitissimum, & optimum posteà adolescentem.

Tertull. c. 1 apolog.

Philo. l. quis sit mund. heres

In supremo primoque omnium Pontifice repræsentatum hoc apprimè fuit; è tantâ enim beneficiorum opulentiâ, qua populum Hebræum beneuolentiâ admirandâ ditauerat, quid aliud ab eo per summam improbitatem retulit, quàm furorem, odium, contumelias, crucem? adeò vt insanientes Iudæi ex ipso alexipharmaco, quod cælitùs cis Seruator optimus subministrabat, venenum immedicabile componerent, quo suo benefactori sæuissimam mortem essent illaturi; tàm obdurato & contumaci animo se obuelarunt, vt in eum nefariâ conspiratione irrumpentes, quem cuncta elementa obsequuntur, turpissimâ eum morte post sexcenta conuicia, impositasque calumnias affecerint; hæc ingeniosè explicans Diuus Augustinus ait, *pertulit omnes infirmos eorum; curauit omnes languidos eorum; prædicauit regnum cælorum; non tacuit vitia eorum, vt ipsa potiùs eis displicerent, non medicus, à quo sanabantur. His omnibus curationibus eius ingrati,*
C *tanquam multâ febre phrænetici, insanientes in medicum, qui venerat curare eos, excogitauerunt consilium perdendi eum.*

D August. super Ps. 89 5.

Quin Christus idem Dominus, vt frequentissima quâdam patientiæ palestrâ se exerceret, nosque suo exemplo ad eximiæ patientię robur ostendendum confirmaret, è tenui Apostolorum numero, teterrimum Sycophantam Iudam eligit, qui suæ mortis esset administer, suâque nefariâ proditione Apostolorum conuentum, primos scilicet omnes Episcopos, turbaret simul, & offenderet: *Vt Ecclesiæ suæ tolerandorum malorum præberet exemplum*, sic Augustinus: vt ad eorum odia & ingrati animi vitia, quos beneficijs, & amore obstrinximus perferenda nos ipsos exerceremus: *Christus voluit deseri, voluit prodi, voluit ab Apostolo suo tradi, vt tu à socio desertus, à socio proditus moderatè feras tuum errasse iudicium, perijsse beneficium.* Sic pariter Ambrosius,

D. August. l. 18. de ciuit c. 49.

Ambr. l. 5. in Luc c. 6.

Quapropter iisdem Apostolis, eorumque successoribus apertè significauit, impressa sibi vestigia premenda ipsis pariter esse, eosdemque furoris & odij fructus è populorum nequitiâ colligendos. Quod si adeò structis ille calumnijs assueuerat, vt ab ipsis obsessis stygios spiritus expellens veneficus appellaretur, Dæmo-
D num socius, & Belzebub amicus, & cum Deus esset, Dæmon vocaretur; an non decet, quòd ad huiusmodi patientiæ munera suos etiam aduocet administros? Hinc, cùm eos ad suam disseminandam Religionem expediret, certiores fecit de fortitudine in aduersitatum ingruentes acies ostendendâ. *Si Patrem familias Belzebub uocauerunt, quantò magis domesticos eius*, ad quæ verba magnus Galliarum Episcopus se suosque commilitones in pugnas & prælia instruens ait. *Omnia iniuriarum & contumeliarum genera nihil nos terreant: gloriæ potius loco amplectentes, si Domino nostro uel passionum conditionibus adæquemur.*

Matth. 10. 25.

D. Hilar. ibi c. 10.

Mundi odium in se ipso patientissimus Dominus consecrauit, & è calice Patientiæ, quem hilariter ipse potauerat, suis etiam propinauit Episcopis, vt meritum simul & munus eis impertiret. *Si mundus uos odit, scitote quia me priorem uobis odio habuit*; cùm enim mundani omnes non amari agnoscent à nobis, quæ

Io. 15. 18. Aristot.

ab ipsis amantur, imò potiùs euitari & repelli, an amare nos possint, & suum in nos odium refrænare? sicut enim, docente Aristotele, morum similitudo amorem A
D. August. in Io.15.16 parit, sic propè eorumdem dissimilitudine odium excitatur: *necesse enim est, ut oderit nos (mundus) quos cernit nolle quod diligit*: sic Augustinus.

In aduersitates tandem ipse nos earum exemplo obarmauit, quas vsque ad Ioann.15.20 tristissimum obitum fortissimè exantlauit: *si me persecuti sunt, & nos persequentur*; hoc autem tùm ad sui gloriam, tùm ad dedecus improbitatis ipse permittit, dum vnicuique innotescit, Christianam Religionem è Tyrannorum odio humanæque potentiæ certaminibus, quibus vndique fuit oppugnata, illustriorem simul, & pulchriorem euasisse; ex huiusmodi autem insectationibus quantùm nobis vtilitatis, quantùm gloriæ eriuatur! Infernas simul vires profligamus, quibus populi excitantur ad munus Episcopale contemnendum, & sacras infulas conculcandas; hæc enim eis mens est, vt idolis nos similes, oculos haberemus & aures, nec tamen eorum vitia vel audiremus vel videremus, sed stupido, & inani regimine, eorum insolentiæ temeritatique vltrò indulgeremus; demum his maledictis vexantur Episcopi, vt à prauis Pastoribus probi distinguantur, quos æquè B commendant tùm piorum laudes, tùm contumeliæ improborum; iuxta mentem hæc sunt Diui Bernardi, qui ad Eugenium Pontificem scribens, nobilem virum D.Bernard epist.258. ipsi commendans ad Valentinas infulas induendas iam electum, hæc habet: *Nec potest bonus non esse qui bonis placet: nec minùs validum argumentum mihi videtur, quòd bonus sit, si malis è regione displiceat.*

E quibus etiam in nos magnum aliud commodum eriuatur: ex ipsis enim calumnijs iuuamur, & salus nostra confirmatur, eò quòd perdulcem laudum sonitum ab auribus nostris expellat; Periculosissimæ illæ sunt, & omnium validissimæ, quibus Dœmonum nequitia vtitur ad nostram pietatem euertendam; ex ipsis igitur serpentibus theriacam nobis cælestis medicus componit, vt venenum à nobis arceat, quo pulcherrimus & præstantissimus omnium cęlestium spirituum se infecit, & in terrestri Paradiso primus humani generis parens se suosque violauit; sanè viros sanctitate spectatissimos inter laudes & probra, inter calumnias C & plausus securâ quâdam viâ ad Cælum Deus adduxit; vt in proximo capite electis quibusdam exemplis confirmabitur.

§ II.

MOres igitur nostros tàm piè probatèque componamus, vt in eos effusæ calumniæ nullam audientium fidem mereantur, nulli occasionem vllam præbeamus, quâ nostrum nomen eis liceat obscurare, castam Iuditham imitati, de quâ sacri codices referunt, quod omnibus probaretur; *Nec erat qui lo-* Iudit. 8.8. *queretur de eà uerbum*. Quòd si Platonis sententia fuit, è philosophiæ studijs Plato l. de Repub. humanum animum adeò temperari, vt vel ipsi Momo nihil adsit, quod in ipso reprehendat & carpat, quantò magis de Christianæ virtutis excellentiâ dicendum hoc erit, & de Episcopali sanctitate? Haud tamen prohibemur, quin quandoque, cùm necessitas postulauerit, iubemur, vt nostram detegamus innocentiam, & falsò nobis imposita crimina discutiamus: licet enim in priuatis & Re- D S. Theresia camino di perfet c.15 ligiosis viris opus sit excusationem quancumque reijcere, vt Diua Theresia docet; si tamen vel ingens aliquod periculum immineret, vel magna ex eius calumniæ famâ pernicies oriretur, vel improborum hominum audacia ad fædiora patranda è nostro silentio inualesceret, iuxta ea, quæ docet D. Hieronymus, longè decentius est, disseminata mendacia reuelare.

D.Hieron. in c.2.Ezec Sales introdut.alla vit. deuot.par.3 c.3. Diui Gregorij authoritate suffultus hoc idem confirmat præstantissimus sæculi nostri Hyciarcha; populsandam enim vibratam calumniam docet, & innocentiæ luce alienæ nequitiæ tenebras dissipandas, vt tùm populorum opinioni, & simul veritati seruiamus: si autem post excusationem habitam recentibus adhùc calumnijs inuadatur, quiescere omninò debet, tranquilloque animo sufferendum: postquàm enim suum dederit veritati locum, suus etiam locus dandus

dus est humilitati: Sapientissimum consilium hoc est, dignumque satis, quod A exerceatur, D. Augustino præeunte, qui Secundinum Manichæum agnoscens in suis conuicijs & mendacijs disseminandis perdurantem; sic eum effatus est. *Senti de Augustino quidquid libet: sola me conscientia in oculis Dei, non accuset; maior nobis pretio Dei oculus futurus est, quàm totius mundi theatrum*; hoc enim non raró decipitur, & solùm apud homines, qui nullâ potestate in nos præstant, reos non pronunciat, cum conscientiæ nostræ vox maximū pondus habeat ad nos æternum vel coronandos, vel cruciandos; consilium ab hac tantùm Nazianzenus Gregorius capiebat, quem diù calumniarum vexauit improbitas; audi eius verba: *In omnibus rebus consiliary loco rationem, Deique iustificationes habeo; à quibus plerumque etiam nullo accusante, conuincor, & rursus condemnantibus multis, absoluor.* D. August. l. vnico ad Secundin. c. 2. Greg. Naz. orat. 17.

Cruciatorum proteruiâ suam conteri fœdarique famam Constantinus Mediolanensis Antistes conquerebatur; ad eum consolandum epistolam D. Gregorius scripsit, admonens eum, vt sui cordis adyta inuestigans expenderet, an aliB quid in eo reperiret, quo damnaretur; si enim nihil inueniret, aliena sunt nobis mendacia deridenda, & in illis fraus Dæmonis agnoscenda, qui molestijs huiusmodi nostrum animum perturbans ab illis amouere nos operibus conatur, quibus vel Dei gloriæ vel populorum vtilitati studemus. D. Gregor. l. 6. epist. 24

Quâ eâdem loquendi medicinâ vsus est ad vulnera curanda, quibus eàdem de causâ Palladius montis Synai Presbyter vexabatur, hæc demùm statuens: *Si ergò nobis est testis in Cælo, testis in corde, dimitte stultos foris loqui quid volunt.* D. Greg. epist. 45. l. 8

Verùm quando virtutis aculeo ad calumniarum contemptum non excitamur; humanâ ipsa ratione moueamur; facilè enim euanescunt, si ad eas vel cæcutias, vel obmutescas; quapropter Augusti prudentiam summè commendauit Augustus Antonij Epistolas dissimulans, Bruti salaces sermones, Bibaculi, & Catulli carmina conuicijs scatentia; ex his monitum omnibus salutare pronunciat. *Haud facilè dixerim moderatione magis an sapientiâ; tanquam spreta exolescunt; si irascare, agnita videntur.* Tacit. l. 4. Annal.

C Cælesti tamen magis ratione ducamur; satis enim certiores eâ reddimur, quòd si nostram innocentiam Deo defendendam commiserimus, securior ex eius patrocinio nostra fama est, quàm si pro eâ Romanis è rostris Tullij, è Græcis subsellijs Demosthenes resonarent: quàm benè lucem è tenebris eruere scit Deus & mendacium à veritate discernere; è Regio Psalte fidem de hoc habes: *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet*; quid igitur faciet? dabo: ex ipsarum nocte calumniarum tuæ famæ claritas illustrior emerget, & linguarum mordacium vi consternatâ tua innocentia, pietas tua per omnium ora triumphabit; cum ipsâ nequitiâ & improborum licentiâ, quâ calumnijs vexabaris, commendatus omnibus elucesces, *& educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem*: calumniator tuus ex aduerso, qui audacissimè eff ons de tuâ contumeliâ gestiebat, dehonoratus omnibus abiectissimè obruetur; *Humiliabit calumniatorem*, & eius instar, qui puluerem in sublime proijciens, eò potiùs in se reuoluto sordescit, infamiæ notâ inustus ludibrio omnibus erit; ipsis tenebris, quibus alios offuscare contendebat, se ipsum denigrabit; frequentisD sima enim experientiâ illud Cassiodori acroama probatur. *Authorem repetunt tenebræ, quæ ad inuoluendum iubar aptantur: nitorem syderum nox infusa non obruit.* Psal. 6. 5. Cassiod. l. 2 ep. 25.

Pondere, quo videtur opprimi palma, potius erigitur, eàdemque falculâ, quæ secatur vitis, augescit, & fœcundatur: ignis furore non absumitur aurum, at depuratur; hirudo dùm mordaci ore venas ægri cruentat, non ægrum necat at sanat; quæ famam videtur obscurare calumnia, illustrat & coronat. *Quin & sæpè conuiciator prodit gloriam, dum exercet inuidiam*, verba sunt Diui Cæsarij: Dei maximâ sapientiâ hoc fit, cui potissimum piorum omnium innocentia, sed præsertim Episcoporum, in quorum pietate tota Religio triumphat, defenditur, & vallatur. D. Cæsar. hom. 5.

Exemplis hoc idem confirmatur. A
Cap. XLI.

SPATIOSE nimis mea se oratio porrigeret, si sanctissimos eos Præsules omnes, qui de aduersitatibus inuictâ animi fortitudine triumpharunt, in aciem vel in pompam hic ego explicare contenderem; quià tamen validiùs nos exempla expugnant quàm verba, nonnulla educere molior, quæ clarissima veluti specula vexatis Episcopis eorum fortitudinem & gaudium repræsentent, vt eos inter aduersarum rerum flammas inspectantes, & imbecillitatem, quâ emolliuntur exuti, fortia facere & pati constanter addiscant, adeò enim necessarium hoc nobis est, vt de ijs, quos in sanctorum numerum recensere mens est, potissimo studio perquiratur, an fuerint aduersis agitati, & tempestate veluti quâdam fatigati. B

Machab. Oniam Sanctissimum Pontificem in veteri lege, in recenti autem Apostolos omnes prætereo, vnâ cum Athanasijs, Gregorijs, Chrysostomis, quorum certamina, quò validiora & dinturniora fuerunt; eò etiam clarius, & illustriùs eorum nomen effinxerunt, adeò vt nulla terrarum regiuncula sit, quam non eorum celeberrima fama peruaserit.

D. Gregor. Turon de gestis Franc l. 1. c & l. 10 c. 31. Baron ann. 232.

Trans Alpes gradiamur, & Turonensem Antistitem Britium primò inuisamus. Viginitrium annorum interuallo sacrum hic regimen fœlicissimè gesserat; sed è paterno ardore, quo potius sibi populorum amorem conciliaturus erat, eorum potius odium tàm infœliciter offendit, vt dicterijs, & conuicijs eius eleuare, & impurare famam omnes concorditer conarentur: inter alia, cùm fœmina quædam, eiius operâ ad abluendos pannos, Episcopi famuli vtebantur, pietatem, quam simulabat, filium flagitiosè conceptum pariens, inanem fucatamque fuisse indicaret, non defuere, qui ad Episcopi nomen denigrandum paratissimi, per C vrbis triuia disseminarent, Britij amore captam fœminam filium ex eo genuisse, vrbisque calamitatem deflerent, quæ Episcopum sortita fuisset, qui è Pastore migrasset in lupum: facilis ad hæc populus nullâ animaduersione habitâ, nec perpendens, quantùm ab Episcopi innocentiâ tot annorum spatio confirmatâ flagitium illud dissonaret, ac faciliùs scelus illud non Episcopo, sed eius aulicis tribuendum, populari ferociâ raptus in optimum pastorem violenter assurgit; nullam hic suæ suæ pietati fidem præberi cognoscens, ne proprium decus proderet, & publicam in lucem tàm fœdum crimen suoque populo perniciosissimum prodiret, tùm suâmet innocentiâ, tùm diuinâ fide suffultus, puellum illum triginta iam dies natum ad se iussit afferri, eumque sonorâ voce compellans ait; in Christi nomine te obtestor, vt omnibus euulges, an ego tuus Pater existam: ad hæc puer, nequaquàm omninò, respondit. Quis ad hæc licet præferoci animo obduratus suam duritiem non exuisset? quæ vnquam non fuerit emollita sæuities? quis vel Hyrcaniæ aut Scythiæ accola ad tanti Antistitis obsequium citissimus non occurrisset? verùm ille, eò quòd ne proximo perniciosus existeret, pati nunquam voluit, vt fornicarij viri nomen pueri ore enunciaretur, magicis viribus D illud tribuens, ferociori æstu commotus, vix se abstinuit, ne ad eum vrbe expellendum suam vim in eius personam inijceret, affirmans, non amplius tàm nefarium fædumque Antistitem præficiendum. Quapropter, vt insanienti populo satis aliquâtenus faceret, ardentibus prunis veste sua iniectis ad Diui Martini sepulchrum accessit, in quod eas inijciens absque eò quod ne leue quiddam prunarum indicium vestis seruaret, ait: *sicut istud vestimentum ab his ignibus videtur illæsum, ità & corpus meum à mulierum coitu est impollutum*: Ad duo hæc tàm insolita prodigia, quis credat, populi furor non resedit, sed eò vsque grassantis in morem velut Incendij se porrexit, quò tandem Turonensi è sede, Britius expulsus alteri locum dederit, & inde alteri, eùm breui tempore vterque defuerit; tandem Apostolicæ sedis imperio suam sedem repetijt Britius, eamque suomet

obitu

A obitu consecrauit. Perpendendum hîc illud est, tàm efferatâ persecutione dignissimum se Britium existimasse; eò quòd non rarò Diuum Martinum prædecessorem suum in miraculis patrandis delirare & insanire æstimaret, nullamque eis fidem adhiberet: Diuinâ igitur sapientiâ factum est, vt nulla etiam fides prodigijs suis præstaretur, eodemque contemptu, quo viuentem Martinum Episcopum ipse neglexerat, suis à populis Episcopus ipse haberetur.

Tàm audaci proteruiâ nobiles aliqui viri Iulianum Bostrensem Præsulem vexauerunt, vt ad eum omninò à se quacumque ratione amouendum, pecuniâ eius pincernam seduxerint, vt vnà cum vino venenum ei propinaret: Diuinitùs illustratus Antistes in calice latentes nouit insidias; vt igitur in mensâ collocaretur calix præcepit; tùm cunctis vrbis Magnatibus aduocatis, ijsque potissimùm, quorum insidijs appetebatur, nullius nomine pronunciato, placidè eos alloquens ait, *Si arbitramini humilem Iulianum ueneno occidere, ecce corám uobis pestiferum calicem bibo*, tùm salutari Crucis signo ter calici impertito ait; *In nomine Patris, B & Filij, & Spiritus Sancti bibo hunc calicem*. Ex eius integrâ potione, nullo in eum malo refluente, admirabundi omnes hæserunt, eiusque ad pedes insidiatores obuoluti, veniam, quam humillimè supplices petierant, impetrarunt. Prat. spirit. c.49.

De Narcisso Hyerosolimitano Præsule Eusebius, & Nicephorus memorant, quòd cum eius in vitijs castigandis ardorem ferre nequaquàm possent tres profligatæ famæ viri, eius castitatem insigni calumniâ inuaserunt; & ad populi fidem sibi extorquendam iuramento, & imprecatione adhibitâ eum fulciuerunt: impudentissimum mendacium vt Antistiti compertum fuit, ex vrbe discedens in eremum abscessit, suam innocentiam inter feras, quàm inter homines securiorem arbitratus. Verùm Deus, cuius patrocinium innocentibus deesse non potest, in eorum duos illam eandem pœnam immisit, quam sibi quisque fuerat in deiurio imprecatus; ad quæ tertius superstes publicâ confessione tùm Episcopi innocentiâ, tum suâ fraude omnibus patefactâ, de patrato flagitio supplicia grauia expleuit, locumque Narcisso dedit, vt de mendacio triumphato clarissimus Hyerosolimam reuerteretur. Eusebi. l.6. Hist.c.8.

C Rumelli Antistes (obscura hæc erat Vrbs Romæ proxima) suæ probitatis excellentiâ probatissimus, aliquorum odium euitare non valuit, quorum improbitatem eius sanctitas arguebat; sed cum nulla in pijssimo Antistite materies ad eius nomini detrahendum eis occurreret, per summam malitiam, in eum calumniam condiderunt, Diuo Agapito Pontifici significantes, eum sacro calice ad mensam vti: obstupuit ad hæc Pontifex, sibique ignoti Antistitis sacrilegium ad Balthasaris Regis imitationem patratum detestatus, Romam eum accersiuit, vt vinculis detineretur; Diuinâ operâ factum, vt eius innocentiâ detectâ, illustrior omnibus eius Sanctitas, vt aliàs retuli, redderetur. Prat. spiric. c. 150

Duas, quibus peracerbè vexatus ipse idem fuit, insectationes suo stylo Gregorius Turonensis expressit; eas in ipsum concitarunt Leudastres Præfectus, & Comes Turonensis, & Lithurgi aliqui audacter effrænes, & nequissimè vitiosi. Expostulatus primò ipse fuit, quod Turonensem vrbem in Childeberti Regis potestatem tradere moliretur, tùm quod de inhonesto commercio cum Bertrando Burdigalensi Antistite Reginam Fredegundam infamaret; militum igitur satellitio custodiendum eum Rex tradidit, donec futurum Concilium cogeretur. In hac 3. p. c. 1. Apud Baronium annal. 583.

D Ad tàm perturbatam rerum speciem tristissimo cordis angore Gregorius premebatur, & vt à sacris codicibus solatium aliquod hauriret, è cuius inexhaustâ penu affluenter in afflictos viros cælestes voluptates exuberant, eos semel aperienti, illud è Purpurato Psalte occurrit. *Et deduxit eos in spe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare*; quibus verbis singulari quadam delectatione perfusus animum recreauit. Coactâ igitur coram Rege Synodo, & Burdigalensis Hyerarchæ in Gregorium postulatione propositâ, nullatenus se ijs implicari criminibus constantissimè affirmauit; tùm Synodi authoritate diuinam rem ter peragens, & iusiurandi sacramento ad suam innocentiam comparandam adhibito, se penitiùs expurgauit, tùm eius calumniatores Synodi & Dei supplicijs cruciati, ea, quæ Regius Psaltes eis minabatur, experti fuerunt. Psal. 27.53.

Mete-

Baron. ann. 615. Metensis etiam Præsul Diuus Arnulphus, Galliarum lumen, & decus insularum, tanto pretio Regi Clothario, Reginæque habebatur, vt nihil prorsus eo inconsulto in tantâ rerum copiâ, & pondere, ageretur: quàpropter ad eum tùm diù, tùm noctu priuatim nunc Regina nunc Rex accedebant: hinc audacissimi nebulones ansam arripuere, quâ tùm Præsulis sanctitatem, tùm Reginæ castimoniam oppugnarent. Quadam igitur ex ijs tribus, quas Christiana Religio ad Dei auxilium implorandum pro agrorum prouentibus, & incolumitate populorum, solemnibus indictis supplicationibus dedicauit, fæmina quædam ingenti clamore edito, Dæmonem quo cruciabatur, ostendit; ad plurimorum preces eam aduocauit Arnulphus, & Dæmonem, quo obsidebatur, eiecit; ad hæc eius sanctitatem admirantibus cunctis, & commendantibus, Maddo quidam nefarius blaterator, eius castimoniæ candorem carpsit, eòque impudentiæ raptus fuit, vt cum ipsâ Reginâ se obscœnissimè commiscere affirmarit; impunè tamen hæc non abierunt: dum enim simul cum suæ iniquitatis socio somnum caperet, non vestibus tantùm, sed genitalibus ipsis adhæsit ignis, vt par esset pœna calumniæ: licet autem se eo supplicio liberaret, eodem tamen crimine se polluens, quo alios accusabat, in adulterij pœnam, fuit capite diminutus.

S. Hidelph. in catal. viror. Illustr. Baron. ann. 636. Toletanus Antistes Montanus, tùm conditione, tùm pietate spectatissimus, vt ex elogio patet, quod ad eius æternandum nomen Idelphonsus exarauit, fœdissimis calumnijs fuit appetitus, quibus vt se ipse purgaret, sacerdotalia ornamenta indutus, præferuidos carbones eis gestauit, donec Sacrosanctam hostiam Deo litaret: quo tanti temporis interuallo, nec aliquid vestes sui amisere decoris, nec de carbonum vi aliquid imminutum.

Sur. 9 Febr. Totus rei diuinæ amplificandæ elaborans Arisbertus Rhotomagensis Episcopus, improborum fraudibus Pipino Regi suspiciosus euasit, ac si alteri Principi suo æmulo adhærens, deturbare eum moliretur è Regno: in Ascæterium ergò legatus longè ab aulâ exul fuit; fortissimè hæc ipso perferente, adhùc alia sui aduersarij maiora conamina exerebant, vt grauioribus supplicijs mulctaretur; verùm post diuturna suæ patientiæ exercitamenta, Dei beneficio, vim tantam libellus supplex Pipino Regi oblatus obtinuit, vt reluctantibus æmulis suam repeteret sedem; inter gestientium gaudia populorum, hæc ex Antistitis ore Cælo gratissima vox erupit. *Gratias tibi bone Iesu, qui dirupisti vincula serui tui, & tribuisti verba placentia in conspectu Principis, & liberasti me de manu insurgentium contra me, & iniecisti mihi etiam in hac exily ærumnâ vincula amoris tui.*

Pari certamine Coloniensis Antistes Heribertus fortitudinem suam exercuit; flagitiosi enim aliqui viri, quò magis ab eius sanctitate morum dissonabant, eò magis insidijs & fraudibus eum inuadebant, adeò vt, licet, cùm diuina perageret, Moysis instar, vultu torus elucesceret, eorumque oculos præluminis erumpentis virtute retunderet, loco venerationis, quâ prodigiosam eius sanctitatem erant prosecuturi, odium iàm efferatum in eum concipiebant, vt insolentissimâ temeritate Dęmonem eum prædicarent. Adeò verum est Christi Domini effatum,
Matth. 10. 25 *si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius*: alia dein calumniarum genera implicantes, Henrico Imperatori suspicionem de eo iniecerunt, quâ factum est, vt in eum suam indignationem Cæsare effundente, peracerbas calamitates perpessus fuerit; verùm ipsomet Henrico ad eum acerbiùs cruciandum Coloniam accedente, Deus ille, cuius imperio arenarum imbecillitate pelagi ferocia, fluctuumque sæuientium licentia coërcetur, se in somnijs Henrico spectandum exhibens, eius furorem tranquillauit; ipsi namque significauit, è molestijs, quibus sibi fidum famulum Heribertum afflictasset, grauissima in ipsum supplicia cælitùs euoluenda.

Baron. ann 99 & seqq Longè grauior ea calumnia fuit, quâ Arnulphum Rhemensem Antistitem apud Hugonem Regem scelestissimi quidam infamarunt, quòd enim in Regem, & Regnum fœdâ conspiratione alios excitaret, eamque vrbem hostibus tradere moliretur eum accusarunt: quàpropter Episcoporum Regis votis indulgentium consensu prauè coacto, licet ad eum recusasset accedere, eò quod supremi Romani Hyerarchæ potestatem minores illi Præsules, sibi criminosè vsurparent, Rege impe-

A imperante, per vim raptus eò fuit, ibique Episcopalibus infulis spoliatus, sedem suam Heberto quidam nefario viro reliquit occupandam. Ioannis tandem Pontificis operâ post diuturnus cruciatus suam iterum sedem vindicauit.

§. I.

Illaudatam præterire non licet Italiam his egregiæ patientiæ exemplis potissimùm coruscantem. Potentissimi Præsulis aliorumque magno numero huic adhærentium nequitiam expertus satis fuit Venetiarum Patriarcha Laurentius Iustinianus: semel autem potissimû, vt eius famam obscuraret, ciuiumque odium in eum succenderet, vt nonn ullis propugnandi thesibus adessent, eos incitauit, quas ipse conscripserat, vt leges quasdam euerteret, quas ad sumptus immoderatos, & fœmineos ornatus refrænandos Sanctus Patriarcha sanciuerat; innotuere cuncta pijssimo Antisti, qui placido, quem præferebat vultu, eorum nomina, qui sibi tàm apertâ pugnâ aduersabantur, ignorare penitus volens, ad eius solatium, qui non sine ingenti animi perturbatione hæc illi narrauerat, hæc pronunciauit: ne turberis, ô fili; Deus enim viuus, cuius causa agitur, suum satis propugnabit honorem: dictis facta respondere: breui enim euenit, vt Præsul ille cum socijs aliorum scelerum rei in exilium amandarentur, alijque etiam ex illis capite plecterentur. Sur. in vit.

B

Nec tùm Diuini, tùm humani furoris fulmen alter euitauit, qui, cum diù frustraneo labore presbyterum defendisset, de plurimis sceleribus tandem à Beato Præsule castigatus, dum ille Pontificalibus indutus, sacrosanctam hostiam præmanibus habitam gestaret, in horrendas eas voces erupit, *En qui pro sancto colitur; ò insani, qui talem hominem adoratis*: hæc eo placidissimè audiente, senatus consilio statutum fuit, vt voces suas proteruus ille reprobaret, suâque sponte eiuratâ & damnatâ nequitiâ exul ablegatus turpissimè fuit. Sur. loco cit

C

Diuus Petrus Damianus, Purpuræ, infularum, & eremi decus illustrissimum, post administratam diù Præfecturam meæ huius sedis Eugubinæ, eo pretio à Leone Nono Pontifice habebatur, quod eius præclara in Christianam Rempublicam merita exigebant; quia autem ex Auellanâ Eremo, in quam à populi curis amotus abscesserat, in Dæmonem validissima suis epistolis iacula intorquebat, vt ab eius faucibus vitiosos viros eriperet, eius fraudibus factum est, vt deperditi aliqui viri mendacissimas, vt aulicorum mos est, in eum calumnias ordirentur quibus viri sanctissimi fama vilesceret, ipsique Pontifici opinione decresceret: breui quidem, at præpotenti, & viuidâ epistolâ Pontificem Asceta Purpuratus admonuit vt Dæmonis fraudes agnoscens ad eas cœcutiret; hoc enim ille studebat, vt suâ deperdita famâ Damianus Pontificem adire amplius non posset, eumque de morum corruptelis admonere, quibus Dei cultus fœdabatur, & populorum fœlicitas laborabat, vt cautè in fide blateronibus hisce adhibendâ procederet, eum exorabat, eorumque rationes exciperet, qui de aliquo argueterentur; hæc se ad eum scribere demum addit, eâ mente, vt si gloria id diuina, & populorum salus exposceret, sua ei beneuolentia redderetur; sin verò haud fuerit suæ saluti propitium, illato suæ iracundiæ supplicio vtique plecteretur. D.P Dam. l. 1. epist. 4.

D

Vetera hæc omittens recentiora prosequar, Nicolaum Albergatum Bononiensem Antistitem primò contemplatus: hic eò quòd summo Pontifici obsequium inter ciuiles seditiones præstaret; vnanimi ciuium voce tanquâ publicæ fælicitatis euersor audijt, mendax, fraudulentus, rebellis Papista, periurus, & patriæ hostis: è verbis inde ad opera: sicarios enim aliquos ad eum cruentâ morte tollendum expedierunt: verùm tantâ maiestate eius aspectum Deus obarmauit, vt exterriti illi nihil intentantes abscesserint: quàpropter ne Deum tentare videretur, alienis indumentis absconditus, ciuium furori locum dedit, eoque suam fortitudinem attemperauit. Manz. princ Princ. Eccl.

Hinc summoperè ipso reluctante, Vaticanâ Purpurâ donatus, cum Bononiensium

sium potestati oppida satis illustria tradere recusarit, recenti tumultu aggressus, có discriminis accessit, vt religiosâ fratrum Prædicatorum veste indutus è Palatio fugere coactus fuerit: quâpropter insaniens populus in suas ędes tumulentum furorem euoluit, audaciàque iàm proteruâ correptus fuit, vt eum Episcopali dignitate spoliauerit, & successorem ei statuerit. Tot tantisque molestiarum flammis eius aurea virtus exercita fuit, donec eius obitu imminente, tempestate sedatâ, nebulisque calumniarum fugatis, sui populi amorem lætissimus recuperauit. A

Manzin. l. 5 in fin.

Quid de Diuo Carolo nobis dicendum: ex ingenti vigilantiâ, qua ad suæ regimen Ecclesiæ, ad Cleri disciplinam obstringendam, ad mores populi comprimendos, ad sacram libertatem tuendam impauidus desudabat, quot ille insultibus, quot conuicijs, quot insectationibus fuit velut impetu quodam sæuissimæ tempestatis agitatus? cò vsque procella insanijt, vt ad eum interimendum scloporum displosione vterentur: hæc aliaque id genus sexcenta cuique adeò innotescunt, vt breuitati consulens ea vltrò prætercam.

Gard. in eius vit. l. 3 c. 15.

Quid pariter de recenti alio Galliarum Carolo nobis dicendum, hoc est Diuo Francisco Salesio Gebennensi Hyerarchâ? Crucis huius in partem accersitus & ipse fuit, ciusque pondere laborauit; mendacijs, calumnijs, famosis libellis aggressus, suæ patientiæ excellentiam clariori lumine patefecit, illud frequenter ipse pronuncians, pro Dei tantùm voluntate, sibi vitam, sibi famam amari; quancumque famam suâ semper virtute maiorem fore, se paratissimum esse, vt vel per infamiæ vel bonæ famę viâ ad Deum accederet, compertâ satis Deo esse eius famæ mensuram, quam suum ministerium ad populorũ vtilitatem exigebat: hæc aliaque effata sapientissimè fortissimis heroicæ patientiæ operibus Dux strenuissimus associabat, quibus & legendis & exercendis vacandum nobis est, vt potè quæ imitandum nobis eum exhibent, qui nostrâ hac ætate primæuum infularum decus & Episcoporum gloriam ferè dixerim exoleram instaurauit. B

Concionatoris publicam animaduersionem non tantùm æquo animo pertulit Cardinalis Ximenes, verùm eàdem ipsâ die conuiuam secum excepit: quò tamen illustrior tanti Purpurati æquanimitas fuit, eò damnabilior, & quouis supplicio dignior fuit Concionatoris illius audacia, qui tantam viri famam comprimendam & lacerandam populo imprudentissimus dedir. C

Raynaud. Hoploteca.

Alia calumniarum exempla, quibus viri sanctissimi suam patientiam ostenderunt, non operæ pretium est, vt hic ego coaceruem, cùm integrum ea volumen suppeditet, quod nuperrimè scriptor eruditus effudit.

Quis igitur imposterum doleat, quis conqueratur de plurium vel paucorum odio, quo decoquatur, dum hæc aliaque historiarum monumenta recogitans addiscet, ad calumniarum iacula euitanda, & persecutionum tempestates declinandas, inutiles in viris sanctissimis fuisse tùm morum candorem, tùm virtutum iubar, tùm prudentiæ excellentiam, tùm doctrinæ præstantiam? quin ad patientiæ exercitium quis animum suum non attollat, dum paratissimum Deum viderit ad Præsulum causam agendam, eorum triumphos de calumnijs, & aduersitatibus relatos colligendos, & augendos?

Sur. 1. Iulij.

Coronidem iam capiti huic appolueram, cum ad Præsules simul ac subditos erudiendos nefas duxi ea silentio prætermittere, quæ de Diuo Gallo Aluernorum Antistite referuntur. Hennodius in suo primario templo Canonicus nobilitate simul & potentiâ excellens Episcopum couiuio simul assidentem verbis iniuriosis & scommatis indecoris affecit; ad hæc nullum ipse præbens indignationis argumentum, ad Templa quædam inuisenda profectus est; quæ vbi Hennodio innotuerunt, ad meliora consilia animum reuocans suam proteruiam detestatus adeò est, & Præsulis benignitate tàm amanter captus, vt quantociùs ad eum se ferens in plateà eum ostenderit, vbi ad omnium aspectum supplex ad eius genua procumbens veniam obsequentissimus postulauit, illud etiam ab eo deprecatus, vt precibus suis Diuinam ab eo indignationem amoueret. Transfugam ouem amantissimus Pastor excipiens petitam veniam impertiuit, eum admonens, ne imposterum Dei administros Episcopos iniuriosè contemneret. Vaticinatus inde eis D

fuit,

fuit, nunquam sibi eas induendas infulas, quas in ipso dehonorauerat: verbis
A sua non defuit fides: nam ad cuiusdam vrbis Episcopatum electus Hennodius,
eiusque throno iam assidens, dum ad sui inaugurationem omnia præsto essent,
tumultuoso furore concitus populus adeò in eum exarsit, vt vix abreptâ fugâ se
seruauerit incolumem, & priuatam degerit vitam vaticinio Antistitis consonantẽ.

De residentià, ad quam tùm è præcepto, tùm ex officio tenetur Episcopus. Cap. XLII.

SI maximi ponderis ea sunt, de quibus hùc vsque sermonem habuimus, ma-
B ximi etiam momenti ea sunt, quę nobis agenda supersunt, cùm ad proprium
Episcopi ministerium eiusque leges referantur; inter hæc primum sibi omnium
locum vindicat Residentia, quâ si caruerit, cætera alia exercere non poterit. Qui
suâ ab Ecclesiâ abest Antistes, suam Diæcesim inuisere, Synodos cogere, aedi-
ficos erigere, corruptelas morum euertere, administros suos & Parochos in officio
continere, Cleri disciplinam componere, in Monialium custodiâ inuigilare,
gregem suum tùm pietatis, tùm doctrinæ pascuis enutrire prohibetur, eaque
omnia peragere, ad quæ verbis illis obstrinxit eum conditor Episcoporum,
Pasce oues meas, & rursus Christi eiusdem interpres, & Diuini Spiritus Præco Io. 21. 17.
Paulus eum excitauit, *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus san-*
ctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Quapro- Act. 20. 28.
pter licet in litterariâ palestrâ desudatum diù fuerit ad dignoscendum, an resi-
dentia sit *de iure Diuino*, an *de iure positiuo*; Canonum tamen, & sacræ Theo-
sebiæ magistri vnanimi suffragio primæ opinioni adhæserunt, vt pote quæ è sa- Plurimos congerunt
C cræ scripturæ visceribus eruta, & ex ipso fine, ad quem Episcopale munus Chri- Barbos de
stus instituit, firmior videatur: Vt enim hac de re agens docet Aquinas Magi- offic. epi. alleg. 3 n. 2.
ster, cùm in quâcumque lege eius finis inspectandus sit, & Theologorum vni- & Sanchez.
formis sententia sit, quod *finis imponit necessitatem ijs, quæ sunt ad finem*: *& eodem* in Decal. l.
iure, & præcepto, quo quis obligatur ad finem, obligatur ad medium, sine quo 4. c. 35 n. 25
talis finis non potest attingi; cum Diuini præcepti vi gregem suum custodire D Tho. 2. 2
& pascere personaliter teneatur, vti adnotarunt Caietanus, Couarruuias, Bel- q. 185. art. 5
larminus, alijque; hinc fit, vt eodem pariter præcepto ad personalem resi- Caiet. ibid.
dentiam obstringatur; sanè sic in posterùm Diuino spiritu illustrante, & Romanâ Couar. 3.
Sede approbante, Tridentina Synodus statuit. *Cum præcepto Diuino mandatum sit* var. c. 13. n. 9
omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium Bellarm. in adm. ad ne-
offerre, verbique Diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum po. contr. 2.
omnium operum exemplo pascere pauperum, aliarumque miserabilium personarum Conc. Trid. sess. 23. c. 1.
curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere. Vides hîc, quàm de ref.
extrà omnem dubij aleam præceptum Diuinum, & necessarium medium sit!
Quæ omnia nequaquam ab ijs præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non inuigi-
D *lant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt*. E quibus personalis resi-
dentiæ præceptum Episcopis omnibus adimplendum hortatur, & ipsismet sanctæ
Ecclesiæ Cardinalibus, qui eò quòd supremi Pontificis Consiliarij sint, exoluen-
di hoc vinculo videbantur, cum particularis Ecclesiæ cura orthodoxæ sit Eccle- c. bon. me-
siæ præponenda. Sententiæ huic pariter suffragatus olim fuit Sapientissimus mo. 3. de
Pontifex Innocentius Tertius, dùm Rauennati populi preces reiecit, optantis in Postul. prel.
suum Episcopum Sanctæ Praxedis Cardinalem, eò quod eius præsentia maior
vtilitas in Vniuersam Ecclesiam, quàm in vnam Rauennatem posset eriuari.
Considerauimus verò, quod eiusdem Cardinalis præstantia vtilior sit, non solum Ro- Abbas in d.
manæ, sed & Ecclesiæ generali apud Apostolicam sedem, quàm apud Ecclesiam Rauen- c. bonæ.
natensem. Ad quæ Panormitanus Abbas vnà cum Caietano ait, Episcopales in- Caiet. in 2. 2
fulas, & Cardinalium Purpuram simul esse in eodem non posse, cum personalem q. 185. ar. 5.

residentiam Episcopatus exigat, quam sibi ad Pontificis latus dignitas Cardinalis
Sot. l. 10 de iust. q. 3. ar. 4. vsurpat; id etiam Soto addit, quod qui *Ius diuinum* expenderit, statuet, fatius A
longè esse, quod Cardinalis, vt suo populo adsit, nusquam Romam inuisat.
Quod tàm solerter, sollicitèque Diuus Carolus Borromeus seruauit, vt artes,
Giussan. in eius vit. & l. 1. c. 10. 13. & vires omnes impenderit, ad facultatem, à Pio Quarto suo Patruo, tùm à Pio
Quinto impetrandam, quâ Romæ mansione derelictâ, sui semper populi administrationi adesset. Diuum hic Augustinum placet omittere, qui populo, & Clero liberè enunciauit, se nunquam nisi grauissimâ necessitate compulsum ab eius præsentiâ absuisse; cui adhæsisse videtur Cardinalis Bellarminus, qui, Christi Vicario aduocante, Romanam aulam adire coactus, duabus hisce legibus irretitus, quarum vnâ Capuanæ suæ Ecclesiæ immorari, alterâ Vicarij Christi vocibus parere cogebatur, satis vtrique facere sibi visus est, si Episcopali dignitate se abdicans Pontificis præcepta capesseret; sanè adolescentem me olim pijssimus ille Purpuratus alloquens hoc mihi suum de patratâ abdicatione consilium patefecit.

Tàm arctè Hyerosolimitani templi administri ad personalem eius custodiam B
2. Paralip. 38. 15. obstringebantur, *vt ne puncto quidem discederent à ministerio*, quo fortè Episcopi residentia exprimebatur: longè enim vtilior, & tùm diuino cultui augendo, tùm populorum commodo comparando validior est Episcopi præsentia, quàm ea esset, quâ Iudaico templo eius administri immorabantur. Scitu dignum illud est,
D. Berard. l. 1. de consid. c. 8. quod Diuus Bernardus ad hanc rem expendit, quòd scilicet cum piscantibus Apostolis ad maritimum littus se dedit Christus Dominus inspectandum, à Ioanne Petrus admonitus de sui magistri præsentiâ, *tunicâ succinxit se, & misit se in*
Ioan. 21. 8. *mare, alij autem discipuli nauigio venerunt*, vt compertum omnibus faceret, Petro in vniuersali Ecclesiâ, quæ in mari designatur, regendâ se exercente, reliquos Apostolos, qui priuatos Præsules significant, nunquam suis à nauibus abscessuros.

Quin in se ipso Christus ipse Dominus legem hanc, quâ, vt suis quisque sedibus se detineat, Episcopi obstringuntur, clariùs patefecit, tùm in verbis à Diuo C
Matt. 15. 24 Mattheo relatis, *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel*, tùm è responsione, quâ Regis Abagari vota reiecit, cum deprecantis, vt ad valetudi-
Baron. ann. 38. nem ei restituendam, ad suas Regales ædes dignaretur accedere: *quod scribis ad me, te velle, vt ad te veniam, eas res, quarum gratia sum missus, debeo hic necessariò obire, quas cum planè perfecero, ad eum recipi, qui me misit &c.* Hinc concordi velut agmine Sancti Patres, Concilia, supremique Pontifices quâcumque semper ætate constantissimi in Episcoporum residentiâ tuendâ statuendâque fuerunt; adeò vt iuxtà ea, quæ ad Apameæ Episcopum Constantinopolitanus Patriarcha Athanasius scripsit, ex eo ab hinc tempore sancitum erat, vt, si suâ ab Ecclesiâ se-
In Bibliot. Patr. to. 3. col. mihi 208 Ibid. epist. 6. & 7. & 8. nis mensibus Episcopus aliquis abfuisset, eius Præfecturâ spoliaretur; quod vt ipse idem Patriarcha exequeretur, non tantùm toto studio desudauit, sed Cæsareum etiam præsidium implorauit, ad hoc, vt ad suum quisque populum remearet.

Conc. Sard. c. 14. & 15. Ne vltrà tres hebdomadas absque palmari necessitate à suâ Ecclesiâ Præsules, abessent Concilium etiam Sardicense decreuit.

Episcopos eos, qui Vicarij operâ ad gregem sibi commissum custodiendum D
D. Damas. epist. 4. tom. 1 Conc. vtuntur detestatus Diuus Damasus Pontifex, meretricibus eos comparat. *Illi namque, qui talia sibi præsumunt, videntur mihi esse meretricibus similes, quæ vt pariunt, infantes suos alijs nutricibus tradunt educandos, vt suam citiùs explere libidinem valeant: sic & illi infantes suos, id est populos sibi commissos, alijs educandos tradunt, vt suas libidines expleant, idest, vt pro suo libitu sæcularibus curis studeant, & quod vnicuique visum fuerit, liberiùs agant.*

Conc. Nic. c. 15. & 16. c. non oport. tet 19 & c. si quis 27. 7 q. 1. Præceptum pariter in Nicenâ Synodo fuit, vt ad residentiam redire cogatur Antistes, & si pertinax ad obediendum fuerit, anathematis ictu percellatur. Vt trium annorum spatio sacri ordinis exercitio excluderetur, qui vt priuatis suis vtilitatibus seruiat, in solemnioribus festiuis diebus ab Ecclesiâ suâ abesset, Concilium Agathense decreuit.

D. Atan. in Apol. Palmare adeò crimen visum Diuo Athanasio fuit, vt nullâ graui de causâ

suam

suam Diecœsim Antistes relinqueret, vt licet ad Cæsarem scriberet, sceleris A illud appellatione signare non dubitauit; do eius verba, *Nosti ex lectione scripturarum, quanti sceleris sit Episcopum Ecclesiam suam deserere, & negligere gregem Dei.* fuæ etiam ætatis profligatos mores Diuus Cyprianus enarrans, ingentes, quibus laborabat, calamitates Christiana Religio, negligentiæ tribuit, qua suas Diœceses Præsules deserentes aliò immigrabant. Grauiter de hoc ipso Diuus Bernardus indignatus, ad Præsules conuersus ait, *quale est hoc, principatum tenere, & ministerium declinare?* Cùm de Primenio Amalphitano Præsule Diuus Gregorius accepisset, quod facilè suâ Diœcesi discedens alibi immorare gauderet, per Epistolam, quæ sacros inter Canones habetur, præcepit, vt de reditu ad suam Ecclesiam admoneretur, quem si longiùs differret, in Ascæterium intruderetur. Rursùs, cùm ex epistolis Capituli Epidauriensis Innocentius Tertius audisset, quadriennij interuallo suum Episcopum à Diœcesi abfuisse, & licet exoratum redire illuc nunquam voluisse, responsum eis præbens mandauit, vt si mensis alterius interuallo abfuisset, recens ab ipsis eligeretur Antistes; quibus è verbis, B Glossa adnotat, absentem Episcopum vel suis à subditis, licet sæcularibus, & ipsis à fœminis reuocari ad Diœcesim posse; addit hic Turrecremata purpurâ æquè ac sapientiâ spectatissimus, non sine temeritatis, & dedecoris notâ posse ab Episcopo suam Diœcesim relinqui.

D. Cypr. l. 1. de apsis. D. Bern. ep. 256. c. peruenit. 10.7.q.1 D Gregor. li.5. ep. 23. c. qualiter. de Cler non resid. Glos &Tur recr in d. c. peruenit.

Quin Iustinianus Cæsar, qui forsan ad Episcoporum authoritatem suâ Cæsareâ potestate roborandam, sed immoderato zelo raptus, in rebus sacris agendis suam interdum operam immiscebat, statuit, vt Episcopi, qui anni vnius spatio suam deseruissent sedem, à Metropolitanis, & hi à Patriarchis reuocarentur, eâ indictâ pœnâ, vt nisi ad præfinitum tempus reuerterentur, Episcopales infulas deperderent.

§. quis autē vel & illud

Anathematis inflictâ pœnâ, Innocentius Tertius statuit, vt suam quisque tepeteret sedem, affirmans suo à Pastore, non à mercenario Dominicum gregem custodiendum.

§. Interdicimus Auth. de sanctiss. epis. Platin. in vit. Inn. 3

C Anastasium Sancti Marcelli Cardinalem, teste Fulgosio, Leo Sextus Purpurâ Vaticanâ spoliauit, eò quod canonum statuta contemnens quinquennij interuallo suo à titulo abfuisset.

Fulgos l. c 3

Vt Vaticanum ad solium euectus Innocentius fuit, Pontificiâ authoritate Diploma statuit, & euulgauit, quod sub indictâ anathematis pœnâ præcipiebat, vt qui sacerdotio aliquo cum animarum curâ frueretur, protinùs ad eius sedem accederet.

Pius itidem Quartus bino diplomate scripto priuilegijs multis, eos Episcopos ornauit, qui suæ Ecclesiæ adessent, eos verò qui abessent, aliquâ sacrorum prouentuum parte spoliauit; hoc idem prorsus est, quod Tridentina Synodus statuit, cuius decreta in quacumque Synodo vel Prouinciali, vel Diœcesanâ omnibus enunciantur. Supremi demùm Pontifices omnes, vniuersi Dominici gregis saluti euigilantes, cùm magnâ ex parte ex Episcoporum residentiâ hæc oriatur, leges huiusmodi nouo semper ardore confirmant, & ex his recentissimè Vrbanus Octauus, & Innocentius Decimus grauium indictione pœnarum validiùs roborarunt.

Pius 4 cōstit. 10.&19 in 2.to.bull. Conc. Trid sess 6.c.1.de refor.& sess 23.c.1.de resid.

D

§. I.

QVinam ergò erit, qui ad tot Cæli terrarumque tonitrua propriæ salutis suæque famæ oblitus, caduca hæc æternis, terrena cælestibus anteponat, & suâ Ecclesiâ derelictâ humani Diuinique furoris fulmina aspernetur? quânam fronte se Deo iudici hic aspectandum dabit, qui cum, vt viri doctissimi opinantur, Angelicâ operâ posset, in libertatem humanum genus vindicare, vicarijs ad tantum opus perficiendum reiectis, semetipsum tantæ cruciatuum, & ignominiarum moli subiecit, vt suis impositis humeris deuias oues ad suum ouile reduceret, eisque suum ardentissimum amorem aperiret? *Nam sic Deus dilexit*

Apud Vasq. to. 1. in 3 p. disp. 4 c. 1. Ioan. 3. 6

D. Ioann. Chryſ. hom. 16. in Ioan. *lexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*, ad quæ Diuus Chryſoſthomus. *Non enim ſeruum, non Angelum, non Archangelum, ſed filium ſuum dedit*. An A igitur nos ab eius imitatione alieni adeò erimus, vt ad amplissimam dignitatem euecti, eoque munere decorati, quo ſuum nobis gregem Cæleſtis Paſtor commendauit, noſtro prius illis verbis amore exploratò, *Amas me? paſce oues meas*, cum alieno labore ſeruare, & educare velimus, vt noſtris rebus conſulentes, noſtræ tantùm voluptati, vel vtilitati obſequamur? Opulentiſſimos omnium, quibus Deus ipſe diteſcat, theſauros noſtra manu ipſe depoſuit, populoſque ſuo ſanguine redemptos nobis dedit cuſtodiendos, & de eorum ſingulis nobis
3. Reg. 20. 39. illud pronunciauit. *Cuſtodi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima eius*: eos ne deſides nos deſeremus, & pactionem initam perficè abſcindentes, tàm pretioſum depoſitum contemnemus, aliorum curæ illud commendantes, maioremque fidem ab alijs nobis ſeruandam poſtulantes, quàm nos ipſi Deo ſeruamus? Quàm meritiſſimè igitur Diuus Damaſus Pontifex ſcripſit,
D. Damas. epiſt. 4. to. 1. Conc. *ſi ipſe pro ouibus tantam curam habuit, ipſe docuit, ipſe curauit, ipſe ſanauit, ipſe proprys humeris reportauit, atque in tantum dilexit, vt etiam animam ſuam, multas ſuſtinens iniurias, multa opprobria, multaſque paſſiones, pro nobis traderet; quid nos miſeri, & deſides dicturi ſumus, qui etiam pro ouibus nobis commiſſis, curam impendere negligimus, & alys eas educandas tradimus?* B

D. Bernard epiſt. 175. ad Epiſcop. Temperare ſe Diuus Bernardus non poteſt, quin ſummopetè de Antiſtitis Engoliſmenſis tepore admiraretur, quo ad ſui gregis cuſtodiam incumbebat; nam eius cultum omittens, tàm ardenter honorificæ cuiuſdam legationis munus affectauit, vt cum eâ tandem excluderetur, eò furoris & dementiæ actus eſt, vt ferè à ſummi Pontificis ſententiâ diſſideret.

D. P. Dam. l. 2. epiſt. 3. Meritò igitur Diuus Damianus ait, nullatenus eum Præſulem ſufferendum, qui vt alteri Eccleſiæ ſeruiat, ſuam relinquit; quid tùm ille pronunciaſſet, cum vel ex voluptate, vel vtilitate, vel ſimili aliâ de ratione reliquiſſet?

§. II. C

VT autem clariùs innoteſcat, quàm ſibimetipſis iniurioſi ij Epiſcopi ſint, quos à ſuæ ſedis manſione vides alienos, illud ſingulariter expendas velim, quòd, præterquàm quòd palmari ſatis crimine ſe polluunt, rationemque arctiſſimam ſunt de ijs omnibus Deo reddituri, quæ in ſui populi detrimentum ex abſentiâ ſuâ deriuantur, ſe ipſos eius celſitudine dignitatis expoliant, quâ inter alios maximâ Deus ipſos redimiuit. Quis enim eo titulo illuſtrior, quo nos ipſe
Matth. 5. 54. Chriſtus ornauit? *Vos eſtis lux mundi*. Solem igitur indefeſſo ſemper motu ad vniuerſi commodum laborantem imitatus Epiſcopus nunquam ſuo à populo recedat, nec vicariam alterius operam adhibens, ſuo ipſe de fonte lucem impertiat; quod ſi ad vim comparationis ſeruandam, non Soli, ſed ſyderibus è numero Antiſtites conferantur, vt potè qui ſuarum fulgore virtutum, ſcelerum tenebras noctemque vitiorum expellunt, iuxtà ea, quæ Diuus Gregorius affirmauit,
D. Gregor. l. 2. epiſt. 7. *Quid ſunt Epiſcopi niſi aſtra Cæli? quorum vita ſimul & lingua inter peccata, erroreſque hominum, quaſi inter noctis tenebras lucent*; cum Riccardo è Sancto Victore pronunciemus, non in mobilibus aſtris, at in fixis ſtellis nobis eos à Diuo Ioanne fuiſſe repræſentatos, *ſtellis Epiſcopi rectè comparantur, non Aſtris*, eò quòd D
Apoc. 3. 1. & ibi Riccard. Aſtrorum inſtar non vario ſe conducere motu debeant, ſed in ſuæ Eccleſiæ orbe ſtabili gradu permanere.

Terræ ſal vocantur Epiſcopi: ſed quinam fiat, vt ſal ſint, quo populi omnes condiantur, ac vitiorum putredo abſorbeatur, ſi eum à ſe abſentiâ ſuâ repellunt?

Inſignis & ille titulus eſt, quo decorantur Antiſtites, vt ſint ſui Eccleſiaſtici Cæli intelligentiæ; qui autem hoc fieri poſſit, vt eius motus attemperatè componant, niſi ei gubernando præſentes adſtiterint? Philoſophicam hic ego arenam ingredi recuſo, alijs inquirendum omittens, an primi mobilis intelligentia

forma

forma quadam Cæli, eiusque substantialis sit, hoc enim à veritate longè discedere compertum mihi satis est; illud certus cum Conimbricensibus Magistris affirmauerim, tàm præsentem suo cælesti orbi eam esse, tàmque arcto vinculo illi coniunctam, vt si ab eo separaretur, prodigij loco sit, quin tota vniuersi moles susdeque reuoluta pessum eat. *Intelligentia illa ità suæ sphæræ alligata est, vt diuelli ab eâ, citra miraculum non possit, dum rerum ortus, & occasus in inferiori mundo perseuerat.* Ad huius similitudinem suæ Ecclesiæ tàm arctè alligatur Antistes, vt ex eius absentiâ, certa illius pernicies, sexcentaque incommoda in eam euoluantur oportet. Conimb. l. 2. c. 5. q. 5. ar. 4

Præclarissimum etiam sponsi titulum Episcopus absens deperdit; cùm enim spiritale connubium cum Ecclesia sua sponsa solemni ritu contraxerit, & spiritalis coniugij vinculum longè sit ea arctius, quod infert carnale connubium; an eius sponsus audiat, qui ab ea discesserit, cum adulter potius à viris sapientibus æstimetur, qui nulla graui de causâ ab vxore suâ discedat. c inter cap. quanto c. licet de Transl. Prælat.

B Quàpropter cùm è molestia, qua populi sui vitio vexabatur Petrus Anagniensis Antistes, & in Orientis oras vnà cum Boemundo Duce profectus esset, vt ibi inter preces, & lachrymas placidè degens sanctam vitam tranquillâ morte peragerct, ei semel se spectandum exhibuit Diuus Magnus Anagniensis vrbis Patronus peregrini speciem præferens: Quisnam ipse esset, & quâ de regione veniret perconctatus eum Petrus fuit; Tunc ille, ex Italiâ hùc ego accessi; meaque coniuge derelictâ sancta hæc loca eo animo petij, vt à quocumq; opere auocatus diuinis tantùm cogitandis adhæream; Te iam consulo, an hæc ego perficiens, meæ saluti prospiciens sim æternæ beatitati donandus? Tum Petrus, quàm longè aberras? hac enim si incessetis viâ, salutem, quam quæris amittis, eò quòd Diuinæ legi repugnans connubij vinculum absciderls, *Quos Deus coniunxit, homo non separet*. Hæc loquentem Diuus Magnus interpellauit, quid ergo tuæ saluti perniciosus, tuæque sponsæ iniutius tuam Ecclesiâ deseruisti, quæ me exorante, tibi fuit olim desponsata? exple igitur quàm citissimè vota, C tuam vrbem quantocius reuertatis; euanuit ad hæc Magnus, & cælesti monito Petrus instructus ad suum populum celerrimè remeauit. Baron. ann. 1099. Matth 19.6

Principis etiam titulum Episcopus absens amittit, cùm sacri Principis munus sit ibi assidere, vbi eum statuit Deus, claui instar firmissimè ei adhærentis, cui est adscriptus: quâ de causâ Sacerdote Eliachim Dei ore alloquens Isaias, vbi nos in vulgatâ habemus, *figam illum paxillum*; Septuaginta legunt, *Constituam eum Principem*; ipsi enim inniti sacra ornamenta debent, hoc est Lithurgorum mores, & pietas populorum, iuxtà ea quæ inferius scribuntur: *Et suspendent super eum omnem gloriam domus patris eius, vasorum diuersa genera &c.* Isai. 22.

Ezechielis ore hoc ipsum Deus significauit præcipiens, vt in terræ sanctæ diuisione, post Babylonicam captiuitatem supremo Pontifici locus suo muneri opportunus designaretur: *Principi quoque hinc, & inde in separationem Sanctuarij, & in possessionem Ciuitatis, contrà faciem separationis Sanctuarij, & contra faciem separationis Vrbis*, hoc est inter sæculares, & Clericos, vt facile vtrorumque vtilitati paratissimus esse possit; centri igitur instar ille sit, ad quod lineæ omnes per D orbem deductæ ad ipsum referantur: si igitur suâ se ille à sede dimoueat, Principis munus & nomen non meretur; hinc ad Episcopos hæc dirigens D. Hieronymus sic fatur. *Quod propriè ad Episcopos referri potest. Princeps verò, qui verè Princeps est, meretur Ducis nomen accipere, hinc indè accipit possessionem Sanctuarij, ex omnibus videlicet, qui ei voluntate subiecti sunt, & vrbis habitator est, multorumq; salutem suam mercedem facit.* Ezech. 25. 7 D. Hier. ad c. 25. Ezec.

Verùm quid de Pastoris titulo dicemus, quo meritò caret, qui à grege suo discedit. Pastoritium ministerium eâ ratione recti regiminis imaginem esse docuit Clemens Alexandrinus, qua bellum venatione describitur; eò tamen in sacro regimine compertum magis hoc est, quàm in prophano, quò magis gregi semper adstare cogitur Pastor, eumque tùm à luporum feritate, latronumque insidijs tueri, tùm pinguia ei comparare pascua, licet per incommoda, & discrimina mille via fuerit aperienda; Quapropter cum Dauid, & Moysem ad sui populi regi- Clem. Alex. l. 1. ad fin.

regimen habe ndum ab æternitatis vsque interuallo Diuina sapientia elegerit, pastoritiam priùs illi artem dedit exercendam, vt ad sceptrum gerendum Tyrocinium quoddam haberet principatus, & in agris rudimenta poneret consecuturæ fœlicitatis. A

Dum igitur suo discedit Antistes à grege, cum hæc omnia omittere cogatur, pastoritiâ dignitate se spoliet oportet; Pastorem se ignorat, seque ipsum in nihilum quodammodo redigit: quàpropter, vt gregi suo enutriendo euigilent, 1.Petr.5.3. Diuinus Pastor præcipit, *Pascite qui in vobis est gregem Dei*, seque ipsos, vt formam, & exemplar illis exhibeant, *sed forma facti gregis ex animo*: Verbis hisce Hugo Card ibid. perpendendis immoratus Ingeniosissimus Hugo hæc eruit, *Notandum, quòd dicit forma, non vtique substantialis, sed accidentalis, & talis separata à subiecto nihil est*, Iob.18.15. & Iobi sententiâ confirmat, *Habitent in tabernaculo eius socij eius, qui non est*; frustra igitur Pastoris titulum iactat, qui suâ sponte discedit à grege; cùm enim velut accidentalis forma ipse sit, si à subiecto separetur, suum esse deperdens in nihilum reducitur; iuxta hæc Caietanus etiam scripsit; quod Pastor, *nec nomen* B Caiet. 2. q. 185. *Pastoris meretur, si non personaliter attendat suo gregi*; Pastoris potius simulachrum inane eum appellaueris, *O Pastor, & idolum derelinquens gregem*, ex Hebræo Ezech. 11.7 codice legitur, *Væ Pastori idolo, qui gregem deserit*, Vatablus vertit, *O Pastorem nihili deserentem oues*, ac si commentitius quidam, & personatus Pastor sit, cui idcircò formidando illo *Væ* æternorum cruciatuum pęna ab Ezechiele denunciatur: Cùm enim verum à mendaci Pastore distinxerit Christus, *verus enim* Io.Io. 34. *proprias oues vocat nominatim, & educit eas, & cum proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur*, quî verus dicendus erit, qui ab ouium custodia spontè discesserit? Quapropter meritò Chrysostomus docet. *Nunquam oues deseramus: lupo generosè resistamus*.

Quid plura? præclarissimum ipsum nomen Episcopi ipse deperdit; vt enim D Chyf. ibid. aliàs docuimus *Episcopus* græca vox est, quæ latio sermoni reddita significat *superintendens*; quin, si Græci idiomatis vis expendatur, idem sonar ac *vehementissimâ & maximâ mentis acie iatendens*, quæ omnia non personalem tantùm corporis C præsentiam indicant, sed animi enixam quandam intentionem, qua Christianæ D. August. de Ciuit. l. 1 c. 9. Religioni custodiendæ excubitorum instar euigilant; *ad hoc enim speculatores, id est populorum præpositi, constituti sunt in Ecclesijs, vt non pareant obiurgando peccata*, ait Augustinus: in vitia & Dæmonum insidias paratissimi semper esse debent, ad eas tùm aperiendas, tùm repellendas; sic ex Isaiâ habemus: *super muros tuos* Isai 6. 16. *Ierusalem constitui custodes, totâ die, & tota nocte non tacebunt*, sic ex Ezechiele, Ezech. 3. 17 *fili hominis speculatorem dedi te domui Israel*, quæ verba Diuus Clemens Ponti- D.Clemens l. 2. Const. Apost. fex ait, *Vos Episcopos speculatores populi esse oportet, quòd vos quoque speculatores habeatis Christum*. Quî ergo peruigilis excubitoris partes ille expleuerit, qui sedem suam non occupat, & speculæ stationem derelinquit? quî socordiam suam excusauerit, cúm excubitorem sibi imminere Deum sciuerit, qui ad animi cogitationes, ne dum ad manuum opera lumine conniuenti euigilat? ad Dei tribunal quânam ratione purgare se poterit, si ex eius absentiâ factum fuerit, vt vitiorum irruptionibus populus aliquis, vel vna tantum anima expugnata fuerit, & euersa? an non fulmen illud in se vibrandum audiens toto corpore con- D Ezech.33 6 tremiscat, *si speculator viderit gladium venientem, & non insonauerit buccinâ, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate suâ captus est; sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram*: in quâ explicandâ methaporâ laborans Diuus Clemens ait, *quòd gladium iudicium* D. Clem. d.c. 6. *est, tuba verò sacrum Euangelium, speculator autem Episcopus, qui praeest iudicio, & Ecclesiæ*, sed de hoc luculentiùs infrà.

Episcopus ergo, qui non suâ, sed alienâ operâ suam moderatur Ecclesiam, iure merito dicendus est sibimet ipsi iniuriosus, dum se ipsum Episcopatus titulis, & honore despolians vacuo tantùm nomine gaudens, suam honorificam sedem alteri impertitur.

Ex

A Ex incommodis ab Episcopi absentiâ allatis, ad residentiam eum obstringi. Cap. XLIII.

CAELVM nobis intueri non datur, quin in Lunâ, & Sole, ibi à Deo collocatis, hic *vt praeesset diei*, illa verò *vt praeesset nocti*, lucidissimo veluti stylo descriptam residentiæ nostræ legem perlegamus: sicuti enim præfulgidâ eorum Syderum luce tanquam voce, Diuinitatis maiestas, & beneficentia nobis innotescit, sic etiam explicantur incommoda, quæ ex Antistitis absentiâ in subditas ei gentes eriuantur. Genes.1.18 Psal.18.

B Hinc Sol Dei lege ad orbem, tanquam Diœcesim inuisendam, obstrictus, nunquam alterum mundi polum deserit, quin ad eius bonum Lunam, & sydera sui tanquam laboris Vicarios adscribat; ex hac tamen eximiâ diligentiâ obtinere ipse non potest, quin tenebrarum irruptione non denigretur, sibique mundi sedem violentâ quadam tyrannide non vsurpet; hinc nos docemur, quòd licet ad nostræ Diœcesis custodiam, pijs erudirisque Vicarijs vtamur, adhuc tamen ad eam corrumpendam vitia irrumpent, ad eius exscindendam pietatem assurgent Dœmones, ad eius lucem extinguendam nox iniquitatis erumpet; cum ècontrà è breui Solis præsentiâ non fugetur, at aurea vniuerso dies elucescat; confirmat hæc Magnus Constantinopolitanus Antistes Athanasius, *si quisque Pastor in Diœcesi, quæ sibi obtigit, vel biduum moretur, experiri liceat permulta peccata, & damna non esse futura in populo; sanè augentur oues, & in tuto sunt, cum præsunt veri Pastores.* Atan. Patr. Const. ep. 1 ad Episcop. Cretens. in Bibliot.eat tom.

C Immanis profectò admirationis omnibus est, quòd cùm Luna omnium aliorum sydeium minima sit, alia tamen omnia beneficentiâ præcellat, quâ inferiorem sibi orbem implet ac beat; scias hic velim, excellentiam hanc non è syderis maiori potentiâ, vel plenioris luminis affluentiâ, sed èviciniori aspectu haberi, quo sublunaria hæc præsentiora sibi constituit. Vtilior populis Episcopus erit, qui minori licet virtute diues, præsens populo semper erit, quàm ille, qui lucidior quidem & potentior ab eo longè discedat.

Cum insanam turris substructionem ad Cæli vsque fastigium attollendam Gigantum temeritas conficiebat, operæ pretium Deo non erat, vt potè qui suâ immensitate cuncta peruadit, personaliter illùc accedere, ad arrogans illud opus inspectandum, & nihilominus humani sermonis imbecillitati se Diuinus scriptor attemperans ait, quòd *descendit, vt videret Ciuitatem, & Turrim, quam ædificabant fily Adam*, vt Præsules omnes edoceret, (sic Oleaster) quòd sicuti, si oculati ad opera Lithurgorum fuerint, prosperè fæliciterque Diuina res se habebit, sic pessum ruet pietas, nullusque pietati locus aderit, si Antistes absuerit. *Docet locus iste operarios esse videndos; nam vt plurimum mercenarij ad locum seruiunt. Hoc etiam apud Ecclesiasticos uideas, ut si Prælatus diuinis officijs intersit, omnes compareant; sin* D *minus, chorus uacuus est, & Ecclesia deserta*: sic ille. Genes.1.18. Oleastr. ibi. in moral.

Anima sui populi Antistes est, vt de Principe MaximusTyrius & Aegesypus pronunciarunt: Hinc Deum orans Moyses, vt ad sui populi regimen aptum virum præficeret, ait *Prouideat Dominus Deus spirituum (Dominus Deus Prelatorum) omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc*. Quapropter sicuti ea ratione, quâ corpus animatur à spiritu, viribus etiam, motu, colore, opere, pulchritudine ditatur, sic ex aduerso, si spiritus abscedat à corpore, omnia pariter corporis bona euanescent, vt suo de more Chrysostomus eloquenter describit. De Præsule hoc idem dixeris: eâ enim mensurâ, qua sui populi corpus implet, & beat si fuerit præsens, euertit, & perdit si ab eo discesserit. Hinc Diuus Hieronymus asserit, facillimè virtutum, & pietatis culmen attingi ab eâ vrbe posse, quæ pium sortita Episcopum fuerit; huius enim exemplo, & sermone, mirum quantùm ad pie- Num.27.16 D. Chrys. hom. 12. in Genes.

D.Hieron. l. 2. in ad Galat.4.27. pietatem adolescit. *Cùm autem ille recesserit, paulatim emarcescere, & subtracto cibo tenuaris, pallere, languescere, & interitum sequi omnium, quæ prius euigebant*: è pulcherrimâ specie videns, vt migret in deformè cadauer? Quapropter nullo fas est honestatis colore illis lenocinari, qui vel peregrinationem obeant, vel vt cælestibus tantùm meditandis adhæreant, à sua Diœcesi abeunt. Probabile nonnullis est, quòd cum ab Adæ latere se Eua seiunxit, in cælestium rerum meditatione absorptus ille immoraretur: exitus ipse docuit, quàm vtilius Adæ fuisset, si cælesti ea contemplatione dilatâ, suæ vxoris custodiæ euigilasset; ab ipso enim absens, non tantùm stygium serpentem offendit, sed blando eius sermone decepta, tùm coniugi suo, tùm toti posteritati miserandum parauit exeidium: si ergo perniciosa adeò est sponsæ bonitati sponsi breuis absentia, quid non de ea Diœcesi timendum, quæ, cum maiori ex parte vitiorum obscœnitate sordescat, suum Præsulem, suum sponsum præsentem non habeat? Testetur hoc Moyses, ad Principium aulam non ambitionis vi, vel auaritiæ amore, vel deliciarum voluptate, sed Dei mandato raptus accesserat, vt maxima cælestium rerum negotia agitaret; quid inde factum? vix quadraginta dierum spatio Synogogam sponsam reliquit, vt eam adulterio, & fornicatione pollutam inuenerit; hæc ad absentes Episcopos Chrysostomus accommodans ait, *Moyses Synagogam habebat Vxorem, reliquit eam, & fornicata est*. Quod itidem exemplum Oleaster adhibuit, vt Episcopos certiores faceret de malorum magnitudine, quæ è Præsulum absentia in populos effluunt, præsertim si non breuis ea dierum aliquot interuallo definita fuerit, sed menses, & annos enumeret; audiatur eius sermo. *Soles in republica magna incommoda, & turbationes facere Ducis longa absentia, etiam si Vicarium in populo relinquat. Quod considerent Episcopi nostri, quàm sit dispendiosum à suis sedibus elongari, aut à suis ouibus diù abesse; si enim tanta, ac talis turbatio sequuta est in populo ex Ducis absentia ad quadraginta dies; quanam erit si ad annum, aut duos abesse contingat?* Cuius rationis vi Parochos aliquos increpabat Hugo Cardinalis, qui ad se scientijs expoliendos in Academia Parisiensi longè à suis ouibus se detinebant.

D. Chrys. hom. de regressu ex Asia. Oleastr. in Exod. 32.

HugoCard Exod 32.n.4

§. I.

NVllum hosti ad arcem in vadendam tempus accomodatius est, quàm cùm ciuibus omnibus altâ socordiâ soporatis, ab eâ suus Princeps abfuerit: nulla enim validior defensio, nullum ei fortius propugnaculum, securiorque munitio, quàm Principis sui præsentia. Testetur hoc Sifeleg, quæ quo quò securior ab Amalecitarum irruptione fuit Dauid præsente, eò infœliciùs passa fuit exeidium eodem absente. Egregiè hic indicatur, ait Lyranus, quàm facilè ad quoscumque populos, & animos occupandos via Dæmoni pateat, nisi huius insidias, & fraudes ostendat, & repellat Episcopus. Iam do eius verba, *significatur, quòd in absentiâ boni Prælati à suâ Diœcesi, Dæmones incendunt populum suum, igne concupiscentiæ carnalis, & ducunt eum captiuum multiplicibus peccatis irretitum*. Absente Pastore audacissimè vitia cuncta grassantur, vorantur à lupis oues, scelera pullulant, adolescit iniquitas, morum licentia firmatur, pietas euertitur, deletur Religio, destitutus denique grex, pestilenti stygiaque afflatus lue miserrimè contabescit; Vt enim Philo Hebræus philosophatur, idem propè dixeris incommodum esse vrbibus, munitione carere ac Præsule. *Periculum est sicuti Ciuitati carere mœnibus, sic animæ destitui à custodibus*.

1 Reg.30.1

Lyran.ibid.

Phil. Hebr. l. de Profug

Quis nam ab omni discrimine eam nauim credat alienam, quæ nauarcho destituta, cuius sapientia flectatur ad cursum, per fluctuantes pelagi vias peregrinis mercibus opulenta feratur? Inter zephirorum blandientes vias ridens vnda crispetur, adhùc tamen, & scopuli latent, quibus frangatur, & Pyratarum quibus inuadatur, vagantur insidiæ, & syrtes, quibus impingatur, offendet: quid tum de illâ putandum, cùm vel Aquilonum impetu, vel Eurorum violentiâ quatietur? Quàm enimuerò peregrinæ, quàm pretiosæ animarum gemmæ sunt, quibus

quibus vrbis nauis abundat, sed quę illic á naufragio securitas erit, si suus ei A Nauarchus est Episcopus, qui clauum præsens moderetur, defuerit? ipsamet nauicula, quâ Christi imperio vehebantur Apostoli, præ Christi absentia, quâ ad preces suo patri porrigendas se ab eorum consortio seiunxerat, naufragium ferè passa misserrimè fluctuauit nauicula: quaproter nil mirum, si proteræ sui magisterio spoliati in altum mare conscendere recusarint, *Ne eo absente naufragia sustinerent*, sic D. Hieronymus. D Hieron. ibid.

Quòd si obijceres, præsente etiam Christo, nauim diut.rno fluctu percussam, ferè vsque ad excidium laborasse? *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus*, in promptu responsio est, quam sacræ literæ subministrant, *Ipse vero dormiebat*; quædam enim iuxtà Ioannis Cluniacenses sententiam species absentiæ somnus est, *Dormiebat, id est, quasi absens erat*; si namque in suæ nauis habendo regimine dormitauerit Præsul, annon inter absentes recenseri meritò possit? in somno æquè ac absentiâ vitiorum licentia, malorum B lues, turbo nequitiæ suæ Diœcesis nauim validissimo verbere fatigabit: siue absit, siue dormiat Antistes, campum lupis aperit, per quem sparientur ad greges deuorandos; earum enim ferarum mos est, vt cum vel absentes viderint Pastores, vel canes dormientes, oues aggrediantur, rapiant, lacerent, & cruentent; audi Ambrosium, *Lupi bestiæ sunt, quæ somnum canum, absentiam, ac desidiam Pastorum explorant*: Augustinus Ambrosio consonat, *furantur lupi insidiantes; rapiunt leones frementes, cum oues non hærent pastori*, quâ de re supremus Pastor Ezechielis ore conqueritur his vocibus, *Dispersæ sunt oues meæ, eò quòd non esset Pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri*. Matth 8.24 Ioan. Cluniac. D. Ambr. D. August. l.de Pastor. c. 8. Ezech. 34.2

Deus immortalis? cùm Deo à nobis de populis nostræ fidei custodięque commissis exactissimam reddendam rationem non ignoremus, adeò ne impotes nostri erimus, vt ab eis abesse velimus, nostræque affectioni seruientes tantum in eos perniciem eriuari? an non illud æterni iudicis ore in nos intonabit, quod tùm Marta, tum Magdalena ad eum conuersa pronunciauit, *si fuisses hic, frater meus* C *non fuisset mortuus*, si in tuâ Diœcesi, ad cuius temperandum clauum te euocaui, semper mihi præsens adfuisses, populus frater meus adoptiuus non fuisset mortuus, inter adulteria, & odia, inter fornicationes, & vsuras, ad æternum interitum non properasset. Ioann. 11. 21 & 32.

Eleganti hæc omnia metaphorâ nobis Deus expressit, auem afferens, quæ è nido discedens, pullos suos miluorum rapacitate lacerandos relinquit, *sicuti auis transmigrans de nido suo; sic vir, qui derelinquit locum suum*; Accipitres, & miluos stygios excitat absens Antistes, vt suum nidum inuadant, & quos Deo pepererit filios voraci dente conficiant; ad hanc sententiam ea verba Lyranus excepit, & inde Iansenius, *Accommodatur hæc parabola contra prælatos, & pastores, qui derelicto grege sibi commisso, commigrant aliò, oues luporum rapacitati relinquentes*. Illud etiam expendas velim, quòd sicut auis extra nidum immorans, & peruagans venatorum insidijs facilè implicatur, sic pariter Episcopus, si suæ ab Ecclesiæ nido abscesserit, Dœmonum fraudibus facilè irretitur. Prouerb. 27. 8. Lyran. & Iansen. ibid.

D

§ II.

FRustrà autem nos ipsos palpamus, nostroque genio indulgemus, si dixerimus, optimum nos aptissimumque Vicarium nostræ Diœcesi subministrasse, cuius operâ nobis absentibus dirigatur: cum enim Vicarij munus ad tribunal præsertim causasque forenses referatur, difficilè admodum Episcopi zelum, & vigilantiam induet, & tenui prouentu allectus tantam Apostolici operis molem excutiet, & tot incommoda, quibus vexantur Antistites, effugiet: profectò, si aliquis è tot fuerit, qui studium omne in populorum salute comparanda collocet, habes de quo ipsi gratuleris; ex eo enim quòd verum non mercenarium se Pastorem exhibeat, in suæ fidei pietatisque mercedem, ad Episcopalem cum Deus sedem attollet, vt iuxtà suæ fidei pignus datum tantum munus exerceat: sed

verò quis huiusmodi Phœnicem sortietur? præterquàm quòd arduum opus erit, vt eâ æstimatione, eoque pretio populis habeatur, quo flectere eos, & coërcere A
pro opportunitate possit; diuino sermone populos ipse non nutriet, largas opes in pauperum subsidium ei subministrare non datur, nec eâ libertatis vi pollet, qua præmijs excitare virtutem, castigare vitium queat. Quisnam eò felicitatis accedet, vt tàm egregium, expertumque Vicarium sortiatur, qualem se Aaron exhibebat à Moyse suo Præsule substitutus? sapientissimus ille erat, & integerrimus Diuinæque sapientiæ calculo approbatus: quid tamen? è Moysis absentiâ tumultu populus efferbuit, corrumpendum se vitijs dedit, pietate calcatâ iniquitatem excolebat, Religione contemptâ Idola adorabat, nec ad rem flagitiosa & immania hæc scelerum portenta obtinere potuit Aaron, vt vel seditio tepesceret, vel compesceretur vitiorum lues, vel aliquâ saltem ex parte, populus ille ceruicosus, & refractarius, quem toties Moyses refrœnauit, ad meliorem frugem
Exod.32.8. resipisceret. Sicut ergo Aaron ad vitulum effingendum, aurea ornamenta ex-
HugoCard ibidem. cepit à fœminis, *sic*, ait Hugo, *Vicarius pecuniam extorquet à populo sibi commisso: & de salute animarum parum curat.* B

Peregregium etiam Vicarium Eliasib sacerdotem Neemias discessurus elegit, quem Reipublicæ gubernandæ suo loco præficeret; improsperè tamen omnia ceciderunt: sacrilegâ enim audaciâ sacra simul & prophana commiscens non Deo seruiebat, at sibi; quàpropter vrbem Neemias repetens ait, *Veni in Ierusalem,*
2.Exod.13.9. *& intellexi malum, quod fecerat, Eliasib Tobiæ, vt faceret ei thesaurum in vestibulis Domus Dei: & malum mihi visum est valdè*; quæ ad nostram rem Lyranus accommodans nobis adhæret affirmans, è Præsulis absentiâ frequentissimè
Lyran. ibid. in populis sexcenta incommoda egerminate, eo quidem pacto, quo, si è Nauarchi præsentiâ securitas nauis habetur, ex eiusdem absentiâ, naufragium securus expecta.

Quid plura? ipsemet Apostolus Diuino spiritu opulentissimè imbutus, Asiæ Ecclesijs præstantissimos dedit administros; adhuc tamen plurima emersura incommoda post suam absentiam ipse præcognouit, dissensiones succendendas, C
schismata eruptura, eosque in lupos vertendos, quibus vti Pastoribus hominum gregem commendabat, *Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.*

Tandem si fieret, quod perquàm rarò fiet, vt absente Pastore fæliciter omnia cedant, nullum discrimen subeant greges, vt luporum rabie lacerentur, nullatenus vel populi, vel cleri disciplinâ tepesceret; adhuc tamen palmare detrimentum est, nec aspernanda pernicies ea, quæ è bono non acquisito deriuatur, quodue acquirendum facilè fuerat, si Episcopi præsentiâ tanquam suæ Ecclesiæ spiritu populorum membra caluissent: Quàpropter sicut animâ recedente, ad omnia inualidum corpus elanguet, sic ex Antistitis absentiâ, cadaueris in morem totus populus ad omnia inutilis exarescit. Diuum ergo Augustinum in eâ pronunciandâ sententiâ imitatus, *sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus, quomodò si anima deserit, moritur corpus; sic anima moritur si deserat Deus*; proportionem aliquam seruans non abs re dicerem, si recedat Episcopus, in aliquo saltem membro Diœcesim suam emori. D

Multò pariter difficilius erit, vt absens Antistes ad gratiæ vitam eos reuocet, quos eâ peccati venenum spoliauit; hæc enim prodigia tàm admiranda sunt, vt ipsimet Christo Domino fuerint penitus insuêta; nec enim absens vnquam legiturè morte ad vitam quemquam reuocasse, vel ad hoc idem præstandum, alienam operam adhibuisse; poterat hæc quidem ipse patrare, sed ad nos instruendos, præsentiam suam semper in his peragndis exegit. Præter ea, quæ nobis in Elisæo adumbrauit, qui, vt viduæ, cuius hospes fuerat, filium mortuum excepit, suum famulum lezi transmisit prodigiosam suam virgam ei tradens, quâ rediuiuum puerum è faucibus mortis eriperet; ad enixos tamen lezi conatus,
4.Reg.43.1. *non surrexit puer.*

An non Prophetarũ virgas eo pretio Deus habuit, vt vel cùm non sine aliquo crimi-

A crimine agerentur, ad eorum famam seruandam, secundas eas prodigijs effecerit? Moyses certè, & Aaron his fidem dabunt, quibus, vt significatum fuit, *loquimini ad petram, & vobis dabit aquam*, non sine aliquo fidei defectu, vt Lytanus arbitratur, bis silicem virgâ percussit Moyses, ad cuius ictum in affluentes aquarum pluuias suam ille duritiem emolliuit: ne igitur Moysis virgam apud populum contemnere videretur Deus, licet offensus, & indignatus ad aquarum miraculum beneficus accurrit. Difficultatis nexum vides; accipe iam solutionem. Virgam Moysis non alteri adhibendam dedit, vt Elyseus, qui eò quòd eam suo Vicario dedit, *non surrexit puer*: facultas enim mirabilia agendi, quàm Episcopali baculo dedit Deus, seruabitur vtique, si Episcopi manu, non verò Vicarij tractetur, Pastori data est, non mercenario. Vt ij, quos ad mortem spiritalem crimen adduxit, ad vitam Diuinæ dilectionis reuocentur, Episcopus ipse electus à Deo fuit, tanquam suæ vicarius potestatis, adeòque statim ac Elisæus accessit, eius precibus, industria, opere *calefacta est caro pueri, & oscitauit* B *puer septies, & aperuit oculos suos*; vt intelligatur, longè eos decipi Antistites, qui suo à populo absentes miracula hæc patrari posse arbitrantur manu vicatiorum: egregiè Hugo Cardinalis. *Mirum est de quibusdam, qui remoti mortuos suos volunt suscitare: cum etiam Dominus neminem suscitasse legatur, nisi præsens. Vnde non sufficit Helisæo misisse Giezi ad puerum suscitandum; imò & ipse statim subsequutus est, & præsens puerum suscitauit.* Num. 20. 8. Hugo Card 4. Reg. 4.

Huiusmodi Præsules, qui vt laborem sibi diminuentes Alcides quærunt, vt eorum humeris raptum sibi pondus imponant, præterquàm quòd frequenter non Herculem, at Thersitem nanciscuntur, sicut Oza sacerdotem imitantur, qui ne Diuinæ Arcæ pondus suis humeris succollaret, ferendam bouibus dedit, sic etiam veteri summoperè debent, ne Ozam pariter supplicij grauitate imitentur; adhoc certè admonendum Liranus historiam illam explicauit hoc stilo. *Per hoc significatur, quòd principes, & prælati proprios humeros habent submittere ad portandum onus sui officij, ne percutiantur à Domino sicut Oza, qui ad deportationem* C *Arcæ boum humeros applicuit: cui similes sunt, qui regendas Ecclesias suas alijs tradunt, etiam ignorantibus; & ipsi in alijs occupantur.*

Cum Diuus Carolus Eminentissimum aliquem Cardinalem adhortatus benignè fuisset, vt suæ Diœcesi adesset, respondente hoc, quod cum perexigua Diœcesis esset, facilè vicarij regimen admittebat; subdidit Diuus Carolus, vnam tantùm animam gubernandam, nedum earum millenas Episcopi laborem postulare, habes hæc à Domino Basilica Petri Antistite Nouariensi. In vit. S. Caroli l. 7. c. 13

Iustæ recensentur rationes, quibus suâ Diœcesi abesse potest Episcopus, & de curâ, quâ tenetur absens suo gregi consulere. Cap. XLIV.

D

SVAVE iugum Dei est, nec aspera, & acerba Dei lex nobis indicit: vt suæ Diœcesi adsint Antistites, obstringuntur quidem, sed eorum vincula ferrea non sunt. Affirmatiuum præceptum, non negatiuum quod *semper, & ad semper* obstringit solui quidem non potest; sed explicari potest. Quapropter vetustis Canonum statutis adhærens Synodus Tridentina non absentem eum explicauit, qui breui aliquo tempore à suâ Diœcesi recedit; decreuit insuper, quód iustà aliquà de ratione, trimestri spatio, extra Diœcesim immorari valeat, dummodo è suâ absentiâ graue aliquod incommodum non immineat, & celebriores eo tempore festiuitates agantur, vel dies ij sint sacræ pœnitentiæ consecrati. Conc. Trid. sess. 23 c. 1. de refor.

Quia autem hac loquendi formâ lex non soluitur, sed rationum æquitas explicatur, quarum vi à suâ Diœcesi recedit Antistes, quarumque arbitrium Epi-

scopis ipsis à Concilio relinquitur, qui eâ abuti vellet grauiter delinqueret, vt
Less. de Iustit. l. c. 34 dub. 19. nu. 155. Lessius docet: ad salubrius Cælum valetudinis causâ perquirendum, ad res fami- A
liares componendas, ad consanguineos diù absentes inuisendos, & ad id genus huiusmodi, iustè suâ Diœcesi recedere potest Episcopus: solarij tamen, & recreationis gratiâ ab eâ abesse, videtur non probandum, cùm nihil afferri possit, quo lex illa condonetur, quâ se Præsules cum Deo obstrinxerunt, ad suas omnes vires ad populorum vtilitatem personaliter impendendas: quâpropter, nullâ vnquam de ratione è Diui Augustini, sententiâ cui firmissimè adhæsi, recedam, qui ad Clerum suumque populum scribens, obtestatus omnibus est, nunquam se, nisi necessitate compellente, ab eo discessurum: *Illud enim nouerit dilectio vestra,*
D. August. epist. 138 *nunquam me absentem fuisse licentiosâ libertate, sed necessariâ seruitute, quæ sæpe sanctos fratres, & collegas meos etiam labores maximos, & transmarinos compulit sustinere; à quibus me semper non indeuotio mentis, sed minus idonea valetudo corporis excusauit.*

d. sess. 23. c. 1 Rationes autem, quibus in Synodo Tridentinâ permittitur, vt quis à suâ residen- B
tiâ absit, ad quatuor referuntur; hæ autem sunt charitas Christiana, vehemens aliqua necessitas, debitâ obedientia, & certa vel Ecclesiæ, vel Reipublicæ vtilitas: à summo Pontifice sunt hæ approbandæ, vel si longior mora non fuerit à Metropolitano, & hoc deficiente, à totius Ecclesiæ antiquissimo; patet autem, quód vel æqua, vel maior vtilitas esse debet, quæ ex absentiâ oriatur, quàm ea quæ à personali residentiâ otlreturi si hoc enim euenerit, cum innocenti, imo salutari Epicheiâ explicare licet, in huiusmodi temporis, & loci circumstantijs præceptum residentiæ suam vim non habere; si verò ex naturâ rei grauior esset pernicies quàm vtilitas, iniqua vtique, & reprobanda esset explicatio.

Bellar. exor. ad Nepot. contr. 2. Perquàm meritò igitur Cardinalis Bellarminus Theanensem Antistitem nepotem suum adhortatus ait, *Non solum attentissimè lege, quæ Spiritus Sanctus per Concilium docuit, sed cogita & recogita singula verba, causas ibi redditas, pœnas appositas, & nisi penitus excæcatum cor habeas, intelliges residentiam omninò esse ne-*
cessariam, C

Tolet. sum. l. 5 c. 4. nu 3 Genuen. prax. c. 38 n 3 Charitas Christiana tunc è magistrorum sententiâ locum habet, cum vel aliqua vicina Ecclesia esset adiuuanda, ne prauis doctrinis infecta in Catholicâ fide deficeret, vel cum inter Principes, & Magnates grauis aliqua controuersia esset componenda.

Tolet & Genuen. vbi supra. Iam quoad grauem necessitatem, ea tunc emergit, cùm nisi Cælum immutet, graui suæ periculo valetudinis laborat, quæ eo modo intelligas velim, quò inferiùs explicabitur.

Debita autem obedientia tunc versatur, cum è Pontificis præcepto ad Ecclesiæ vniuersalis vtilitatem aduocatur, dummodo tamen opere eo, quodcumque
Azor inst. mor p. 2. l. 7 c 4 illud fuerit, absoluto, suam Episcopus, nullâ affectatâ morâ, repetat sedem; licet enim summus Pontifex iustâ absque de ratione nullum à residentiæ vinculo queat absoluere, potestatem tamen habet, quâ ius diuinum iuxtà rectæ rationis aut charitatis leges interpretetur. Sapientibus & tùm pietate, tùm eruditione præstantibus viris indiget non rarò Pontifex, vt eorum operâ ad legationes fungendas, aliaque publica exercenda ministeria vtatur; quàproter fit, vt ad vni-
uersale bonum semper particulari præhabendum, si quem huiusmodi dotibus D
exornatum agnouerit, eum à Diœcesi remoueat; ab hac sanè, ingenti cum sui nominis gloriâ & populorum vtilitate, hac de causâ recesserunt Chrysostomi, Flauiani, Gregorij Nysseni, Ambrosij, Augustini, & è recentioribus Beatus Nicolaus Albergatus, Diuusque Franciscus Salesius. Quin iuxtà Ciuilium legum rationes in hoc euentu absentes præsentium loco æstimandi. *Absentia eius, qui*
l. absentia de Reg. iur. *Reipublicæ causa abest, neque ei, neque alijs debet esse damnosa.*

Adhùc tamen si hæc euenerint, vt securior conscientiâ seruetur, modestè simul, & frequenter ab imponendo munere se Antistes excusans, residentiæ onus, quo premitur, explicare potest, aliosque simul præferre viros, qui gloriosiùs, & vtilius destinatam sibi Præfecturam excipiant. Cum Pio Quarto, & Quinto supremis Ecclesiæ Romanæ Hyerarchis, hoc modo se Diuus Carolus

gessit;

gessit; quòd si adhùc in eà mente permanserit Pontifex, vt eius operà vti velit, A modestissimè ei pareat, cuius authoritas in omnes dominatur: in hoc nihilominus casu securius sibi duxit Cardinalis Bellarminus, si Capuanæ Ecclesiæ infulas Paulo Quinto Supremo Pontifici reddidisset, licet à residentiæ nexu vellet eum Pontifex Maximus absoluere. Hinc patet, quàm dubià, lubricàque vià illi procedant, qui sponte legationes, & quod deterius est, temporaneas Præfecturas affectant, & quantis angoribus conscientia nostra vexabitur, cùm breui moriturі, ab omni prorsus fuco mendacioque alienas res humanas inspiciemus. De ei.svit c. 18

Hic verò ad mei nominis iustam defensionem breui euager necesse est; cum enim tot tantisque legibus Episcopos obstrinxerint ad residentiam habendam; meam ego Diœcesim deseruerim ad Neapolitanam legationem exercendam. Diuinâ sanè sapientiâ tunc temporis se Romæ mundique negotia ità habuerunt, vt optimè omnibus innotuerit, me tùm merito, tùm voto ab eo munere prorsus alienum, proprio, vt aiunt, motu, à Maximo Pontifice Innocentio X. ad illud B accersitum.

Candidè quidem fateor, non eâ me fortitudine, quâ fas erat, eâ opportunitate excusasse, eamque tùm corporis, tùm animi imbecillitatem explicasse, ne tàm excelsi, sapientisque Pontificis sententiæ aduersarer; quod si hac in re aliquâ ego me labe pollui, Illustrissimos Collegas meos enixè deprecor, vt veniam mihi à Dei pietate exorent; sanè nunquam ad Ecclesiæ meæ abdicandam Præfecturam animum adduxi, tùm è paterno, vehementique amore, quo eam prosequor, tùm vt mei populi votis indulgerem, cuius ardentissimis precibus vrgebar ne eum hac de causâ desererem, cùm præsertim breui me absuturum, vt postea euenit, sibi etiam suaderet. Præterquam quod è sermone, quem olim eum Cardinale Bellarmino habui, compertum mihi fuit, non semel de suâ abdicatâ Ecclesiâ eum pœnituisse, eò quod post obedientiam in labore sublato supremo Pontifici præstitam, diu adhuc suæ sponsæ inseruire valuisset.

Certa demùm suæ Ecclesiæ vtilitas in eo versatur, vt vel Romæ, vel alibi suæ C Ecclesiæ vtilitas defendenda sit, vel ad Concilia accessuri sint, vbi non ea tantùm quæ ad propriæ Diœceseos, at etiam quæ ad vniuersæ Christianæ Religionis commodum spectant, pertractantur; pastoralis hic ardor concipitur, vt postea ad aliorum salutem effundatur, hîc dogmata firmantur, hic roborantur fides, hic mores expurgantur, hic denique tota Christiana Respublica illustratur simul & coronatur. Ad Reipublicæ etiam commodum hæc se effundit vtilitas, quâ vel suam Ciuitatem, vel Regnum totum afficiat; dummodo tamen alienâ virtute non possit hæc illis vtilitas comparari. Statuit igitur Cardinalis Bellarminus, quòd eum è lege, quâ gregem custodire, & educare tenetur Antistes, exactamq; ouium suarum rationem Deo reddere, suâ ab Ecclesiâ recedere nullatenus possit, quàm plurimi hac ætate maximè periclitentur Episcopi, ne è tantâ, quam sibi arrogant, à Diœcesi abeundi licentiâ, æterno interitu puniantur. Tolet. & Genuen. vbi sup. Bellar. in admo. ad Nep. contr. 1.

§. I.

D Quid ergo sine Pastore grex, quid populus temporaneis his rebus obcœcatus, suo Duce, suàque luce destitutus operetur? vt enim Constantinopolitanus Patriarcha Athanasius asserit (toto Cœlo aberrant, qui nominis vniformitate decepti, Alexandrinum Patriarcham Athanasium hunc esse arbitrantur) *perindè esse videtur gregem abesse à Pastore, vt cæcum duce carere*; an stygiorum procorum fraudibus, & lenocinijs, quibus assiduè fortiter oppugnatur, Sponsa Ecclesia, tanquam altera Penelopes intacta seruabitur? an eius pudorem suamque simul famam tueri poterit absens Antistes? arduum planè opus, quod consequi ipse nunquam poterit, nisi, licet optimi Vicarij operâ adiutus, curâ, legibus industriâ se præsentem Diœcesi reddiderit, & circinum imitatus, qui per circumferentiæ orbem pede vno diuagatus, in medio eum altero immoratur, ibi animo studioque adhæreat, vbi cum corpore versari non potest: Athan. ep. 1 ad Episcop. recen. to. 2 Biblios.

ad

ad quam rem de discessione, quam coactus à suâ Constantinopolitanâ Sede Diuus Chrysostomus habuit, eique accommodans progressionem, quâ ad Sinai montem Moyses accessit, ait, *Moysi accidit, quod in sæculari coniugio solet euenire: Etenim vir quando impudicam vxorem habere se nouit, nec prospicere de domo ei permittit; quòd & si peregrinari aliquando coactus fuerit, cogitat citò reuerti, quasi quodam suspicionis aculeo stimulatus.* Quis igitur Episcopus de suæ sponsæ pudicitiâ seruandâ fidem habeat, dum eam paucorum pietate suffultam, multorum improbitate videt obsideri? A

D. Chrysost. hom. de suo gressu.

Egregium de hoc exemplum Paulus Episcoporum Idęa nobis reliquit, dum Pastores damnans, qui corpore quidem præsentes, sed animo frequentèr absentes, gregem desidiosè custodiunt, animo & dilectione Corynthiæ Ecclesiæ aderat, dum corpore ab eâ recederet: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu*; nec enim Philippensi populo, quem tunc laboribus excolebat, sudoribus irrigabat, & alios etiam populos cogitatione & animo peruolabat, iuxta ea ipsius verba, *Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum*; quàpropter meliore sui parte se ipsum Corynthijs præsentem meritò prædicabat: *Quia per spiritum cognoscebat ea, quæ apud ipsos agebantur, ac si præsens esset.* Sic Diuus Thomas. B

1. Cor. 5.3

2. Corint. 2. 18

D. Tho. in Corint. 5

Pauli vestigijs optimè adhæsit Episcoporum lumen Ambrosius, qui semel à suâ Ecclesiâ abire coactus, vt alterius necessitati prospiceret, ad suos inde reuersus, seque pro concione illis habitâ apud eos excusans, asseruit se maximè anxium, & sollicitum in absentiâ suâ fuisse, *Ne quis me absente per negligentiam caderet, ne quis Diaboli insidijs laberetur*; Sic etiam Diuus Gregorius Nyssenus, qui plures recedere à suâ Diœcesi coactus, tantâ capiebatur tristitiâ, vt ad sui solatium Præsulis alterius sermone indigeret, qui Soli eum comparauit, qui perpetuo, quo circum voluitur, motu, beneficentissimum se exhibet vniuerso.

D. Ambros. ser. ad Aduent.

D. Gregor. Naz. ep. 34

Egregia pariter ad rem hanc ea sunt, quæ Diuus Augustinus necessitate quadam coactus ad suam relinquendam Dięcesim, ad eius populum, & Clerum exarauit; eum enim ad pietatis studium hortatur, ad virtutum amorem, ad vitiorum fugam, ad rerum cælestium desideria, ad terrestrium contemptum, & quia calamitatum ingruentium causâ amorem pauperum, quem in eis accenderat, refrigescere in eis audiebat, ad eum induendum vehementèr eos excitat, vt eo ardore illis subueniendis incumbant, quo ipsi calamitatibus vexabantur, hæc demùm statuit: *Talia mihi de vobis nuncientur, quibus nouerim, non propter meam præsentiam; sed propter Dei præceptum, qui nunquam est absens, vos solere facere, quod multis annis me præsente, & aliquando etiam me absente fecistis.* C

D. August. epist. 138.

Omitto libens Diuum Athanasium, & Diuum Cyprianum, aliosque permultos heroas, qui licet à suâ Dięcesi absentes, eius regimini eâdem planè cum vigilantiâ absentes studebant, quâ præsentes assedissent; cùm è contrà non deessent eâdem ætate, qui corpore quidem præsentes, animo tamen prorsus longinqui, à sui populi custodiâ cultuque alieni, toti essent, vt vel suis rebus consulerent, vel inter solatia se detinerent, & sibi accommodatum ministerium negligentes, sęcularibus rebus intenti, dum adessent, abessent. Ex his quendam indignatus semel Diuus Augustinus, eumque vt mercenarium Pastorem increpans ait, *Mercenarie lupum venientem vidisti, & fugisti*; quid fugi? sic ille respondere poterat, vides, vt meo loco insidens meo gregi præsens euigilem; ità quidem, sed ignobiliori tui parte ades, dum nobiliori iam propè discesseris; è tuâ huiusmodi præsentiâ non adesse, sed abesse dicendus es, *fugisti, quia tacuisti: corpore stetisti, spiritu fugisti.* D

D. August. tract. 40. in Ioan.

An

A

An vel bello, vel pestilentiâ, vel persecutione grassante, recedendum à Diœcesi Episcopo sit. Cap. XLV.

TOT calamitatum irruentium procellis nostra hęc miseranda vita vexatur, tot vndique vel terrarum insidijs vel inferorum versutijs obsidetur, tantâ sæuientium morborum lue corripitur, tot vicissitudinum fluctibus agitatur, vt fęlicissimus ille dicendus sit, qui eius cursum pio simul, & illustri fine possit ab-
B soluere. Adcò tamen sui natura amans est, vt ad se conseruandam vires omnes impendat, & totis nixibus adlaboret. Hinc exundantis fluminis instar Africæ campos Vandalis alijsque barbaris occupantibus, inter famæ illustris Episcopos non leuis contentio emersit, quâ inquirebatur, an huiusmodi opportunitate se dante, saluti suæ consulere fugâ fas sit.

Eâ mente pollebant aliqui; vt prodigalitatem quandam æstimarent, si Præsulis vita, cui tot populorum salus innititur, tàm aperto discrimini objeeetetur: alij ex aduerso afferebant crudeliraris quoddam genus esse, si tot inter pericula suus Pastor gregi deficeret: suæ suffragari sententiæ supremum cælestemque pastorem illi æstimabant, ea verba afferentes: *Cum autèm persequentur vos in ciuitate istâ, fugite in aliam.* Matth.10.23 Si ergó cùm aliqua pro Christi nomine fundendi sanguinis spes è fugâ non peractâ prætulget, fuga ipsa mandatur, quantò magis hostiles incursiones nullius palmæ feraces erunt fugiendæ? suam hi opinionem fulciebant, cò quod, vt veri Pastores ij tantùm Ioannis ore à Christo Domino
C commendarentur, qui ad sui gregis salutem defendendam, discrimina cuncta deuorarent; cùm è contrà vt mercenarij Pastores ij arguerentur, qui ad luporum Ioann.10.11 venientium aspectum, eum deserentes se turpi fugæ committunt. *Bonus pastor* &12. *animam suam dat pro ouibus suis; mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues & fugit.* Spectatissimi semper Athanasij exemplū primi illi præferebant, hic etenim animo licet strenuissimo obarmatus, Arianorum tamen rabiem sæpius fugâ declinauit, cui pariter socius Diuus Cyprianus fuit, qui à Decij persecutione immanissimâ se subtraxit, suam Diœcesim relinquens: Apostoli exemplo alij vtebantur, qui ad im- 2 Cor.12.15 positi gregis salutem seruandam, non semel, at millies vitam fundere exoptabat. *Ego autem libentissimè impendar, & superimpendar ipse pro animabus vestris.*

Inter hæc piarum contentionum certamina vt suæ satis conscientiæ vtrique facerent, ad Diuum Augustinum sacrum veluti ad oraculum confugerunt, & D. August. Carthaginensem Antistitem Quoduultdeus exorarunt, vt ab eo sententiam ep.180. suam exprimeret, quâ difficultatum vtrimque nexus soluerenrur. Quia tamen Laconico potius, quàm Asiatico stylo suam responsionem Diuus Augustinus
D exarauerat, vt suâ è breuitate obscurus aliquibus fuerit, ad Honoratum Tabanensem Antistitem rursus accesserunt, vr luculentiorem ab eodem explicationem extorquerent. Paruit Augustinus, eamque tunc temporis epistolam scripsit, quæ singularem eius in re litterariâ præstantiam, & perspicacissimæ mentis acumen ostendit; in eâ enim præter alia, duo ea ex Euangeliorum codice posita loca, quæ mutuò sibi repugnare videntur, tàm mirabili nexu inter se concordat, vt enodata penitùs difficultas omnibus euanescat.

Duo igitur euenire posse satis sibi dissonantia Augustinus obseruat: primum est, cùm in ipsammet Episcopi personam persecutio efferuescit; secundum verò cum non tantùm in eum, sed in subditos omnes ea pari furore grassatur: iam de primo agentes (non hìc eas persecutiones intelligas velim, quæ domesticæ sunt, sed quæ exterâ vi commouentur, cùm de illis iam superiùs egerimus) licitam esse fugam

fugam habemus, dummodo ministros euismodi relinquamus, qui nostras vices explere vtiliter, & idoneè possint; quin non tantùm eadem fuga probatur, sed A iubetur, vt imminens periculum declinantes ad maiora subeunda pro subditorum vtilitate nos ipsos seruemus incolumes; do eius verba: *fugiant omninò de Ciuitate in Ciuitatem, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quaritur, vt ab alijs, qui non ità requiruntur non deseratur Ecclesia; sed prabeant cibaria conseruis suis, quos aliter viuere non posse nouerunt*: quod Christi Domini exemplo roborat, qui Herodis furore vexatus, dum adhùc infans nullum præsentiâ suâ afferre valebat commodum, passus est, vt in Aegyptias oras transferretur.

2.Cor.11 Pauli itidem exemplum addit, qui ad inimicorum vim effugiendam, mortem ipsi intentantium, per fenestram sporræ ministerio elapsus abscessit; cuius vestigijs adhæsit Alexandrinus Patriarcha Athanasius, cum Constantij Cæsaris insidijs appetitus, ingenti vitæ discrimine laborabat, cum cęteroquin religiosissimos & maximè idoneos ministros illi prius populo reliquisset.

Sic etiam Carthaginensem suam Sedem Diuus Cyprianus omisit, vt è plurimis epistolis constat, quas eo temporis interuallo ad Clerum scripsit, è quibus hæc B

D.Cyprian ep.36 accipe. *Oportet nos tamen paci communi consulere, & interdum quamuis cum tadio animi nostri, deesse vobis, ne prasentia nostri inuidiam, & violentiam gentilium prouocet, & simus auctores rumpenda pacis, qui magis quieti omnium consulere debemus.*

Quia tamen celerrimo famæ volatu Romam vsque eius fuga peruenerat, ad Carthaginensis Ecclesiæ subsidium Clerus Romanus (supremâ eo tempore Diui Petri Sedes vacabat, eò quòd pro Christi fide gloriosè occubuerit D. Cornelius) ad eam scripsit, eique salutaria documenta, quibus suo absente Pastore,

apud Cypr. ep.3 suam pietatem foueret, copiosè subministrauit: ad hæc Diuus Cyprianus, vt fugam suam, quam aliqui damnauerant, honestaret, plures Epistolas ad Clerum

D.Cyprian ep.15. Romanum transmisit, quibus suam vigilantiam ostendebat, quâ vel absens suo populo gubernando præerat: *Nam sicut Domini mandata instruunt, orto statim tribulationis impetu primo, cum me clamore violento populus flagitasset, non tàm meam salutem quàm quietem fratrum publicam cogitans, interim secessi, ne per inuerecundam prasentiam nostram seditio, qua caperat, plus prouocaretur: Absens tamen corpore, nec spiritu, nec actu, nec monitis meis defui, quominus secundum Domini pracepta fratribus nostris, in quibus possem, mea mediocritate consulerem*: quod idem egregiè à Diuo Athanasio peractum non ignoramus. Huic opinioni Diuus etiam Aquinas cum totâ Theologorum coronâ suffragatur. C

De Secundo iam agentes perpendamus oportet, an persecutio omnes etiam

D.Tho.2.2 q.185.art.5 sacros viros, vel totum simul populum inuadat, euiusmodi esset, si vel belli, vel pestilentiæ turbo irrueret; hic enim statuit, nullatenus ad suam incolumitatem seruandam gregem esse relinquendum. *Cum autem omnium; id est Episcoporum, & Clericorum est commune periculum, ij, qui alys indigent*, non deserantur

D August. d.ep.180 ab his quibus indigent, nisi vnà eum Præsule totus ille populus abire voluerit, aut pariter viuant, aut pariter sufferant, quod eos pater familias volet perpeti, & qui secus fecerit, mercenarius ille est à Diuo Ioanne descriptus. Nec viles vocandæ sunt huiusmodi persecutiones; si enim eò quòd eas euitare noluerit, moriatur, & ad spiritualia adiumenta subministranda interritâ præsentia populo adhæreat, pereat, adhue martirij coronâ Dei beneuolentiâ donator ea etiam illustriori, quàm pro Christianæ fidei confessione sibi compararet, *Nam qui clades* D

D. August. vbi supra *hostiles ideo non fugit cum possit effugere, ne deserat ministerium Christi, sine quo non possunt homines vel fieri, vel viuere Christiani: maiorem charitatis inuenit fructum, quàm qui non propter fratres, sed propter se ipsum fugiens, atque comprahensus non negat Christum, suscipiatque martyrium.*

D.Thom.2 2.185.art.5 Hanc Diui Augustini sententiam de mote Diuus Aquinas amplexatus ratione eam suffulcit; cum enim ad suum præcipuè finem quælibet lex dirigatur, cum ad salutem subditorum excolendam in ijs omnibus, quæ personalem eius præsentiam requirunt, teneatur Antistes, vel ad vitæ periculum fugiendum, deserere eam non potest, sed potius eam, pro suis ouibus offerre, & obiectare tenetur.

Si

Si verò subditorum saluti possit sufficienter in absentiâ pastoris per alium prouideri, tunc A *licet pastori, vel propter aliquod commodum Ecclesiæ, vel personæ periculum, corporaliter gregem deserere.* Sic Aquinas. Expendit hoc loco Caietanus, è maiori, vel minori Ecclesiæ bono, præsentiam vel absentiam Episcopi esse desumendam, hoc est, an magis vel minus expediat, vt tot inter necessitates ei adsit Antistes, vel potiùs libertatem, & vitam seruet incolumem. Consonat his pariter Suatij opinio docentis, quòd si vel persecutionis, vel belli, seu pestilentiæ tempore Episcopi præsentiam populi salus exposcat, adesse illi ipse tenetur, & euicumque se periculo obijcere; si verò, eius præsentiâ non egeat, cum aliorum Mystarum ministerio consuli necessitatibus possit, capessere vtique fugam potest; Quin, cum ad sacramenta ad salutẽ necessaria administranda non teneatur Antistes, nec enim causæ vniuersalis instar ex se operatur, sed satis est, vt aliorum, puta Parochorum, operâ vtatur, tanquam causâ magis proximâ, & cum alia minus saluti necessaria explere etiam possit idonei Vicarij instrumento, fit, vt sicuti commen- B datissimus erit, si pestilentiæ tempore suo non recedat à grege, sic etiam cogendus ad hoc idem non sit, cum propriæ saluti possit suâ fugâ consulere, licet Parochi, vel Vicarij lex seueriori, & arctiori vinculo eos obstringat.

Caiet. d. q. 185. a. 5

Suarez l. 4. in 3 D.Th. disp. 44. sect. 3. n. 9.

§ I.

HVC vsque igitur iustitiæ lex se porrigit: his tamen limitibus adeò angustis Pastoralis charitas non definitur; maiora quærit spatia, quibus vires suas efferat, & temporaneæ mortis metum exuperans, suæ indulgeat pro aliorum salute dilectioni.

Illicitam in Præsule fugam esse tunc docuit Abulensis, cùm vel populorum ex ea offensio orirerur, vel fidei detrimentum, vel populorum periculum, vel eo- C rum deficientia, qui Diuinum verbum, & sacramenta suppeditarent; commendandam verò, licitamque eandem fore, cùm nullo ex his incommodis emanante, populorum bono eius incolumitas perquam necessaria est, & ad hunc finem ipse eandem seruans, eorum pietatem confirmat, nouisque subministratis viribus ad præsens certamen obarmat. Licitam demùm sed non commendandam eam fore, cùm ex animi imbecillitate, & vel mortis, vel alterius aduersitatis metu à discrimine præsenti recedens, debitæ torporem charitatis ostendit. Iam verò charitatis est, vt ea non sibi licita putet, quæ commendanda non sunt, ne Dei liberalitatem in se videat diminutam; eâ cum largitate se Deo Diuinisque ministerijs charitas impendit, quâ Deus ipse ad bonum ipsius charitatis se præbet: sagittarius, qui laxatam & infirmam cordam arcus agnouerit, ni suprà designatum scopum collimauerit, facilè admodum est, vt inferiùs sagitta conuersa, optato ab ictu declinet.

Abulen. in Matth. 10.

Sui populi Antesignanus Episcopus est; eam ergo laudem sibi ipse promeretur D si soli sibi prospiciens, suas acies inter pericula deseruerit, quâ Dux ille donatetur, qui dum acies aperto marte decertant, prælium deserens quieti se daturus abscederet.

Suæ Ecclesiæ Nauarchus Antistes est; si ergò nefas ipsi est, vt tranquillo blandoque mari suæ regimen nauis omittat, quantò fœdius erit, ab eiusdem administratione secedere, cùm fluctibus decumanis quatitur, tempestatisque furori eâ relictâ, portum inquirere, vnde fluctuantis nauiculæ discrimen agnoscat? Egregiè hæc idem Nicolaus Pontifex adnotauit ad Homisfridum Motinensem Antistitem scribens, vt in sacris Canonibus habetur. *Quòd si perniciosum est, protetam in tranquillitate nauim deserere, quantò magis in fluctibus?*

c. suscitatis 67. 7 q. 1.

Subditorum Parens ipse est, suæque sponsus Ecclesiæ: si ergo naturalis hoc amor efficit, vt inter pericula irretitos filios non deserat pater, nec coniugem sponsus; sed ad cuncta paratus, gladiorum minas occurrat, ipsamque mortem vltrò amplexetur, vt eorum vitam seruet incolumem, iuxtà ea Augustini: *Omnia sæua, & immania facilia, & prope nulla facit amor*; an non validior erit spiritalis

D. Augusti. serm. 9. de verb. Dom.

amor, vt faciliùs pericula cuncta repellat, & superet? tàm enixus amor coniugem inter, & sponsum exardere debet, quàm arctus ille nexus est, quo sibi inuicem obstringuntur. Commendatissimus hàc in re omnibus fuit Illustrissimus è Græcia Antistes Chrysostomus; vt liber in exilium abiret, iussus hic fuit, sed ne aliquid operaretur licet necessitate compulsus, quo eorum potestati populum suum traderet, quorum nequitiâ, & doctrinâ vitiari posset, inuictam constantiam amplexatus, miseranda licet, & luctuosa sibi ipsi portenderet, ab eo recedere recusauit: sed eius verba excipe: *etiam si fluctus insurgant, etiam si Principum furor innadat: omnia mihi aranea sunt, & araneis fragiliora: nemo enim nos à nobis poterit diuellere: quos enim Christus coniunxit, homo non separabit* A

D. Chrys. hom de expulf. ipsius.

Non imparem alium dedit Italia, qui Valentiniani Cæsaris interrito vultu mandata recipiens, vt se in exilium amandandum accepit, damnanti Cæsari respondit, quód sicut olim à suo parente suis humeris impositam Episcopus Præfecturam validè detrectauit, sic iam nullatenus a sibi commisso populo vel posse, vel velle recedere: cùm autē Cæsareo rursus vrgeretur imperio, ad Duces, & Tribunos eius conuersus, malle se ait Episcopales, quas induebat infulas, sui murice sanguinis colorare, quàm suo gregi suâ absentiâ deficere. In eius tantùm personam collimare, & sæuire persecutio videbatur, sed re verâ in ipsammet Religionem conspirabat, cùm Iustinæ Cæsarissæ fraudibus filij sui Cæsaris authoritate roboratis ageretur, vt Arrianam hæresim profitentibus Templum in Mediolanensi vrbe aperiretur; suam potius vir fortissimus deuouere vitam voluit, quàm cum tantâ Diuinitatis iniuriâ, & nominis Christiani dedecore occasionem eam pati, quâ Christianus populus posset Arrianis sordibus inquinari. Veri Patris, veri sponsi est, cum sponsâ, cum filijs mori, non sibi, sed illis indulgere, non tempori inseruire, sed Deo. B

D. Amb. l. 7 ep. 30.

Pastor demùm sui gregis ipse est; an igitur ab eo abire patietur, cùm non vtilis ei tantùm, sed necessaria eius præsentia videatur? sibi tantùm pius ipse erit, cum eâ calamitatum vi grex suus obruetur, vt feris ipsis sui pietatem inferreret: apagè hoc à nobis, air superiùs laudatus Nicolaus Pontifex. *Quod præcipuè nos, qui tanquam arietes ducatum gregibus præbemus; immò qui, & horum Pastores sumus Deo auctore, cum eis in periculis pro viribus persistere pro certo conueniet*. Quânam ratione sui gregis rationem is referet, qui fugâ turpissima se ab eius custodia subduxerit? quód si Christus Dominus discrimen designans, quo à Pastore mercenarius differt, ait, illius esse, vt pro ouibus suis mortem appetat, huius verò, vt his relictis suæ tantùm vitæ prospiciat, an Pastoris ille nomen, & munus præferre videbitur, qui mercenarius est? *Hæc enim inter Pastorem, & mercenarium est differentia. Alter propriæ, contemptis ouibus, alter suâ cotemptâ, ouium semper saluti inuigilat*. Sic Chrysostomus. C

De sciscitatio.

D. Chryso. hom 59. in Ioan.

Haud facilè est, vt prosperè cunctis feliciterque cedentibus, Pastor verus à mercenario distinguatur: labes suas non rarò tam versutè, & callidè mercenarius velat, & ornat, vt vel virtutes videantur, vel saltem vitio eis verti non possint; ad labores, & pericula tanquam ad lydium lapidem experimentum veri amoris habetur, & an aurum obrizum sit agnoscitur; personam hæc à vultu remouent, eiusque veritatem probant; *Vtrum Pastor sit vel mercenarius, quispiam cognosci veraciter non potest, si occasio necessitatis deest: tranquillitatis enim tempore plerunque ad gregis custodiam, sicut verus pastor, sic etiam mercenarius stat sed lupus veniens indicat quo, quisque animo super gregis custodia stabat*. Sic Diuus Cyrillus. Quandònam validiori rabie in oues humanas stygij lupi ferociunt, quandonam liberiori licentia per vrbes flagitia grassantur, quàm bellorum, & pestilentiæ tempore? an igitur sui magis corporis, quàm tot animarum periculo commouebitur Pastor, plurisque ducat paruulam temporaneæ mortis moram, quam periculum, quo æternùm populi sui ingemiscant. D

D. Cyrill. 17. in Ioan. c 5.

Pastorum Princeps, cum semel angorum vi quantum iactus est lapidis abesse cogeretur à suis, *& ipse auulsus est ab ipsis quantum iactus est lapidis*, orationis gladio eos obarmauit, vt ab omni periculo præstaret immunes, *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*: quo ipse significauit, quàm indecorum Episcopis sit,

Luc. 22. 40.

fit, calamitatum tempore non breui tantùm, sed longo interuallo à suo grege re- Salm. 10. 10.
A cedere: *significauit parua illa distantia, quia Prælatus non debet separari à grege,* 11. 12.
maximè tempore tribulationis.

§. II.

NEC satis sibi Episcopus fecerit, si peritum, idoneumque Vicarium inter huiusmodi pericula populo suo reliquerit: quis enim certiorem eum fa- Ioh. 10. 13.
cit, quòd dum suæ incolumitati verus Pastor incumbit, alienæ prospicere mercenarius velit? an constantior, & generosior iste fuerit? an quam semel ostendit fortitudinem &, fidem semper inconcussam seruauerit? profectò ea, quæ ad mercenarij fugam designandam descripsit Christus Dominus, in huiusmodi administris optimè coalescunt. *mercenarius autem fugit quia mercenarius est*, vides
B illic mercenarij animum; finem rursus adnota quo ad stipendium fertur, *& non pertinet ad eum de ouibus*. Pastor ipse haud est, cui suas Deus commiserit oues; temporanea non perpetua eius est Præfectura; alienum gregem paternâ ipse dilectione prosequi non tenetur: rationes simul has Diuus Gregorius innectens ait, *sola enim causa est, vt mercenarius fugiat, quia mercenarius est. Ac si apertè diceretur, stare in periculo ouium non potest, qui in eo quod ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terrenum quærit*; fortuitò igitur accider, vt mercenarius, vt Vicarius detur, qui dum Pastor ad suam vitam seruandam suo se à grege subduxit, eum inter mortis discrimina velit custodire; an igitur tam infirmâ tam imbecilli, ambiguaque ratione, pondus illud, quod *de iure diuino* nobis impositum est, fulcietur; an plenè nostræ conscientiæ satis factum putemus è re, quæ *per accidens* consequetur?

Præterquam quòd quis securitatem nobis affert, quód ad Episcopi fugam Lithurgi alij vel non offendantur, vel exemplum inde capessant suæ vitæ ser-
C uandæ, eius imitati vestigia, quem ad suorum morum exemplar Deus illis exhibuit; Sapienter hæc expendit in eâ, quam sæpius memorauimus ad Honoratum epistolâ, *Sed quandò commune est periculum, magisq, timendum est, ne quisquam id facere credatur, non consulendi voluntate, sed timore moriendi; magisque fugiendi obsit exemplo, quàm viuendi prosit officio, nulli ratione faciendum est.*

Cùm ad ritus Hebræos exscindendos, & Numinum mendacissimum cultum disseminandum, sui exercitus Ducem satellitio ingenti stipatum scelestissimus Antiochus misit, vt per summos immanesque cruciatus ad suas leges abolendas Iudæos adduceret, clarissimum quendam tum sanguine, tum moribus senem Eleazarum nomine validarum rationum vi agressus fuit, vt ad fœdam mortem euitandam, vetito saltem vesci cibo simularet; erubuit ad hæc ille, suumque animum ad excelsiora facienda erigens respondit. *Præmitti se velle in infernum.* 2. Matth 6.
Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere, vt multi adolescentium arbitran- 24.
tes Eleazarum nonaginta annorum transiisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, &
D *per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram.* Execut am iam ille securim inspectabat, vulnusque manu Carnificis infligendum iugulo ferè sentiebat, ne tamen alios exemplo suo ad scelus alliceret, suique nominis illustrem famam tam obscuro opere denigraret, collum gladio suscepit, istumque excepit impauidus: & Præsul quem mortis præsentia non terret, & quem Diuini auxilij virtus inter lethalia pericula seruare posset incolumem, non dubitabit alienam fortitudinem suo timore corrumpere, turpique suo exemplo alios allicere, vt sibi commendatam populorum prouinciam indecorâ discessione relinquat?

Ex aduerso autem, quàm speciosa seges ea est, quę pręsentis Episcopi manu colligitur? vel tacens eorum ipse increpat metum, & gressus refrænat, qui se fugæ committerent; vt suammet inter pericula vitam obijci à Præsule viderint, rubore suffusi suam quoque facili generositate contemnent: Ad eius sermonem, qui metuunt obiurgantur, qui tepescunt accenduntur, qui elaborant roborantur, &

prouentuum necessitate ad varia munera varij aduocantur: si defatigentur, si moriantur, si ægrotent, alios eorum loco substituit, sibique multo promptiores ministros habet, quàm si Vicarij mandatis vrgerentur: Paræcias inuisit, ad patientiam, ad pietatem, ad sacramentorum vsum, ad æternæ salutis amorem ægros simul, & incolumes adhortatur; afflictos solatur, egenos erigit, ne bello, & pestilentia, fame crudeliori crucientur, beneficia omnibus impertitur, imperitasque ab omnibus laudes excipit hilarissimus. A

Quot stupra, quot furta, quot scelera, quot flagitia, suâ ipsius solâ præsentiâ arceantur, & coerceantur, quantùm solatij ex eius aspectu timidi, & imbelles excipiunt, quantam Sacræ Virgines securitatem, quibus parentis loco Præsul est? tanta ne igitur, tamque varia prestare ipse poterit, si absens fuerit, operaque alienâ vtatur? commendatus ne nobis ille erit, qui muneri suo deficiens eâ temporis opportunitate à grege suo recedit, quâ, necessitate compellente, maioribus laborat incommodis? an pretiosiorem suam vitam faciet, quàm tot spiritalia adiumenta, quibus Dominicum gregem exornet, & beet? an potius, ex

Act 20. 24. Apostolo illud vsurpet, *sed nihil horum vereor, nec facio animam meam (id est vitam meam) pretiosiorem quàm me: dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à Domino Iesu*, vt illi Augustinus consonet eadem Pauli B

D. Aug. 57. in Leuit. verba explicans. *Et tamen pretiosiorem faciebat, cui tantùm meritum conquirebat*.

Si verò fuerit aliquis, qui ad eius fugam celerius prouocandam, vt eius conscientiæ tranquillitati cumulatè prospiciat, afferat, non iustitiæ opus esse, at virtutis, vt tot periculis obsessus, adhoc cum suo grege permaneat. responsionem illam promptus emittet, quâ Diuus Carolus vtebatur, quòd scilicet, cum in ex-

Giussan. in vit. S. Carol. l. 4. c. 14. cellentissimo virtutum statu versetur Episcopus, magis ad illa facienda cogitur, quæ celsiora sunt, & fortiores vires, & viros efflagitant.

Præterquàm quòd, cùm ad populorum scelera castiganda plerumque his calamitatibus Diuinus furor vtatur, Episcopi est ad priuatas, & publicas preces, ad solemnes supplicationes, ad ieiunia voluntariaque supplicia gentium animos excitare, seque ipsum ad Dei furorem tranquillandum Deo hostiam deuouere. C

Num. 18. 46. Cùm tumultuantem Hebræum populum imbre flammarum demisso compescuit Deus, virgâ vtique suâ extinguere eas poterat Moyses, Aaroni tamen mandauit, vt thimiama præferens illuc accederet, eosq; medius ignis ingrederetur, vt ostenderet Episcopi esse, ad populi sui salutem pericula omnia deuorare, diuinamque indignationem precibus suis extinguere.

Sur. in vit. Antoni. 2. Maij. Quid de Româ, de Florentiâ, de Mediolano esset, si illi Diuus Gregorius, huic Diuus Antoninus alteri Diuus Carolus defuissent, qui semer ipsos obliti, suoque tantùm de grege sollicitì, precum armis, & machinarum lachrymis Cæli sæuientis iustitiam emolluissent, Dei amorem pijssimis eruptionibus expugnassent?

D. Gregor. l. 8. ep. 41. Ad Dominicum Carthaginensem Antistitem scribens Diuus Gregorius, eum adhortatur, ne pestilentiâ immanissimè debacchante ab eâ vrbe recederet, sed vt sermone simul, & exemplo ad preces, ad pietatem, ad scelerum fugam, ad sacras lachrymas populum excitaret. *Nam inter flagella positos flagellis digna committere, contra ferientem est specialiter superbire, & sæuientis acrius iracundiam irritare: atque est primum genus dementiæ nolle quemquam à malis suis iustè quiescere, & Deum iniustè à suâ velle vltione cessare*. D

His fœliciter artibus ex ingenti pestilentiâ Dauid euasit, precibus enim, & irriguis fletibus obtinuit, vt pestilentiæ virus euanesceret, vt Rabbinorum sen-

Ly. in psal. 6. 3. Reg. 1. 1. tentiâ docet Lyranus, ad percussoris Angeli aspectum terrore tanto percussus, vt suæ totius vitæ interuallo per membra omnia refrigescens, ad corporis fouendum calorem, vt in Regum historiâ habetur, plures vestes exigeret.

Quin Ethnicis ipsis superstitionum caligine obscuratis hoc innotuit, nullum scilicet ad diuinam indignationem extinguendam præsentius esse remedium, quàm precibus enixis Dei opem implorare; Vt ad Phœbi oraculum populus

supplex

A supplex accederet apud Virgilium Anchises admonuit, vt propitium sibi supplicationibus & precibus Deum faceret, Populum Romanum Tullius Hostilius excitauit luctuosâ pestilentiâ laborantem. Orator ipse Romanus eiusdem calamitatis originem, Diuo Augustino narrante, perscrutatus, oraculorum responsione habuit, Deorum indignatione luem iterum in eam Vrbem immissam, eò quod Deorum templa ciuium aliquorum licentia prophanauerit. Si verò his submouendis non studuerit Antistes cuiusnam operâ peragantur? præterea quis ignoret, quàm pergrata Diuinis auribus ea precatio sit, quâ ad idem obtinendum suo simul cum grege Episcopus ipse conspirat? Aeneid. l. 3. Titus. Liuis l. 3. D. August. l. 3. de Ciuitat. Dei c. 7.

Hinc, cùm pestilentiæ tempore Brixiensis Antistes ad se seruandum incolumem ab Ecclesiâ suâ recesserit, eò quod è suis aulicis aliqui purulenro eo morbo perierint, eius torporem, quo sibi commissos populos tam graui necessitate laborantes deserebat, validissimis epistolis Diuus Carolus animaduertit, mandauitque insuper, & nullâ productâ morâ suam vrbem repeteret, quod ille pro- Giussan. in vit. l. 4. c. 11
B tinus fuit exequutus. O commendandum, ò admirandum sanè Pastorem.

Egregium, & planè heroicum Pompei Magni facinus hic mihi memorandum occurrit; cum enim Romam fame immanissimâ laborantem naues aliquot frumento onustas ducere deberet, cùm à Nauarcho accepisset non opportunum nauigationis tempus fore ex ingenti fluctuum mole, quo irarum mare despumabat, illud omnibus audiendum magnaniomè respondit, *Vt nauigemus vrget necessitas, vt viuamus non vrget*. O Regalem sanè animum, o plusquam Regales voces non alio quàm è famæ pennis euulso calamo describendas! O inuictam constantiam periculis ipsis, ipsique morti insultantem! O maximum erga Patriam amorem: Ethnicum ne virum imitari nesciret, qui Episcopus est Pastor, Pater, Sponsus, Deique ipsius Interpres, cum præsertim de animarum salute, de sui gregis, suorum filiorum, suæ sponsæ vtilitate agatur? Pompeius

Vrget sanè necessitas, vt laborantibus populis succurramus, adque opem ijs ferendam vires omnes exeramus, sed non vrget necessitas vt viuamus: quinam
C gloriosior finis potest nobis haberi? quæ vnquam licet pulcherrima vita morti huic est comparanda? quæ maior fœlicitas, quàm de se ipso, de mundo, de inferis triumphum ferre, laureisque redimitum cælestem beatitatem sortiri, vt tot aliorum Præsulum numero associemur, qui vitam suam in suæ Diœcesεος vtilitatem strenuissimè profuderunt; de his audi Rupertum Abbatem loquentem, *Aspersa sunt ouilia sanguine Pastorum; maduerunt campi, cruenta sunt pascua, ditatum est Cœlum animabus, quas Patres pro ouibus posuerunt*. Rup. Abbas in c. 10. in Ioan.

Aegrotanti Antistiti Diuus Augustinus pijssimè adstabat, eique suggerens, quòd, vt suæ Ecclesiæ curam suam impenderet, adhuc longiorem vitam producere posset, illud è moriturı Præsulis ore Diuus Augustinus excepit, quod eius cordi semper adhæsit, *Si nunquam, bene: si aliquando, cur non modo?* Hæc illis responsio danda à nobis est, qui vel belli, vel pestilentiæ tempore ad nos ijs periculis subducendos adhortantur, si nunquam moriendum nobis est, benè se habet, abeamus; at si vel serius, vel ocius fato cedendum est, quod opportunius, quod gloriosius obeundæ mortis tempus præstari nobis hoc potest? Possidor. in D. Aug.

D Ea Christi verba, quibus Diuum Petrum Episcopum abrenunciauit, peracutè inuestigans Diuus Augustinus, ait protinus veluti pensionem ea alia superaddi, *Amen Amen dico tibi, cum esses iunior*, &c. *cùm autem senueris, extendens manus tuas, & alius te cinget, &c.* Vides, qui Pastoris ministerium versas, quem finem tàm sancta dignitas sortiatur. *Ad hoc ergo pertinet pasce oues meas, vt ponas animam tuam pro ouibus meis*. Inter cruces, inter compedes, inter aculeos sedem suam nostra olim dignitas habuit; è mortis contemptu lucem suam nostra folia exceperunt; cum occultis quidem, at sapientissimis de rationibus Vrbes, vel bello, vel peste affligare statuit Deus, è Cælo curiosus inspectat, an impauidi, ad ea discrimina Episcopi sint, erectoque animo turbinem illum malorum excipiant. Quod si, Plinio referente, eosdem ipsos honores, quibus olim fuit Hercules exceptus, Hippocrati Græcia statuit, eò quòd pestilentia laboranti suo labore ingenioque subuenerit, ac si egregium & heroicum æque sit opus se Ioan. 21. 17 Ioan. 21. 18 D. Aug. tr. 47. in Ioan. Plin. l. 7. c. 37.

mortis

mortis obiectare periculis, ac clauâ terras monstris expurgare: quibus non excipiendus erit honoribus, quibus triumphis in cælesti Capitolio decorandus, qui A in pericula pestilentiæ gloriosè decertans, suis pro ouibus vitam suam immolauerit? quod idem prorsus est ac pro Christi fide eam deuouere, iuxta illa Augustini, *Minister est Christi vsque ad illum opus magnæ charitatis, quod est animam suam pro fratribus ponere, &c.?* Geminâ aureolâ redimitus, magisterij speciosissimam sui pompam ad Cæli aspectum exhibebit. Quapropter Sacerdotes aliquos sacrosque alios administros & pijssimos viros commendans Diuus Dyonisius Alexandrinus Antistes, eò quòd cum pestilentiâ laborantibus opem suam ferrent, gloriosè occubuerint, spectatissimos omnibus eos concelebrat, totique posteritati commendandos, eam sublatæ mortis speciem affirmans, *propter incredibilem pietatem & robustam fidem, nihil a martyrys splendore abesse.*

D. Aug. tr. 51. in Ioan.

Eufeb. l. 7. cap. 27.

Quàm indecorum Episcopo sit, vt ad Aulam excolendam à suâ Diœcesi recedat. Cap. XLVI. B

NON pauci retroactis temporibus ex Episcopis erant, recenti hac ætate ex ijs non deest aliquis, qui hac potissimùm de causâ à suâ residentiâ abest, vt nempe Aulam Principum excolens, vel suæ maiori vtilitati prospiciat, vel suæ ambitioni indulgens illustriores præfecturas, & prophanos magistratus comparare sibi possit, sacris muneribus neglectis, eò illis dignioribus, quò Cælum terræ magis antecellit. Nec aberrauerim, si dixerim, seruili quodam genio ad illas ipsos adduci, cùm dulcius quid existiment, Magnatum beneuolentiam abiectissimis moribus emendicare, quàm cælestia munera in suos populos eriuare, gloriosiùs credant famulatum quàm dominium exercere, alijsque se C subijcere, quàm subditis suis imperare. Hinc meritò, ait Diuus Augustinus cœco nostrùm amore tale sustolli ædificium, cuius fastigium vsque ad Dei contemptum effertur. Profectò quæ vnquam oratio eam iniuriam dignè assequi valeat, quâ huiusmodi homines Pastorum Principem afficiunt, tàm abiectâ de causâ eius gregem deserentes? quàm immane hoc ingrati animi crimen est, vt tàm vili pretio celsissimam omnium, quæ de Cælo depluant, dignitatem rependas? Diuinam Episcopis Præfecturam Deus impertiuit, in suæ opulentiæ partem eos aduocauit, eòque celsitudinis euexit, vt si cœlestes spiritus inuidiæ sensu possent afflari, ipsis vtique inuiderent: populorum animas suo precioso sanguine redemptas eis comendauit, laureas, & diademata in cælesti beatitate illis perfruenda designauit: è tot santisque muneribus amoris tantùm mercedem à nobis efflagitat, quo non diuitias, Cratem Philosophum imitati, proijciamus in mare, non inedijs nos absumendos, & supplicijs voluntarijs cruciandos spontè nos demus, vel laboriosis peregrinationibus exudemus, vel mirabilia operemur, sed tantùm, vt ad nostri custodiam gregis amantèr, ac sollicitè euigilemus; sed D audi Chrysostomum, *Non dixit Christus, abyce pecunias, ieiunium exerce, macerare laboribus, mortuos excita, dæmones abige; nihil vel horum, vel aliorum miraculorum, recteque factorum in medium adduxit; sed omnibus illis prætermissis, dixit illi, si diligis me, pasce oues meas.*

D. Chryso. orat. de B. Philogon. l. 3. in fin.

Ioan. 21.

Ex aduerso proprius amor nos cogit, vt spirituales diuitias exuamus, & de Angelicis dapibus ieiunemus, vt molestijs, & angoribus cruciemur, vt è Pastore in mercenarium, è sponso in adulterum, ex Episcopo in Aulicum, è Dei administro in perituri Principis famulum nos immutemus, vt æternis caduca, veritati vanitatem, cælo terram præferamus, vt demùm spiritum carni associemus, & conscientiæ tranquillitatem simul Euripi fluctibus conformemus. Illud ergo huiusmodi viris adscribendum meritò dixerim, quod ad Desiderium Monachum qui ascéterij solitudine derelictâ, aulas speciosis rationibus excolebat, & se aulicis

A licis immiscebat, scripsit olim Diuus Petrus Damianus, cùm Eugubinâ hac Ecclesiâ abdicatâ, inclytum Auellanæ monasterium ingressus est; do eius verba. *Ego itaque Episcopatu dimisso, me quidem velut arenis expositum gaudeo: sed te mundi turbinibus adhuc atteri, ac inter hiantes pelagi fluctuare voragines, non sine fraternâ compassione suspiro. Errat, pater, errat, qui confidit se simul monachum esse, & Curiæ deseruire.* Sed longè magis aberrat, qui Deo simul & mundo putat inseruire, & aulici simul & Episcopi munus exercere. D.Pet.Damianus. Sur to.1. 6.Febr.

Tàm alieno animo fuit ab his Diuus Amandus Traiectensis Antistes, vt diù Gallicum Delphinum Dagoberti filium sacro fonte baptismatis abluere recusaret, ne Aulam Regiam frequentare cogeretur, illud afferens, quo Ephesinum Antistitem Paulus admonuit, *Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotijs, vt ei placeat, qui se probauit.* Quamuis posteà efficacissimis plurium dynastarum precibus à suâ voluntate recesserit, eò quod Catholicæ Religionis commodo satis prospiceretur, si regali beneuolentiâ suffultus Christianæ pietati dissemi- 2.Tim.2.4
B nandæ vires suas impenderet; quod inde facinus Diuina postmodum authoritas confirmauit, vt enim Regium Infantem suâ manu pijssimus Præsul excepit, & Cathecumenorum oleo eum perunxit, nullo ex administris respondente *Amen*, ille qui *linguas infantium facit disertas* pueri os reserauit, eique sonorè pronunciandum dedit *Amen*. Sap. 10.21.

Seuerè pariter Episcopis Sardicense Concilium vetuit, ne Cæsaream aulam quis petere vllatenùs auderet, nisi aliquâ impellente opportunitate illuc à Cæsare aduocaretur. Quin imò hoc idem Iustinianus ipse Cæsar prohibuit, ad sacram forsan authoritatem roborandam, non ad suam, quam in Episcopos non habebat, exercendam. Anglos aliquos Antistites, qui aulam frequentabant, Alexander etiam Tertius animaduertit; quos vt excusaret, ad supremum eundem Pontificem, aureo Petri Blessensis calamo Cantuariensis Episcopus scripsit ei significans, quantæ vtilitatis esset orthodoxæ religioni, sanctisque eius legibus & templo, vt Regium fauorem in aulâ viri illi possiderent: præterquàm quòd Baron.ann. 347. Baron.ann. 347. Baron.ann. 1176. Petr. Blef. ep.84.
C solemnioribus ànni festiuitatibus ad suas illi Ecclesias accedentes, opibus illis, quas ad egenorum subsidium ex aulâ referebant, pauperum calamitates recreabant, & pijssimis operibus eorum absentiam compensabant; si hæc & huiusmodi alia exceperis, recedere prorsùs ab aulâ Episcopi debent.

Basilium Episcopum prophana tribunalia frequentantem, vt ad residentiam remearet Diuus Gregorius Magnus admonuit, illud pronuncians, quòd scilicet, *hoc ipsum vilem reddit, & reuerentiam Sacerdotalem annihilat*. D.Gregor. l.3. ep.14

Opportunè ad hanc rem Lyranus animaduertit, duos illos Cherubim, qui ex vtroque Propitiatorij latere adstabant, sacros Principes plurimis de rationibus designare; eò quod enim sapientissimi essent eorum scientia exprimitur, qui alis debent alijs prælucere; duo itidem erant, vt charitas quâ Deum simul, & proximos prosequi tenentur, ostendatur; aurei demum malleatoris opera elaborati, eò quod ad persecutionum recipiendos ictus paratissimum animum sint habituri, Exod 37. 7.& ibi Lyran. in moral.
D tùm demùm, *quia Prælati semper debent intendere suarum Ecclesiarum regimini, & non stare in curys Regum, vel Principum, nisi in casu necessitatis, & ad hoc vocati.*

§. I.

SI vero auaritiæ studio Præsules aulam frequentent, erubescant oportet; cum enim Deus ad animarum lucra pretiosissima eos aduocauerit, tam opulentos, immanesque thesauros ipsi deperdunt, vt abiecta hæc è mundi sordibus collecta lucra miserandi piscatores exquirant. Ad horum retundendam insaniam his Diuus Cyprianus vocibus inualescit. *Episcopi plurimi (quos, & hortamento esse oportet cæteris, & exemplo) diuinâ procuratione contempta audent procuratores rerum sæcularium fieri, derelictâ cathedrâ, plebe desertâ, per alienas prouincias aberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari; esurientibus in Ecclesiâ fratribus non subuenire;* D.Cypr.de lapsis.

uenire; habere argentum largiter; velle fundos insidiosis fraudibus rapere, & furtis multiplicantibus fœnus augere: quid non perpeti tales pro peccatis huiusmodi merentur? A
Huic sanè vitio eloquentissimus martyr cruentam Decij persecutionem tribuit, quàm ad Christianorum Athletarum robur indicandum Diuina Sapientia permisit, & simul, vt ex aulis ad Diœceses reuocaret Antistites, & è prophanis rebus quibus adhærebant, ad sacra Religionis animarumque negotia.

Sup. p. 1. c. 40. Rursus, si ad illustriores sibi præfecturas aucupandas obliquâ aulicarum artium viâ eos trahit ambitio, ex his, quæ in priori parte scripsimus abundè intelligere possunt, quantum diuini furoris in eos impendat, & quanto salutis discrimine teneantur; hæc etiam, quibus eos Diuus Damianus exagitat, audiant.
D. Pet. Da. contra Clericos aulicos. *Cum de modernis Episcopis mihi perplura displiceant, illud intolerabilius arbitror, quia nonnulli dum honores Ecclesiasticos aeneis vaporibus æstuantiùs ambiunt, in clientelam potentium tanquam seruos se deliciosos obscœnè substernunt. Ecclesiastica quippe deserunt, dum Ecclesias concupiscunt.*

Adhuc tamen iniquior & deterior esset conditio, si ad sæcularia ministeria, ad prophanos Magistratus expiscandos anhelarent, easque miserandâ prodigalitate vires ad hoc obtinendum decoquerent, quibus eos ad cælestia tantùm peragenda negotia diuinus amor instruxit. B

Quàm verò leui excusatione hi fulciuntur, qui asserunt nihil hinc detrimenti in suas Diœceses effluere, eo quòd tùm religiosissimis administris, tùm optimis legibus eam instruant & obarment. hoc enim modo se gerentes, nec proprio muneri satis faciunt, nec, vt superiùs diximus, suæ voluntati indulgent, in tot enim sacras simul & prophanas res humanus animus distractus facere non potest, vt vtrumque exequatur; quàpropter ciuilium legum vi prohibebatur, ne duobus magistratibus vna eademque persona fungeretur; licet conformes inuicem essent, & eandem circa rem versantes. Iustiniani rationem de hoc excipe.
L. fin. C. de Assel. *Neque enim facilè credendum est, etiam duabus necessarijs rebus vnum sufficere. Nam cum vni iudicio adfuerit alteri, abstrahi necesse est; sicque nulli eorum idoneum in totum inueniri.* C

Bellarm de summi Pontif. off. Ad Clementem Octauum Cardinalis Bellarminus semper omnibus commendatissimus scribens, iure merito conquerebatur, quod cùm olim à sæcularibus subsellijs ad sacras Præfecturas capessendas eligerentur Antistites, vt in Chrysostomo, Ambrosio, Nectario, Thomaque Cantuariensi patet, nunc temporis ex aduerso è sacris Principatibus ad prophanos magistratus traduci affectant.

Quòd si superstitiosos Ethnicosque sacerdotes Pacatus peracuto stylo vexauit, eò quod sacras manus diuinisque honoribus addictas humano sanguine pollueren, adeòque eos vocauit, *hominibus Antistites; re verà satellites, atque adeo carnifices*, & inter maxima sui sæculi scelera hoc ipsum collocabat: quid ipse de supremis Euangelij Sacerdotibus, de Apostolorum Successoribus, de Christi discipulis diceret, qui Numini æterno sacrosanctam sui filij hostiam Deo litaturi, manus cælestis agni mansuetudini candorique deuotas indigno ministerio fœdant, prophanis rebus implicant, & humano frequenter sanguine aspergunt. D

Mutuâ nimis dissonantiâ sibi inuicem repugnant sacra prophanaque negotia: quonam pacto prophanis causis assuetæ aures ad spiritalia excipienda referentur? quinam auro plumbum inseratur, & quæ tractandis adamantibus obcalluit manus, ad silices & lapides quânam ratione se conuertet? Quid magis naturæ repugnans, quàm quòd noctem Sol moderetur, die suæ obscuritati relictâ? Horrendum ferè dixerim esse, quòd Episcopus subsellij sacri oblitus tribunalia prophana conscendat, ijsque se rebus irretiat, quas ipsi prophani viri à suâ mente repellere exoptant? quæ vnquam Societas inter Templi munera, & aulæ officia, inter diuinas preces, & aulicorum artes, inter Dei obsequia, & Principum assentationes intercedat?

Laudibus meritò omnium excipiebatur Ptolemaidis Sanctissimus Antistes Synesius, quem cum validissimè ad prophani magistratus fasces capessendos populi

puli aduocarent, & ferè violenter impellerent, eorum vim repellens sapienter
A respondit, *Reipublicæ administrandæ vim cum Sacerdotio coniungere, perinde est, atque ea nere, quæ nendo connecti nequeant. Prisca tempora eosdem Sacerdotes, ac Iudices tulerunt. Nam Aegyptij & Hebræi longo tempore Sacerdotum imperio vsi sunt: Deus ambo vitæ genera separauit: vnumque horum sacrum, alterum ad regimen, atque imperium constitutum est. Alios ad infimarum fæces conuertit, alios sibi sociauit, quid tu igitur iterum reuocas? quid tu coniungere vis, quæ sunt à Deo separata.* Diuinæ sapientiæ iniuriosus ille est, qui tàm eleganter concinnèque instructum ordinem inuertens, infulas & Thiaram in securim & fasces immutat. Sinef. ep. 57 Luc. 17. 19.

Admirandas Christi ore prolatas parabolas Diuus Chrysologus expendit, quarum alterâ Catholicam Religionem Cælorum Regni nomine adumbratam grano sinapis comparat, *quod acceptum homo seminauit in hortum suum*: altera verò *fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria*. Viden (sic Sanctus Magister) vt iuxtà virorum disparitatem ministeria etiam diuidantur. *Vir in agro.* Luc. 13. 12. D. Petr.
B *sinapis granum serit: domi mulier fermentum procurat.* Diuina sacris à viris tractentur; à Principibus & prophanis administris humana; his caduca, æterna illis pateant; aras, subsellia, suggestus illi impleant; his tribunalia, solia, cathedræ occupentur. Chrysol. serm. 49.

Si à sæcularibus rebus nos Deus auocauit, ad suam sponsam nostræ fidei commendandam, quânam ratione eam deserentes sæcularibus iterum rebus nos immisceamus; si ex Aegypto nos auertere Deo placuit, & cælestis promissionis terram nobis aperire, an non insania dementiaque erit, vt nectar pretiosissimum, sacrarum rerum fastidientes, Aegypti cepas & allia iterum auidi affectemus? Criminosos eos Senedrin Senatores imitari hoc ipsum est, qui Dei cultu neglecto, religioneque contemptâ, iniquitatem in pietatis Solio collocarunt, humilitatis solium ambitioni calcandum dedere, ipsamque innocentiam damnantes suæ ambitioni seruierunt, *Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.* Io. 11. 48.

C Omnium tamen vel cum Democrito irridendi, vel cum Heraclito deflendi sunt ij, qui seruili quadam voluntate allecti, ex Episcopali Cathedrâ ad Principum aulas transmigrant, vt ibi non cæleste, sed terrenum Numen Idoli instar obsequantur: Ex his autem ij potissimum non audiendi, qui pio quodam titulo ineptam suam mentem honestare contendunt, qua inter aulicas artes simplicitatem Christianam se confidunt insinuaturos, inter opes paupertatem, asperitatem inter delicias, ipsamque ambitionem in humilitatem commutaturos. Quàm sanè isti falluntur! hoc enim nec assequi potuit virorum maximus, quem mulier Hebræa pepererit, non ex Aethnicis virtute præstantissimus Seneca, non è Christianis Boetius, qui omnes non aulæ mores immutarunt, sed ex hoc ipso titulo vitam in aulâ perdiderunt; quàm enim benè experientiæ magisterio id docemur, quod de aulâ Bernardus pronunciauit. *Plures in ea defecisse bonos, quàm malos profecisse probauimus.* Satis experientiâ constat, Præsules in aulis, ne D. Bern. l. 4 de consid.
D aliorum dicterijs conuicijsque vexentur, non tantùm aliorum animos à vitæ prauitate conuertere, sed potiùs alienâ eos prauitate vitiari; quod si, vix Annæ palatium ingressus Diuus Petrus, & se aulicis immiscens tàm fœdè à sui magistri fide desciuit, vt iuxtà Drogonis mentem, Petrus in palatio se commutauerit in Latronem, dum Latro in Cruce se commutauit in Petrum, quàm facilè ad aulæ afflatum aulicâ lue inficientur etiam Præsules, sacrâque maiestate depositâ, eorum induent artes, licentiamque morum ebibent, illud Regij Vatis adimplentes *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.* Drog. de Domin. pas. Saram. Ps. 105. 35.

Simplicitatis nescia aula, quod ore præfert & profert vultu, animo reijcit, quod verbis promittit, opere denegat; blanda quidem & obsequentissima loquendo, sed virulenta & perniciosissima cogitando, exteriori quidem specie candida, sed animo callida & fraudolenta; quis eius lubricitatem exprimat, dum mustelæ instar, dum tenere illam credis, elabitur? garrulos sermones, frequentes obtrectationes, peracutos sales, proteruas assentationes, familiares fraudes, affectatas eius vrbanitates quis enumeret? adeò vt versutum, fraudolentum, iniquum Galen. de dignosc. anim. morb. cap. 2.

eum constanter Galenus pronunciaret, qui aulam excoleret.

Quàpropter, cùm semel ad Cæsareã Bizantij aulam Cyprius Antistes Sanctus Epiphanius accessisset, aulicis moribus & operibus in tàm amplo nobilique terum theatro perpensis, quàm citissimè suam repetere Diœcesim decreuit, illud Episcopis nonnullis eum ad nauim comitantibus, vt è Sozomeno habetur, pronuncians, facris omnibus viris semper memorandum, *Ego vobis relinquo Vrbem, palatium, scenam, hypocrisim; ipse autem decedo, festino enim, & quidem admodum festino.* A

Sozom. l. 7. cap. 15.

Quàm igitur à Sacerdotali morum excellentiâ aulici aberrant Episcopi, quàm longè ab excelso eis impertito ministerio, quàm longè à Hyerarchicâ maiestate discedunt! decus simul & animam lachrimandâ prodigalitate dilapidant, præstantissimamque omnium dignitatum deprimunt & obscurant illi, qui pro eo, quòd Dominico Gregi debitâ custodiâ euigilent eâque, quâ par est, sacrorum vberiate pascant, ab eo abscedentes in aulâ immorantur, vt ibi diuino famulatu contempto, terreno tantùm Principi obsequantur. Quid ergo, Domini mei nobis faciendum, audiamus Ambrosium. *Ministerium altaribus Christi, non obsequium hominibus deferendum recepimus.* Quod si Berzellai Dauidis beneuolentiâ non ad aulam, sed ad mensam tantùm regiam aduocatus, eam magnanimè respuens ad omnia ea obsurduit, quæ tùm ambitio, tùm regia potentia eius auribus ingerebat reliquæ breuitatem vitæ contemplatus, *Octogenarius sum hodie, non indigeo hac vicissitudine.* Quantò magis huiusmodi Principum lenocinia reijciendi ab Episcopo sunt, quem in sui consortium imperij Deus adsciuit, suæque diuinæ dignitatis, cui Regia omnia Cæsareaque diademata subijciuntur, participem numen effecit? B

D. Ambr. l. 1. off c. 20.

2. Reg 19. 35.

Coronidem his imponat aureus Diui Chrysostomi sermo, qui Episcopalis muneris præstantiam Episcopis commemorans, eorum summum errorem describit, qui se aulicis & aulis immiscent. *Die mihi, Episcope, ad quid electus es? vt absens à Diœcesi in curia Regia resideas, Vicario tuo, ac visitatori gubernationem committas, & tu delicijs affluas pompâ & ornatu maiestoso vtaris: pauperes pereant, tu verò & famuli tui splendidè viuatis.* C

D. Chryso. sup. Matth.

Quàm fœdum in Episcopo sit, vt bellicis rebus se implicet, & arma pertractet. Cap. XLVII.

VERVM, si tàm Episcopotum nomini, muneri, maiestati indecorum est, vt se vel in aulâ detineant, vel prophanos magistratus exerceant, quantò inhonestius, & turpius foret, si bellicos inter tumultus & furias bellorum se sponte insinuarint? an martialia opera eos deceant, quos politica dedecent? si cum tantâ sui nominis obscuritate sedem in tribunal, & lituum in sceptrum immutarent, quam, rogo, obscurum & turpe esset, si sedes in equum migraret, in lanceam lituus, in loricam capsula, in cassidem thiara? an fieri vnquam poterit, vt administrandæ vitæ auratæ manus, mortis sint administræ, & bellicosâ ferociâ mitissimi agni discipuli insolescant, & Christianæ militiæ Duces, iniquissimo Marti inseruiant? *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem; sed aduersus Principes, & potestates, aduersus mundi Rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Duces quidem sumus, nomenque militiæ nos etiam dedimus, sed vt in stygias acies, in nostrùm nostrique populi hostes arma stringamus. Induendum quidem nobis est bellum, sed in Dœmonum cohortes, æternum nobis interitum intentantes; iustitiæ clypeum, & fidei loricam induentes aperto eos marte insectemur. Diuini sermonis gladium vibrantes ad eorum ictus retundendos, ad eorum insidias repellendas tau- D

Ephes 6. 12

sto

ſto certamine in eas irruamus: ne de nobis triumphent, de ipſis nos triumphemus: ad huiuſmodi exercitamenta audi, vt ſonora eloquentiæ tuba Diuus Baſilius nos inflammet! *Miles es? collabora Euangelio, milita bonam militiam contra ſpiritus nequitiæ, aduerſus vitioſas carnis affectiones; indue te omnem armaturam Dei, vt probes te ei, ſiſque gratioſus Duci tuo, qui hæc te militiæ adlegit.* d c.6.13.& 14. D. Baſil. in 15. Deut ibi illud, Attende tibi.

Qui temporanea hæc arma ſtringit Antiſtes, & (quod deteſtandum nimis eſſet) in ipſos Chriſti fideles, ignauiam ſuam ſatis oſtendit, quâ ſpiritalibus hoſtibus vltrò concedit: Chriſti vexilla ſuæ fidei commiſſa per ſummum dedecus omittens, trophæa Dœmoni ſuggerit in ſe, ſuoſque populos erigenda.

Locum hìc habeat ſuum obiurgatio illa, quâ Cæleſtinus Tertius Belluacenſem Antiſtitem animaduertit, cum pro Philippo ſuo Rege, in Anglicum Regem arma pertractans, in hoſtium poteſtatem venit, acerbaque inurbanitate ab eis habitus; cum enim de ſuâ captiuitate Summum Pontificem certiorem feciſſet, deque eo conquereretur, quòd pro eius libertate Vaticanam poteſtatem non exereret, ſic ei Cæleſtinus reſpondit. *Cæleſtinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto fratri Philippo Bellouacenſi Epiſcopo ſalutem & ab exorbitatione reditum maturare. Siniſtrè licet tibi aduenerit, nec mirum. Cunctorum enim meretur odium, qui omnium ſe in communem approbat inimicum. Præſulem namque pacificum exuens, militem bellicoſum induiſti, clypeum pro infula, gladium pro ſtola, loricam pro alba, galeam pro mitra, lanceam pro baculo paſtorali ordinem rerum & ſeriem peruertens temerarius baiulaſti, &c.* Validiſſimè tamen ad Anglum Regem ſcripſit, vt eum libertati reſtitueret; quia tamen in Epiſtolis Pontificijs Epiſcopus ipſe ſuus frater & cariſſimus Eccleſiæ filius à Pontifice vocabatur, opportunè Epiſcopi loricam ad Pontificem Rex miſit, illam Geneſeos interrogationem vſurpans, *Vide an tunica filij tui ſit, an non?* Cui ſubridens Pontifex ait, *Non filius meus eſt vel Eccleſiæ. Ad Regis autem voluntatem redimatur, quia potius Martis, quam Chriſti miles iudicatur.* Baron. ann. 1196. Gen. 37.32.

Si Dauid ad Dei cor elaboratus, quique ad Dei gloriam amplificandam, Idolorumque fœditatem auerruncandam tàm fœliciter decertauit, ab ædificando Templo, diuino ſuffragio fuit reiectus, *multum ſanguinem effudiſti, & bella bellaſti: non poteris ædificare domum nomini meo;* cum tamen victimarum tantùm ſanguis eſſet effundendus; an patietur Deus, vt ſacroſanctam diuini Agni hoſtiam in Euangelico templo Epiſcopus ille offerat, qui Deo reprobante, è Chriſti milite ſe martis Anteſignanum elegit? quânam ratione pacificas & placabiles hoſtias manus illæ litauerint, quas humanus ſanguis aſperſit, non aris aſſuetas, at armis? 1. Paral. 22. 8.

Quis vnquam Petro iuſtiùs arma tractauit? quis Malcho magis percutiendus, quem Iudæ proditio habuit ſocium, & acerbiſſima Chriſti captiuitas damnabat? in quem validiora erant vulnera intorquenda, quàm in eum ſicarium, qui alios fortè præcedens vitæ authori mortem inferre moliebatur? quinam Apoſtolici gladij acie vulnerandus iuſtiùs erat, quám ille ſicophanta nefarius, qui perdere innocentiam intentabat? *Quis latro deteſtabilior, quàm perſecutor, qui venerat, vt Chriſtum neci daret.* Sic Ambroſius: adhuc tamen ad vulnerandum irruenti Petro, hæret Dominus & diſcipuli manum præpedit, amorem caſtigat his verbis, *Mitte gladium tuum in vaginam,* ac ſi diceret, tractanda militibus arma, non tibi, quem non Ducem, at Paſtorem elegi: non tibi armorum fulmina ſpargenda, ſed lumina ſapientiæ; non viuentes necandi, ſed ad vitam mortui reuocandi. Ad Epiſcopos omnes inſtruendos hoc à Chriſto peractum docuit Innocentius Tertius, *Et forma omnium Sacerdotum (quorum prior erat) etiam pro ſe ipſo capi arma carnalia prohibuit.* D Ambr. off. c. 4. C. cum à Iudæis 2. 23. q. 8.

§. I.

A

OMnium primi, qui ex Episcopis bellicis se agminibus immiscerent, duo germani fuerunt Salonius Ebredunensis Antistes, & Sagittarius Vapingensis, alijs etiam famosi criminibus, quorum in pœnam Episcopalibus infulis exuti à Lugdunensi conuentu fuere, quamuis Ioannis Tertij Supremi Pontificis eorum mendacijs decepti mandato suam sedem recuperarent; Cardinalis Baronius hæc à Gregorio Turonensi narrans hæc addit. *Hac tunc primùm sunt monstra capta videri, vt loricati Episcopi militarent.* Plures postmodum ex his, Stephano Tertio Imperante, in Gallia scatuerunt, quæ diuturno etiam tempore tàm fœdâ tetrâque lue laborauit; Sabellicus certè Turpinum Rhemensem Episcopum narrat Caroli Magni bellis socium adhæsisse; Ad tàm enormem corruptelam abolendam lege hac sanctissimâ statutâ Sacri Canones se obarmarunt. *Episcopus, vel Præsbyter, vel Diaconus exercitui vacans, & vtraque obtinere volens, Romanum scilicet Magistratum, & sacerdotalem administrationem, deponatur. Quæ sunt enim Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* B

Baron. ann. 570. Baron. ann. 888. Sabell. l. 8 Ennead. 8. Can. A. post. 82. Matth. 22. 21.

Ad eam etiam euellendam Moguntini Concilij Patres sonorè illud enunciarunt, *Nos autem, qui reliquimus sæculum, id modis omnibus obseruare volumus, vt arma spiritualia habeamus, sæcularia dimittamus;* Et multò grauius Meldensis Synodi, & Toletanæ Quartæ Patres, cuius fragmenta in Decreto à Gratiano inseruntur.

Conc. Mogunt. sub l. Carol. Magno c. 17 C. quicūq; 4 & seq. 23 q. 8. c. reprehensibile.

Ad eam pariter delendam, Carolo Regi Nicolaus Papa respondens indignatus pronunciat, Episcopos sacris rebus tantùm intentos, bella & arma militibus & Ducibus relicturos:

In eam Ioannes etiam Octauus validè assurrexit, ideóque apud Angebergam Cæsarissam Ioannem Episcopum commendauit, eò quod se bellicis rebus immiscere recusauerit, *Nimirum certè veretur, & iure formidat contra professionem sui ordinis sæcularem militiam exercere: terram defendere, de prælys tractare, de armis terrena potestatis est,* hæc Pontifex. C

C. quicumque 4. 23. q. 8. c Reg. 4 r2. Baron. ann. 1010.

Validiùs etiam in eandem pugnauit Synodus Triburiensis, quæ decreuit, quòd si inter arma Lithurgus aliquis occumberet, nulla pro eo supplicatio, nulla hostia Deo iudici litaretur.

Verùm, quod deteriùs est, Deus ipse eam maximè detestatur; quàpropter Ophni, & Phinees exempla restaurans permisit, vt Arnolphus Acesanus Antistes, Accius Barcinonensis, & Otho Gironensis cruentâ pugnâ saucij deficerent; de his vsurpari illud posset, quod de Iosepho, & Azaria suisque commilitonibus è sacro codice habetur, quòd scilicet ad Machabæorum gloriam, & triumphos imitandos dùm bellum fortiter vrgent, duobus millibus cæsis, vix ipsi cum reliquis ignominiosæ fugæ subsidio euasere. *Existimantes fortiter se facturos, ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel.* D

1. Machab. 5. 60. & inf.

Quin sæculares ipsi etiam viri in eandem màximè indignantur; dum enim pietati tantùm, & sacræ religioni militantes nos exoptant, continere se non possunt quin iustè irascantur, dum præcinctos nos armis inspectant, & inter sæculares, & militares acies eos adscriptos circumcursare, quos cælestium spirituum exercitus veneratur; quam ad rem lepidissimum illud est, quod de Maximo inter Gallos Proceres Dinastâ Domino Chabaneo narratur, hic enim cum inspiceret à Ludouico Vndecimo instruendis & adscribendis militibus Baluum Eutusiorum Antistitem præfectum fuisse, petijt à Rege facultatem, vt Eutusiorum Clerum, & Diœcesim inuiseret & instrueret; cui cum respondisset Rex, ineptissimum se ad id ministerium peragendum fore, parcas mihi velim, subdidit, Rex, *Nam cum Episcopus nostram messem suam fecerit, vt nos ipsius nostram esse ducamus.*

Aegid Conoratus de di is messuran Theatr vlt hom. vol 21. l. 3.

Ad hæc addo; Principes eos, in quos viri sacri obarmantur, iustè in sacrum nomen, & Hyerarchicam dignitatem irasci; eò enim acerbior est iniuria est, quò minùs expectata emergit, & intolerandum quid videtur, quòd è pacis solio belli furor

furor erumpat; hoc sanè præferoci nimis animo Tridentinus Dux Alachim

A ostendit, qui rebellibus armis suum Principem insectatus, Lyturgos, & sacra de more contemnens, vt se victorem inspexit, & in prælio potentissimum omnium Ticinensem Diaconum Zenonem cecidisse, tumulento quodam furore percitus, efferatum votum illud emisit, quod è Paulo Diacono Cardinalis Bellarminus memorat. *Tale itaque nunc facio votum, quòd si mihi Deus iterum victoriam dederit, vnum puteum de testiculis impleam Clericorum.* Baron. ann. 691.

§. II.

VIX se Christi fidelium cætui se Diuus Martinus adscripsit, vt è militum numero suum nomen aboleuit: nec enim vnquam fieri posse ostendit, vt simul martialis & Christiana militia associarentur, Christi insignia in mundi ve-

B xilla pugnant, & militiæ legibus Euangelica præcepta repugnant. Quapropter cum virtutem militum remunerari Cæsar vellet, ad munus assumendum aduocatus Martinus Imperatori respondit. *Hactenus militaui tibi; patere, vt nunc militem Deo: donatiuum tuum militaturus accipiat: Christi ego miles sum; pugnare mihi non licet.* Seuer. in vit. s. Mart. c. 3. An igitur sacris authoratus Antistes, Deoque pronubo cum Ecclesiâ suâ desponsatus ad eius animas Christi cruentâ morte redemptas gubernandas, eâ relictâ, militare cingulum induat, vt se bellicas inter cædes inficiat? arma nostra preces & lachrimæ sint: his in Erebum pugnandum, & dulci quadam aggressione cælum oppugnandum: his fortissimi Christi milites feruandi nobis sunt, eiusque hostium furor extinguendus. Harum vi victor Moyses fuit: validiora vulnera in hostiles acies Moysis lachrymæ infligebant, quàm fortissima Iosue Ducis arma. Inermes aliquos Episcopos ex hoc titulo Galliarum Reges bellum petentes secum adducebant, vt scilicet eorum prudentiâ pietateque Baron. ann. 481.

C adducti, incertam belli aleam faciliùs & fœliciùs euitarent.

Verum in Synodo Vormatiensi Carolum Magnum concordi suffragio subiecti populi orauere, vt ab aliorum regimine in posterum suos amoueret Antistites; Baron. ann. 700. qui licet absentes, precibus, supplicationibus, votis, lachrymis eius poterant amplificare victorias; suffragatus eorum voluntati fuit pijssimus Cæsar semper Magnus.

Horum potentiâ armorum obtestatus Diuus Ambrosius fuit, ferociam se velle refringere, quâ Gothorum operâ Cæsar minabatur, vt Templum Arrianis impetraret: Ambrosij voces expende. *Volens nunquam ius deseram; coactus repugnare non noui: potero dolere; potero flere; potero gemere: aduersus arma, milites Gothos quoque lachrimæ meæ mea arma sunt. Talia enim sunt munimenta Sacerdotis, aliter nec debeo, nec possum resistere.* D. Ambr. orat. contra Auxen. c. côuenior 21. 23 q. 8. Sanè victoriam his armis consecutus ille fuit, quam ferreis nunquam armis retulisset. Diuus etiam Gregorius apertè significauit, quòd si suam vim in Longobardos exercere voluisset, eorum poten-

D tiam funditùs euertisset, sed Dei timore prohibente, ne alicuius sanguine Pontificis manus pollueret, Principes sæculares excitauit, vt ad Catholicam Religionem propugnandam assurgerent, vt è plurimis eius epistolis patet. D. Gregor. l. 7. ep. 1. c. si in morte 20. 23. q. 8.

Pijssimi etiam Antistitis specimen Gulielmus Moguntinus Antistes exhibuit; cum à Romanorum Rege allectus & exoratus, vt secum ad castra pergeret, fuisque simul agminibus communis iura ditionis tueretur, sapientissimum illud pronunciauit. *Episcopus concionari debet, non belligerare.* D. Gregor. l. 4. ep. 31. l. 7. ep. 2. 3. & 20. l. 11. ep. 43. l. 12. epist. 21. & 12.

Cùm olim in Galliâ simul inuicem Abbas quidam & prænobilis quidam Dynasta de suæ ditionis finibus disceptarent, suisque fautoribus vtraque pars satis validè muniretur, narrat Diuus Petrus Damianus, quòd inualescente in dies animorum ferociâ, ad arma tandem deuenere, quorum vi contentio dirimeretur. Præmunitas igitur acies suas in aciem protinus eduxit Dynasta pugnam tubarum voce efflagitans; dum igitur alterius agmina ad capessendam pugnam expectarentur, terrestribus armis contemptis, cælestia solùm pijssimus Abbas induit: sibi propitias & amicas acies ab egressu prohibuit, illisque exar- D. Petrus Damia. l. 3. epist ad Firmanum Episcop.

matis

maris, solus ipse cum Monacis suis non cassidc, sed cucullo munitis, fidei loricam gestantes, Crucisque vexillum præferentes, ad hostis aspectum accessere: adhæc rei nouitate perculsus Dux bellicosus, eâ animi tel gione correptus fuit, vt ex equis vnà cum eo desilientes omnes, deiectis armis supplices ab eo veniam postularint; *Sic sic nimirum titulos victoriæ triumphalis obtinuit; qui non frementibus equis, non in micantibus gladijs spem posuit, sed in diuinæ tantum potentiæ virtute præsumpsit*; hæc Damianus. Verum quidem est, religiosam nimis fuisse Præsulis huius pietatem, ac si temporalia etiam arma, ad sua iura seruanda vibrare nequeat Christiana Religio: vtroque gladio illa obarmatur, & amicorum potentiâ honestissimè vti potest, ad impiorum temeritatem & fastum retundendum; tum rationes, tum exempla ad hoc confirmandum Cardinalis Baronius aggerit, cui concors Theologorum sententia suffragatur, & satis patet ex epistolâ, quam Gregorius Nonus ad Constantinopolitanum Patriarcham Germanum exarauit. A

Baron. ann. 598. Quin quandocumque necessitas postulauerit, ad suam vrbem defendendam, non tantùm fas Episcopo est, vt eam seruaturus se obarmet, sed tenetur se Ducem præbere suis Lithùrgis obarmatis, vt Diui Gregorij exemplo Purpuratus Baronius probat: Quâ in re Gulielmum Aretinum Antistitem Fulgosius commendatum habet; cum enim Florentini exercitus vi subditos suos profligatos accepisset, ad nonnullorum consilium, quo eum adhortabantur, vt luæ saluti fugâ arreptâ consuleret, suas acies in extremum discrimen adductas sciens respondit, malle se cum illis mori, quàm eisdem superesse; quâ de causâ pugnæ iterum se committens gloriosè cum illis occubuit; cùm autem hîc de Christiano bello agatur, humanis quidem laudibus, non tamen cælestibus videtur exornandus. B

Fulgos l. 3. c. 2.

Theat. vit. hum. vol. 2. lib. 3.

Sollicitum & vigilem Episcopum fore. Cap XLVIII. C

Misterrimus orbis vniuersus terrarum esset, si hanc tantùm vtilitatem è Sole in se deriuari perciperet, vt scilicet sibi præsens esset; maximum ex eo in totius orbis fœlicitatem illud est, quòd magnus ille syderum princeps, & clarissimus mundi oculus ad omnium animantium procreationem, ad plantarum omnium fœcunditatem, ad auri metallorumque compositionem, ad ipsas intra pelagi viscera condendas gemmas, è philosophorum sententiâ elaborat. Inutilis pari modo, & ferè otiosa Principis præsentia esset, si de hoc tantùm contenta ad cætera torpesceret, suamque Diœcesim vel nullâ sapientiæ luce illustraret, vel nullo operum calore foueret; nulla profectò in eâ adolesceret filiorum fecunditas, nulla bonorum operum copia, tanquam fructuum, è pietatis arbore egerminaret, charitatis aurum, virtutum gemmæ in subditorum animis non coruscarent. Illud vtilitatis ex Episcoporum præsentiâ in suam Diœcesim deriuetur, vt nempe vitia eradicet, virtutes excolat, pietatem amplificet; religionem proferat, stygiorum hostium insidias detegat, vim sternat, & populorum saluti totus incumbat; do Bernardum. *Pastorum est vigilare propter tria necessaria, videlicet ad disciplinam, ad custodiam, ad preces: ad disciplinam propter morum correctionem, ne grex commissus propriâ modestiâ deficiat, ad custodiam propter diabolicam suggestionem, ne hostili fedecatur calliditate; ad preces propter tentationum instantiam, ne vincatur à pusillanimitate. In disciplinà rigor iustitiæ, in custodiâ spiritus consilij, in prece affectus compassionis.* D

D. Bern. in lib. sent.

Primus omnium Diuus Paulinus fuit, qui prophano ex vsu ad sacram religionem campanas adduceret, in præaltis turribus ad hæc ædificatis eas statuens: Episcoporum etiam pietati adscribendum est, quod ad Templi primarij fores vel marmorei, vel æneï leones collocarentur, cuiusmodi nunc etiam temporis ad Teruisiensis, Assisiatis, & Firmani templi fores inspiciuntur; affabrè his exprimun-

muntur, quæ scribimus: Campanis enim mens excitatur, & Episcoporum concionandi munus sonitu suo describitur; Leonibus verò vigilantia & labor; cum enim oculis reseratis obdormiat, vigilantiæ in eo exemplar Sapientes Aegyptij, Horo Apolline teste, collocarunt. *Vigilantem & sedulum hominem & custodem cum Aegyptij volunt ostendere, Leonis caput pingunt; quoniam Leo vigilans oculos claudit; eosdem cum dormit apertos habet: quod quidem custodia, atque excubiarum signum est. Vnde & non absque significatione templorum claustris leones, qui sint custodum loco appinxerunt.* Dedi eius verba. [Orus Apol. de notis Hierog.]

Vigilantiam huiusmodi in electo Antistite Apostolus exigit; vbi enim in nostra vulgata habetur, *sobrium*, Diuus Hieronymus legit *vigilantem*; vox enim Græca *φαλιον* vtrumque sonat, ac si duo hæc in Episcopo maxima munera vnâ eâdemque voce Apostolus explicaret. [1.Tim. 1. D.Hyeron. l. 1. in Iou.]

Episcopalis tessera sacerdotij vigilantia hæc est, quam ideò *Apostolicum characterem* Diuus Chrysostomus appellauit. Cælestium thesaurorum partem in hac Deus nobis impertiuit; quâ de causâ ea enumerans Apostolus munera, quæ singulis diuina beneuolentia fuit elargita, de Episcopis loquens ait, *Qui præest in solicitudine*; ac si inter omnia, quibus coruscat thiara, & sibi cæleste diadema elaborat, primam hæc sedem sortiatur, & solis instar, dotes alias, veluti sydera, sibi videat famulari. [D Chryst. ho. 15. in 2. Corin. 11.] [Rom. 12. 8.]

B

Hoc sanè satis Christiana Religio diuinitùs illustrata significat, cum magni Mediolanensis Antistitis Caroli Borromei festiuitatem recolens, non opum ad pauperum subsidium largitatem, non suppliciorum asperitatem, quibus se affligebat, non precum admirandam frequentiam, non virtutum omnium iubar in eo maximè commendauit, sed ex vnâ sollicitudine clariores eius triumphos celebrat & attollit. *Vt sicut illum pastoralis sollicitudo gloriosum reddidit, ita, &c.* [Orat. in festo S. Caroli.]

Nil igitur mirùm, si excubitorum nomine diuino sermone ornentur Antistites, *Circumspectores sedentes in excelso ad speculandum*; quo etiam titulo eos Augusta Deipara exornauit, cùm Diuam Brigittam pro suo quodam Antistite impensè precantem fuit alloquuta. Episcopi tanquam excubitoris est, stygij hostis insidias suis populis indicare, clamore omnes excutere ad vitij alicuius irruptionem repellendam, ad scelerum licentiam eneruandam; sedes, quam Episcopus premit, non superbiæ seruiat, sed vigilantiæ, non imperium præfert at famulatum, non delicias affert, at pugnas, non ad otium, sed ad negotium patet, non quieti datur, at labori; certè ipsum Episcopi nomen sollicitudinem excubitoris significat, iuxta Ambrosij mentem. *Nam quid aliud interpretatur Episcopus, nisi super inspector? maximè cùm in Ecclesiâ solio editiore resideat, & ità cunctos respiciat, vt & cunctorum oculi in ipsum respiciant.* [Oseæ 5. Ezech. 33.7 Eccl 37. Reuel. s. Brigit. l. 3. c. 3] [D. Ambr. l. de dignit. Sacerd. c. 6.]

C

Excubitoris huius est, suis in castris singulos Christi milites coercere, ne Dœmonum fraudibus irretiti, eorum captiuitate vexentur; eius est, eos omnes ad sui Principis obedientiam reuocare, qui ab eo vitiorum amore decepti rebellauerint, eo quidem modo, quo ad vigilum Præfectum Romæ spectabat ad suum Dominum transfugas seruos adducere. *Fugitiuos conquirere, eosque Dominis reddere*, iuxtà ea, quæ Verus & Antoninus Cæsares statuerunt, & in Pandectis recitat Vlpianus, [l. fin. ff de offic. Præf. Vigil.]

D

Vnicuique Episcoporum oraculum illud è Cælo Ezechielis ore delatum insonat, *Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel*, in hanc enim sententiam verba hæc exceperunt tùm Græci, tùm Latini Patres, quibus omnibus Apostoli ipsi apud Diuum Clementem præiuerunt. *Vos Episcopos speculatores populi esse oportet; quod vos quoque speculatorem habeatis Christum; & vos igitur estote boni speculatores populi Dei; ait enim Dominus vnicuique nostrûm per Ezechielem, Fili hominis Speculatorem dedi te domui Israel.* Quicumque persuasum sibi animo habet, ex Empyrei solio se Pastorum Principi inspectandum præberi, & vigili semper oculo diligentiam fidemque suam, quæcumque ea fuerit, expendi, quâ tàm excelsum ministerium exerceat, gressus suos omnes, voces, vota, nutus ipsos adamussim explorari, an non, Deus immortalis, perquàm diligens ipse erit, [Ezech 33 7 S. Clem l. 2. Carol. Apo c. 6.]

erit, & torpore quocumque excusso, oculatissimus ad omnia sua ministeria ex- A
plenda properabit? si cruciatibus inde secuturis conniuentia, silentium, dormita-
tio quæcumque leuissima mulctatur, an non ad eos euitandos euigilemus opor-
tet, & ad vitiorum aggressiones prosternendas sonoro nobis ore clamandum est?
In hoc enim Episcopi opus versatur, quod si neglexerit, se sui interitus reum fa-
cit; ad hanc sanè mentem memorata Ezechielis verba, Diuus Prosper interpre-
tatur. *Speculatorem dedi te, hoc est dicere, si ei peccata sua non annunciaueris; si*
eum non argueris, vt ab impietate suâ conuertatur, & viuat, & te quia non incre-
pasti, & ipsum qui, te tacente, peccauit, flammis perennibus perdam. Attonitus
hic tantus Magister hæret, tùm vires omnes eloquentiæ excutiens in hæc admi-
rada formidandaque erumpit. *Quis tàm saxeus, tàm ferreus erit, quem sententia*
ista non percellat?

D. Prosp. l. 1. de vita contép c. 20
Senec. de consol. ad Polib. c. 32.

Quàpropter accommodatissimè Diuus Pius Primus, postmodum Sanctus Hi-
larius, demùm Diuus Gregorius oculos Ecclesiæ Episcopos appellauit; & iuxtà
hæc illud Diui Bernardi accipiendum est, quod in pijs sæcularibus Religio mili- B
tat, in pijs Religiosis peregrinatur, *vigilat in bonis Pastoribus*. Hinc etiam ratio
patet, quâ stellas Deus Episcopos appellarit; stellas autem quis nesciat oculos
Cæli esse? oculorum enim & stellarum instar, mortalibus cæteris quieti som-
noque se dantibus, euigilaturi sunt, & lumine inconniuenti eorum bona custo-
dituri. *Dormientibus subditis, ibi peruigilant, tanquam rationem pro animabus eorum*
reddituri.

Pius P. ep. 1
D. Hilar. in Psal. 138.
D. Greg in 1. Reg.
D. Bernard. ser. de dedic Eccl.
Apoc. 1. 1.
D Bern. ser 76 1. super Cant.

Cælestes quosdam Argos eos vndique oculatos dixerim, vt tùm præterita re-
cogitent, tùm præsentia moderentur, tùm futura præcognoscant. quàm bellè
Diuus Antiochus. *Debet Pastor esse totus mens, & oculus, vt nè vna quidem con-*
creditarum sibi pecudum reijcula fiat, & indigna, quæ recipiatur à Domino. Quid
autem aliud hoc est, quàm vt à Præsule fieri exigas, quod humanæ potestatis
exilit fines? quid aliud hoc est, quàm vt se certiorem ipse faciat de tantâ rerum
mole, quam suis impositam humeris vix Gigantes & Centimanus Briareus præ- C
ferrent; perbellè hæc pariter Themistius expressit, *Cui multorum simul capessen-*
da cura est, huic pauca admodum aures duæ fuerint, aut oculi duo, vnumque corpus
& vnus animus.

S. Antioch. homil. Isi. Pelus. lib. 1. epist. 151.
Themist. orat. 1.

Sed præ omnibus luculentissimè hoc ipsum Diuinus spiritus in memorando
Ezechielis curru descripsit; Quatuor Cherubim animantium diuersorum spe-
ciem induti ei succollabant; oculis vndique aspersi hi erant, oculisque etiam
rotæ quâcumque ex parte distinguebantur; quid aliud his indicatur, quàm ocu-
latissima vigilantia, quâ Ecclesiæ currum gubernantes, ad custodiendos tùm se
ipsos tùm subditos præferre vbique Episcopi debent, ad eorum voluntates, & in-
genia inuestiganda, adeò vt nihil arcanum lateat, quod ipsorum vigilantiæ non
pateat, vt opportunè satis omnibus faciant? iam audi Gregorium, *Debent Pa-*
stores esse simul animalia illa plena oculis intus & extra: intus, vt omnia propria
delicta coram æterno iudice agnoscant & emendent: foris autem, vt quæ in alijs cor-
rigenda sunt deprehendant. Quòd si, Diuo Hieronymo referente, fabulatur Græ- D
cia, è non custoditâ iuuenca in Pauonem, Iunonis supplicio Argum fuisse im-
mutatum, quis prohibeat ne asseramus, è grege Domini non custodito, Epis-
copum, omnia ornamenta Episcopi deperdentem, pauonis instar inutilem esse,
exteriori quidem specie oculatum & illustrem, sed re vera mente caligantem &
præmio quocumque spoliandum?

Ezech. 1. 18 & 10. 12.
D. Greg. 3. past. admo. 5.
D Hyeron in Ezech. 18

Spirantia æterni Numinis simulachra Episcopi sint; quapropter, si ad diuini-
tatem exprimendam sceptrum Aegyptij describebant, cuius fastigio vigilans
semper oculus insideret, sic pariter Præsulis lituo oculus statuatur oportet, qui
sollicitâ vigilantiâ omnibus pateat.

Quin, iuxtà mentem Diui Cyrilli Alexandrini, nil aliud eo vigili oculo desi-
gnabant Aegyptij, quàm Præfectorum & Præsulum vigilantiam. Sanè hoc idem
sceptrum illud esse videtur, Hieremyæ indicatum, quod nostra vulgata appel-
lat *Virgam vigilantem*, & septuaginta Interpretes, *baculum nuceum*, eò quòd vt
Seuerus explicat, somno aduersantur nuces, & vigiles viros efficiant; Theo-
dore-

D Cyril. Alex. cõtrà Iul. Apost.
Hier. 1. 31 Seuer in Caten.

doretus verò, *baculum Amigdalinum*; amigdalus enim sollicitudinis & vigilantiæ
A idoneum symbolum est, tùm quia ab eorum oculis innatâ quadam facultate somnum arcet, quorum ceruicali subijcitur, tùm etiam quià reliquarum omnium arborum prima ex hyemis somno se excitans in flores erumpit, ac si diligentiæ trophæum affectet,& aliorum fructuum natiuitatem præueniens,veris primogenita ambiat apparere. Proh quantùm summos inter & priuatos viros discrimen intercedit! priuati enim viri est, vt oculos ad aliena crimina claudant, ne vel illis offendantur, vel incitentur; summi autem viri ex aduerso est, oculissimum ad ea esse, vt ea corrigat & compescat; sibi ille viuit, hic alijs: seruare suam incolumitatem illius est, huius alienam; & autem modo, quo struthiocamelus oculorum vi oua fouens, pullos demùm ab ijs educit, adeo vt abortum paterentur si ab aspectu vacarent, sic prope ex Hugonis Purpurati sententiâ,sollicitudinis oculo in suum gregem intentus Episcopus, fouere eum debet, vt pijssima ex eorum animis opera, cælestes veluti fætus, educat.

B

§ I.

VErùm quid eo titulo nobis dicendum,quòd sicuti populi nostræ fidei commissi gregem constituunt, sic nos ad eorum custodiam veluti canes designamur? Porrò quàm alacres ad latrandum, quam ad omnia lustranda vigiles, pastorij canes sunt. Canes profectò sacris in paginis nos quoque vocamur; hoc enim ipsum à nobis Pastorum Princeps efflagitat: quamobrem *Canes muti non valentes latrare*, Præsules eos appellauit Isaias, qui socordes & desides ad sui gregis custodiã dormirabant. Contumeliosissimum quid in Diuum Augustinum effudisse sibi suadebat Petilianus Donarista nefarius, cum eum *Canis* titulo appellauit:Huiusmodi veró nomenclaturâ non tantùm Pastor clarissimus nõ erubescit, at gloriatur, & piâ quâdam superbiâ grandescit, *Cum sitis vnus Grex de vno* C *Pastore securus, non nimis curo, quàm mihi vel congregali vestro, vel certè cani vestro conuiciatur quilibet inimicus; dummodò me magis pro vestrâ, quàm pro meâ defensione latrare compellat*. Qnin inter encomia,quibus Neronem philosophum & confessorem eximium commendatissimum posteris habuit, *Canem* eum dicere non dubitauit, eò quod licet sacerdotali nullo charactere præstaret, vigilantis Episcopi vices impleret. *Ades dum Canis, non impudentia, sed oris libertate, non inglauie,sed quia in diem viuis; non latrare, sed boni custodia vigilysque pro animarum salute susceptis; atque etiam quia virtutis quidem familiares, ac domesticos mulces, alienis autem oblatras*, quibus verbis industrij vigilisque Hyerarchæ exemplar obijcitur.

Isai.56. 10.

D. August. con...

D.Gregor. Naz or.23. sub.init.

Sed illud instar omnium sit, quòd scilicet nostræ fidei Diuinus Pastor suum gregem nobis commiserit, & ad eum incolumem seruandum, nutriendum, ducendum nos Pastores elegerit: quid ex oratotia penu alias congerere eloquentiæ rationes? hoc vnum satis nobis sit, ad horrorem nobis incutiendum, ad nostram vigilantiam excitandam.

Quàm anxij, quàm vigiles ad suos greges seruandos Pastores sint, quàm laD boriosi, quàm industrij, quàm indefessi, quis ignoret? fœlices illi Turris Aeden Pastores id testentur, qui sacro Euangelij scriptore referente, *Et erant Pastores in regione Aeden vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum*: in suæ vigilantiæ præmium cælestem fortè legationem meruerunt; hinc certè opportunitatem clarissimus scriptor excepit, quâ Collegas suos Antistites alloquens diceret. *Si verè Pastores sumus, & proprijs gregibus inuigilamus, ad nos vtique spectat Angelorum vox, qua magnum annunciat gaudium*.

Luc.28.

D.Gregor. Niss.oratio natiu.Dom

Patriarcha Iacob hoc ipsum testatur, qui eodem in loco duodecim annorum interuallo Labani greges tam fidâ custodiâ perduxit, & pauit, vt iure meritò ille pronunciaret. *Oues tuæ, & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi; nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam: quidquid furto peribat à me exigebas: die, noctuque æstu vrebar, & gelu; fugiebatque somnus ab oculis* meis

Genes.31. 38.

uris &c. Si ergò, qui capreas, & oues ferro tandem mactandas tàm vigili oculo, tàm industrio labore custodit, quâ vigilantiâ præstet oportet, qui Domini gregem, beatirari destinarum, custodiendum habet? si noctu diuque quietis inimicus eugilar, si aeris inclemenriam constantiâ tam inuictâ retundit, si vel solis æstus, vel niuium gelu, vel pluuiarum hyemes, vel ferociam ventorum animo impauidus perfert, an quieti se dederit, & solaria quibus recreetur quæsierit pastor animarum, cum præsertim stygiorum luporum confertas acies semper circum vagari non ignoret, quorum aggressionibus suus grex obruatur, quorum sæuitie deuoretur? an quiescet cum de singulis ouibus reddenda ei ratio Deo Iudici sit? comparationem hanc eximiè Diui Chrysostomi eloquentiâ illustratam accipe. *Si enim Patriarcha Iacob pecudibus præpositus, & oues irrationales pascens, & homini rationem redditurus, & noctes ducebat insomnes, & æstum, & gelu, & omnem aeris intemperiem, vt nulla earum pecudum periret: multò magis nos, non irrationalibus, sed spiritualibus ouibus præpositos, & non homini, sed Deo præsidentiæ huius rationem reddituros, ad nihil torpere, & tergiuersari oportet, quæ gregem iuuare possunt; sed quantò melius grex iste grege illo, & brutis quidem homines, hominibus verò Deus, tantò maius, & nos, vehementiusque studium, & promptitudinem exhibere oportet*; hoc idem eodem fere stylo descriptum ad Anastasium Antistitem scribens Diuus Gregorius egregiè suo de more descripsit. Adde, quòd si ex ouibus aliqua Iacob perijsset, leue detrimentum inferebatur, aliaque substantiâ facilè reparandum: verum si ex Episcopi socordiâ ouis vna Christiana perierit, quonam pacto eam Episcopus reparauerit, cum tanti pretij sit, vt ad eius aspectum omnes ipsæ Erythræi gemmmæ sordescant: rursus accipe Chrysostomum hæc eodem aureo stylo versanrem. *Et illic quidem si iniuria quædam acciderit, nullum damnum: hic autem si vel vna ouis rationalis perierit, graue damnum, ineffabilis pœna.*

D. Chrys. hom 3. ad op. Antioc

D. Greg. l. 7. epist. 8

D. Chrys. hom. 57. in Genes.

A

B

Optimus enim verò Pastor ille fuit, qui nos omnes suomet exemplo adhortatus pronunciauit. *Vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte, & die non cessauit cum lachrimis, monens vnumquemque vestrum &c.* Quinam ex Episcopis tantam meritorum operumque opulentiam toto suæ vitæ interuallo congessit, quantâ se triennio illo Paulus ditauit? Quid profectò ad nostram excusandam socordiam decretoriâ vniuersi iudicij die ad Pauli aspectum nos homunculi proferemus, eiusque zelo ardentissimo tepor torporque noster conferetur? *Quid de nobis fiet, qui vix commissi nobis gregi spiritualia pascua prouidemus? vnde cum grandi tremore considerare debemus, ne ad nos etiam illa terribilis sententia dirigatur, quam seruus ille audire meruit, qui talentum duplicare noluit. Inutilem seruum proyeite in tenebras exteriores.* Quid iam de illis erit, qui ne sacra quidem pascua gregi suo offerre studuerit?

Act. 21. 3

D. Cæsar. in Matth. 25. 30.

Matth. 25. 30.

C

§ II.

D

CVM animarum pretio, quamnam proportionem vel aurea Hesperidum poma, vel Colchici velleris aurei excelentia, vel aureæ montium fodinæ? his tamen custodiendis addictus ab antiquis Draco erat, vt potè vigilantissimus & perfecta vigilantissimi solis imago. *Nam ferunt hunc serpentem acie acutissima & peruigili naturam huius syderis imitari, atque ideo ædium adytorum, oraculorum, thesaurorum custodiam draconibus assignari.* Sic de eo Macrobius.

Macrob. l. 1 Saturn. c. 20

Sacrum inter ignem, & prophanum quænam comparatio intexi potest? hunc tamen religiosissimè, ne vnquam extingueretur, Vestales virgines custodiebant: quid iam de eâ animâ dicendum, quæ Dei imaginem præfert Diuinique amoris æternùm æstuantis igne succenditur? de ea, quam Diuinus Pastor, nouem Angelorum choris derelictis, reperturus inter inuia huiusmundi perquisiuit? de ea, quæ non tantùm sublunaribus his gemmis, sed ipsis stellarum syderumque fulgoribus splendidior, & preciosior Deo est? de ea, pro qua redimendâ, mercator ille supremus, qui rerum pretia benè callet, pretiosissimum suis è venis sanguinem

Luc. 15. 4.

guinem soluere non dubitauit; an non igitur damnanda ipsi erit nostra socordia A in deposito tàm pretioso seruando? an impunes nos abituros cogitemus; si in eius custodia inertiâ victus noster animus elanguescet? *Nam si Dominus noster sanguinem suum proprium effundere pro illa non declinauit, quà venia dignus fuerit qui sic honoratam à Domino despicere voluerit animam, & non omnia, quæ potest, in curanda ouicula adimpleuerit?* Hæc è Chrysostomo. D. Chrys. hom. 57. in Genes.

Suam satis excellentiam anima ipsa commendat, & mutâ quadam eloquentiâ vigilantiam eam prædicat, quâ custodienda illa nobis est; sed comparationem audi; quâ eius præstantiam magis Diuus Bernardus illustrat. Si mihi inquit, phiala vitrea commendaretur quâ pretiosissimæ aliquæ è Christi sanguine guttæ seruarentur, quàm diligenter, quàm anxiè, quàm sollicitè ei seruandæ studerem, quàm vigil & cautus in eâ seruandâ essem, ne fortuitò me concidente ea præ suâ fragilitate frangeretur? quàm oculatus à quocumque offendendi vel labendi periculo me remouerem, quàm axius ne ex illis aliqua extra phialam funderetur? quanto igitur cautior, quantò Industrior & oculatior in ijs seruandis B Præsul futurus est, pro quarum singulis Sapientissimus Mercator Deus, non exiguas admodum stillas, sed pluuio imbre deriuatum cunctis ex artubus totum sanguinem fudit exanguis? Me miserum, si meâ negligentiâ ex eis aliqua non custodita perierit!

Iam Bernardi lacteum sermonem bibe. *Si stillantem de Cruce Domini sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod portare sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? At certe pretiosissimum animarum thesaurum seruandum accepi, pro quo Christus, mercator non insipiens, idest, ipsa sapientia patris, totum suum sanguinem dedit. Quid ergo infælix quo me vertam, si tantum depositum, quod sibi Christus proprio sanguine pretiosius iudicauit, contigerit negligentius custodire;* Non vigiles Dracones, non Vestales Virgines ad has custodiendas Deus elegit, sed Episcopos, hoc est eos, qui candorem Angelicum specie humanâ præferrent; de his enim dictum est, *Angelo* C *Ecclesiæ Sardis scribe, esto vigilans.* D.Bern.ser 3.de Adue. Apoc 3.

Quis ad hæc non contremiscat & exhorrescat! pretium recogites tàm ingens & immensum ardorem, quo nobis Deus eas commisit, exactam rationem, quam Deo sumus de ipsis reddituri, discrimen, quo earum aliquâ nostrâ ignauiâ pereat: ad hæc simul cùm Bernardo in ista erumpens. *Quid ergo infælix, quò me vertam, si tantum depositum, quod sibi Christus proprio sanguine pretiosius iudicauit, contigerit negligentius custodire?*

§ III.

QVIS nam placidæ quieti se dederit, postquam non vnius tantùm animæ, sed populorum & nationum sponsorem te præstiteris, non pro temporaneis & caducis, at æternis & indefecturis bonis, non homini facilè decipiendo, sed Deo veritatis anthori & vindici? vt sponsioni huiusmodi diligentia nostra respondeat, quàm accurata, quàm enixa debet esse: Diuinum de hoc spiritum D admonentem audi: *fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam; illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus.* Si hæc allegoricè excipiantur (ad mentem Diui Gregorij, Thomæ, & Bedæ) Episcopos hic Deus alloquitur, qui curam animarum excipientes, se pro illis sponsores deuerunt ad eas educandas, & ad Cælum educendas, & solemniter hoc idem non consecranti solum Episcopo, sed ipsi Deo professi sunt. *Spondere namque pro amico est alienam animam in periculo suæ conuersationis accipere.* Verùm si Deus Episcopos vt amicos suos diligit & honorat, eisque sui cordis arcana aperiens suam familiaritatem ostendit iuxtà illa, *Non dicam vos seruos, sed amicos*; quid nam est, vt hic extranei vocentur? *Defixisti apud extraneum manum tuam*; Bernardi explicationem afferens Diuus Thomas difficultatis nexus enodat, *Deus est amicus in sponsione, & extraneus in exigendà ratione*, quó magis se tibi blandum Prou.6. 1. D. Greg. 3 Pastor. c 5. D. Tho in c 21. epist. ad Hebr. lec.3 Beda in pro c. 22. 26 Io. 15. 15 Bern.

& amicum Deus exhibet tam inclytum, tàm venerandum Sacerdotij tibi honorem impertiens & depositum tibi tam pretiosum committens, eò rigidior & severior in 'exquirendâ eius rationе erit, nec te vt amicum, & filium, sed vt extraneum aget. Proh Deus! ad tam formidandi clamoris tonitru, quis socordiæ veterno excusso non assurget? quis à tàm ingenti æternoque discrimine nos A

d. c. 3.3. subducet. Vigilantiæ solum hoc erit, ait Diuinus spiritus, *Fac ergò quod dico, Fili mi & temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui.* An dignitatem exuentes & infulas abdicantes hæc nos præstabimus? nequaquam: sed discurre, festina, suscita amicum tuum; ne dederis somnum oculis tuis, ne dormitent palpebræ tuæ, supplicium illud, quo te socordia tua damnaret, omni studio cautus euita; ignauiam omnem socordiam exue & excute: adhortationibus, precibus, minis, supplicijs amicum tuum excita eos scilicet, pro quibus tuam fidem spopondisti; ne vnquam quiescas, ne otieris, ne torpeas, & vel solatiorum lenocinio, vel ineptorum operum laqueis capiaris, adeo vt totus custodiæ gregis adhæreas, & alienæ opus vtilitatis perficias; Haud satis est, vt tibi euigiles, alijs etiam prospicias oportet, alios excites; do Gregorij sententiam, B

D. Gregor. loco cit. *Quià quisquis ad viuendum alys in exemplum proponitur, non solum ipse, vt vigilet, sed vt amicum suscitet admonetur. Benè autem dicitur, ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tua, somnum quippe oculis dare, est intentione cessante curam omnino negligere subditorum: palpebræ verò dormitant, cum cogitationes vestra ea, quæ in subditis agenda cognoscunt, pigredine deprimente dissimulant, &c.*

Guissan.l 8. c. 10. Hinc Diuus Carolus ægerrimè patiebatur, quòd Episcopus Legationibus administrandis assuetus ad suam Diœcesim redux diceret, otiosum se illic permanere; alteri autem è perdocti Theologi sententiâ pronuncianti, ad vires corporis aptè valideque confirmandas, septem saltem somni horas absumendas, commendandum hoc responsum dedit, De Episcopo aliter philosophandum, aliter

Arist. in Econ. l. 1. c. 6. statuendum: suum hoc effatum Aristotelico sermone confirmare ipse poterat; in Aeconomicâ enim magnus ille Magister asserit ad domum optimè administrandam, Patrem familias primum omnium fore, qui vigil assurgat, quique postremus quietem capturus accumbat; hinc *è minori ad maius* philosophari nobis licet, si hæc de Patre familias temporaneo probantur ad opes fluxas, & caducas congerendas, quantò validiùs à sacro Patrefamilias requirenda ad cælestes thesauros comparandos! Idem sanè Diuus Carolus ad Valentiæ Antistitem scribens ait, delicati viri ne dum Antistitis esse, vel suæ incolumitatis studio, vel metu mortis à sui sacri regiminis laboribus se remouere, & in eis suscipiendis elanguescere: hæc sanè non tàm alijs vir pijssimus suggerebat, quàm suomet exemplo fortius confirmabat, tantâ sollicitudine suæ Diœcesis vtilitati elaborans, vt penè recentis huius ætatis prodigiū videatur: Diuum hic Chrysostomum præterire libet, quem eò vsque sollicitudo suæ Diœcesis rapiebat, vt C

Baron ann. 407. ipsimet vitæ necessaria obliuisceretur; Ambrosios, Augustinos, aliosque sexcentos, facilè recensendos sua quisque mente recogitet, paternæ huius sollicitudinis imagines præstantissimè elaboratas & nobis omnibus imitandas: ab illis tamen nostros oculos auertamus, de quibus indignatus Bernardus ait, D

D. Bernar. ser. 77. super cant. *O vtinam tam vigiles reperirentur ad curam, quàm alacres currunt ad Cathedram.*

Surius ex Nicephor. 31 Febr. Verùm quia non pauci extremam ætatem, quâ laborant, quasi clypeum validissimis hisce telis obijciunt ad perniciosam quietem qua delectantur excusandam, Diuum illis Antonium præferamus, qui extremâ iam ætate confectus ad Constantinopolitanam sedem euectus, ac si Aquilæ instar recentibus pennis indutus iterum adoleuisset, Briarei more centimanus videbatur, & vbique labores suos effundens tantæ Præfecturæ munus implebat; haud tamen de se ipso contentus peracerbè se ipsum obiurgabat, ac si vigilantior prophano suo regimini studeret Cæsar delicijs scatens, quàm sacro Magistratui Antistes Christi laborantis Vicarius.

Arian. l. 7. de exped. Profectò, si Arriano referente, gloriæ suæ vertebat Alexander, quod ad Macedonum quietem vel comparandam, vel confirmandam ipse vigil diesque noctesque

ctesque transigeret; si, Xenophonte teste, Cyrum sapienter Cambyses admo- Xenophon. l. 1.
A nuit, ne vnquam populorum negotijs adeo præpediri pateretur, vt quæ posterâ die facienda essent, nocturno semper tempore præuidere non posset; si de Constantino Libanius fidem facit, *quod attentam operibus habebat, & manum & mentem, vt neque iubare exorto, neque nocte adueniante, posset quis dicere illum cessauisse, aut ab vtroque, aut omnino ab altero*, si Hadriano Cæsari, vt Sextus Aurelius narrat, cùm suorum laborum pietate correptus eum ad quietem aliquam assumendam adhortaretur, Turbo Præfectus respondisse fertur, Cæsarei serui esse, vt stans, & laborans moriatur: Quidnam, Immortalis Deus dicendum, & faciendum Episcopo est, Dei causam agenti, Dei gregem custodienti, vel à Deo de suis laboribus coronando, vel æternùm de sua ignauia damnando? Quonam metu se debet excutere, quâ diligentiâ se iterùm excitare, qui socordiam in re tàm excelsâ, tàm æstimandâ per summam iniuriam fouerit; sanè Varrò Consul post acceptam ad Cannas ab Hannibale cladem, nunquam in posterum prande-
B re sedens elegit, vt nunquam interruptâ diligentiâ præteritam desidiam compensaret, easque labes abstergeret, quas suo nomini, suaque negligentia inussisse videbatur; Hæc expendens Diuus Damianus ait, *Quòd si faciunt hoc Ethnici, vt fama sua nomen extendant; quid agendum est Christianis, vt in cælesti gloria sibi sedes acquirant?*

Cyrop. Liban. in B ille Sextus Aurel.

D. Petrus Damian. l. 3 epist. 8.

Si pariter Persarum Reges, iuxtà Plutarchi fidem, cubicularium penes se habebant, qui matutino eos tempore excitans eos admoneret de ijs expediendis & gubernandis, quæ Regali fidei commendauit Horosmades, longè honestius est, vt conscientiæ vocibus excitetur Antistes, & ad eam capessendam vigilantiam vrgeatur, & prouocetur, quam Deus suas illi oues commendans efflagitat; hanc certè vigilantiam non tantùm vel quietis, vel solatiorum amore exeutere illi fas est, sed, quis credat, ne quidem ipsius Dei familiari consortio allici adeo debet, vt à labore auertatur, cum ad Marthæ munus exercendum non Magdalenæ ipsa Diuinâ sapientiâ destinetur: non de precibus, diuinisque meditationi-
C bus reddenda Deo ab ipsis ratio est, sed de diligentia & studio, quo populorum pietatem coluerunt; quapropter nobis ea tribuit Diuus Bernardus verba, quæ ad Magdalenam excusandam Christus Dominus vsurpauit. *Quibus enim conuenientius videtur aptandum, quòd Dominus ait, Marta Marta sollicita es, quàm Prælatis si tamen dignè in sollicitudine præsunt? Aut quis turbatur erga plurima, nisi cui & Mariæ vacantis, & Lazari pœnitentis, sed & ipsorum quibus onera sua partitur, vniuersa incumbit sollicitudo.*

Plutar. l. ad Princ ibid.

D. Bernar. ser. 3. de Assumpt. Luc. 10.

Finem hic mellifluus Bernardus imponat, qui legem aliàs recogitans, quâ ad eximiam vigilantiam obstringuntur Antistites: adnotat, quòd diuersimodè sacris à literis animæ appellantur; nunc enim ciuitatum, nunc sponsarum, nunc ouium, nomenclaturâ donantur; è quibus hæc ille. *Attendite vobis & pretioso deposito, quod vobis creditum est. Ciuitas est, vigilate ad custodiam, concordiamque: Sponsa est, studete ornatui: oues sunt intendite pastui.* Huius vrbis securitas in eo versa-
D tur, vt ab ea improborum irruptiones, stygij veteratoris fraudes, hæreticorum venena, vitiorum contagia repellantur. Sponsa est? ornanda igitur virtutibus & discolori harum pompa, mundo quasi muliebri, quo eius venustas augetur, Deique amor validiùs accenditur, illustranda. Ouis est? pascenda igitur, & potissimùm diuino sermone, vt fusiùs infrà docebitur.

D. Bernar. ser. 7 super Cant.

De Diœcesi ab Episcopo inuisendâ - Cap. IL.

DVO sunt cardines, quibus Episcopalis sacerdotij moles innititur, vt nempè suæ Diœcesi adsit Episcopus, eamque frequens inuisat: vigilantia vtriq; præstando debetur, animæ instar, quâ sacri regiminis corpus animatur. Verum quidem est, quòd primariam licet vrbem Antistes inhabitet; subiectam sibi regionem

gionem cogitationum passibus assiduo permeare debet; suoque tantùm palatio dum corpore adest Diœcesim totam vigilantiæ vehiculo ductus debet inuisere. A

Pontificem Eugenium de hac re à Diuo Bernardo admonitum audi: *Exi in mundum quibusdam tua passibus intenta sollicitudinis, & sollicita intentionis &c.* (D. Bern. l. 2 de consid.)

Eodem pariter modo Seraphim, quos Isaias inspexit, volabant simul, & stabant, *Seraphim stabant super illud, duabus tamen alis volabant*; vt iuxtà Hugonis mentem exprimerent Episcopos, excubiarum instar in suam Diœcesim inuigilaturos. *Seraphim stant, idest Prælati super Ecclesiam, sicut excubiæ.* Hoc pacto Horologium, quod sapienter vrbium regimen, & Ciuitatum magisterium dicitur nullo motu recedens, Solis cursum, & temporis fugam per immensa Cæli interualla sequitur & metitur; habes hæc à Cassiodoro, qui de Horologio loquens, ait *Radius itaque immobilis & paruus, peragens quod tam miranda magnitudo solis discurrit, & fugam solis æquiparat, quod motum semper ignorat.* (Isai. 6. 1. — HugoCard ibidem. — Cassiod. l. 1. epist. 45.)

Personalis tamen præsentia, quâ se omnium visorem representet Antistes, incredibile dictu est, quàm sit ad omnia vtilis, & omnibus salutaris: Lumen simul, & beneficum desfluiũ illis præsens Antistes impertiet, qui caligine perpetuâ obuoluti luctuosâ nocte damnantur. Minimum quidem errantium omnium astrorum Luna est, alijs tamen præstat tùm copiâ, tum magnitudine effectuum, non quidem eò quòd validiori virtute, vel luce splendidiori roboretur, sed quia terræ præ alijs proxima faciliori motu sublunaria quæque corpora flectit, & agit. Quantò igitur suæ Diœcesi proximior erit Antistes, quò frequentius præsentem se per Pagos, & Castella præbebit, eò efficacior in opere populorum animos ad pietatis studium alliciet, & trahet. B

Ecclesiastici Cęli mysticum Solem in Episcopo dari superiùs frequenter ostendimus. *Vos estis lux mundi*, celerrimo simul, & perpetuo motu Solis est, Cæli latissima interualla percurrere, eiusque Diœcesim sibi à Diuino imperio adscriptam inuisere, adeò vt vnius anni mensurâ à suâ Zodiaci viâ nunquam deflectens, sydera omnia eorumque domus perlustret, & vberrimo munere lucis illustret. *Oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur: ibique renascens, girat per meridiem*; quâ de causâ auream catenam apud Platonem eum Homerus appellauit, cuius nexibus circumuolutus orbis seruatur: *Nihil aliud Homerus quàm Solem dicit, & ostendit esse auream Catenam, quia dum Sol mundo suo cursu ambit, ac lustrat, omnia salua sunt, & conseruantur; tum quæ apud Deos sunt, tum quæ apud homines: si verò stet, & quiescat tanquam vinctus, res omnes interirent.* Religiosi & optimi Antistitis est, vt suæ Diœcesis Eclipticam suâ deambulatione percurrens eam foueat, illustret, omniq; procul à malo tueatur incolumem; Hinc apud veteres Soli, quem vocabant *Theon* idest *currentem* conferebatur Antistes: quod si prophanus & Ethnicus Princeps Traianus, inter cætera, quibus Plinius eum ornauit encomia, egregiè has vices impleuit, iuxta ea *Postremò velocissimi syderis more omnia inuisere, omnia audire, & vndequàque inuocatum, statim velut Numen adesse & assistere*, quod idem de suo Polybio testatur Seneca: quantò magis præstandum hoc ab Episcopo est, qui benefici, & viuifici syderis instar Diœcesim suam fouere tam præsens debet, vt ab ea absens perniciosissimus æque ipsi foret, ac si Sol à terris abesset. Huiusmodi vigilantiâ illustrem se pariter designauit Philippus Secundus Rex Hispaniarum, cùm Solem pro symbolo describens Epigraphen addidit *No cansado, y por todo*; *indefessus, & vbique.* Syderum igitur Principem supremum imitemur, qui non Principum tantùm aulas, sed Mapalia Pastorum inuisit, non Vrbes tantum, aut campos seu viridiaria, sed abruptos etiam montes, solitudines nusquã non perlustrat, nec sui luminis imbre sublimes tantùm cupressus, sed miricas humillimas irrigat, colit, fouet, ditat, terras simul implet & mare; adeò vt, si alicubi sæuissimâ scelerum hyeme virtutum flores exaruerint, pietatis fructus sterilescant, nostræ præsentiæ virtute robur aridis, fœcunditatem sterilibus præbeamus. (Eccles. 5. 1. — C — Plato in Theutero. — Plin. in Panegyr. — Senec. ad Polyb. de consol. c. 26 — D — Ferruf. de impres.)

Legati Dei sumus; *Pro Christo legatione fungimur.* Populos igitur omnes, ad quos mittimur, informare tenemur. Magistri & Dei interpretes vocamur: omnibus ergo diuina lex, diuina voluntas explicanda. (2. Cor. 5. 20)

Epis-

Episcopi sumus, *idest visitantes*, vt è Græco idiomate habetur; vbi enim è 2.Petr.2.12
A nostra vulgata in quâdam è Diui Petri Epistolis habetur *dies visitationis*, Græcè scribitur *dies Episcopalis functionis*. Diœcesim igitur inuisentes potissimum nostrum munus exerceamus; si enim hoc eareamus, Episcopi nobis nomen exuendum est; inxtà quam sententiam illud oraculum aliqui interpretantur, quo venturum Messiam æternus genitor alloquens ait, *Dabo tibi ambulatores, id est Episcopos*. Zacch. 3.7

Pastores sumus; grex ergo noster, nostris semper oculis præhabendus. *Pecora tibi sunt, attende illis*. E Græco Iansenius vertit, *Inspice & visita*. Eccl.7.21.

Apostolorum successores sumus, quorum præsentiâ totus illustratus orbis, quorum laboribus & cursu vniuersi sibi imperium Christiana fides subiugauit, *In omnem terram exiuit sonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum*. Psal. 18. 5.

Discipuli sumus & Christi Vicarij, quem Diuus Petrus Episcopum appellauit, *Episcopum & Pastorem animarum nostrarum*; hic autem Diuo Mattheo refe- 1 Pet.2.25. Marc. 6.6.
B rente, *Circuibat Castella in circuitu docens*, quæ verba perpendens Theophilus Matth.4.23
Antiochenus, perutile monitum ex ijs haurit, non Episcopis tantùm, sed concionatoribus: *Non solum in Ciuitatibus prædicabat Dominus, sed etiam in Castellis; vt discamus parua non spernere, neque magnas semper quærere Ciuitates; sed verbum Dei in vicis abiectis, & vilibus seminare*. Theop. Antioch. in Catena aurea.

Angeli pariter sumus; hac enim nomenclaturâ septem Asiæ minoris Episcopi donati fuere, *Angeli sunt septem Ecclesiarum*, huius autem nominis vi non ad vigilantiam tantùm excitemur, sed ad celeritatem, quâ vbique nostri populi commodis consulamus. *Omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Hebr. 14.

Titulis hisce legem populi sortiuntur, qua nos iure quodam obstringunt, ad eos inuisendos simul & instruendos.

C

§. I.

Ex ijs etiam verbis, *qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis*, vatieinium, ad hoc idem confirmandum, eruit Diuus Bernardus: hos enim esse Præsules ipse docet, qui nullo frœno coerciti præpetum sagittarum instar per suam Diœcesim peruolare tenentur, submotisque periculis ad æternæ portum salutis omnes adducere. Psal. 105 D.Ber.ibid

Aptissimum etiam symbolum illud est, quod in Pathmos Insulâ Ioanni spectandum se dedit. Quatuor ipse vidit animantia currum admirandum trahentia: Ecclesia curru isto describitur, & illis animantibus sacrij Præsules, quorum regimine ad Cæleste Capitolium adducitur: quâ de causâ aderant, *in circuitu sedis & in medio throni*, quid tamen est, quòd in circuitu simul essent & in medio? difficultatem hanc Diuus Primatius Mathematica disciplina suffultus
D facilè dissoluit: *Omnes*, inquit, *lineæ quæ in centro sunt, in circumferentiâ etiam inueniuntur*: ex hac enim se deriuantes in centrum abeunt, cum hoc tamen discrimine, quod in circumferentiâ sibi inuicem distant, cum simul in centro colligantur: eodem planè modo Præsulum diligentia in illis animantibus designatur. *In hac figurâ totalis Prælatorum diligentia pranotatur, In medio enim throni* permanere ità debent, hoc est in sui regiminis sede, vt etiam opportunè *in circuitu* sint, Diœcesim perlustrantes, instruentes. Apoc. 4. 6. D.Primas.

Dei fortè præceptum expetimus? ex ijs verbis abundè nobis subministratur, *Discurre, festina, suscita amicum tuum*, vt superiùs expendimus: Sed alia in sacro codice non desunt ad idem aptissima: ea præsertim expendas velim, quibus nos vt animarum Pastores alloquens Deus, sic ait, *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera*, vel vt ex Hebræo vertitur, *Agnoscendo agnoscas facies pecoris tui, & pone cor tuum ad greges*. Cognitio hæc, qui nam haberi potest, ni populi personaliter inuisantur? sermonem hic de Episcopis haberi clarissimè docent, tùm Diuus Beda, tùm Hugo Cardinalis, Carthusianus, & alij. Pastori Prou.6.1. Prou.27.23

dici

dicitur Ecclesia, diligenter adhibere curam eit, quibus te praesse contigerit: agnosce animos, actusque singulorum, & si quid in eis vitij sordidantis inueneris, citius castigare memento. Vt autem diligentiam hanc quisquis indueret, tùm vitæ & dignitatis breuitate, tum mercedis immortalitate ad eam nos Deus extimulauit, *Non enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur in generatione & generationem, idest in sæculum,* vt vox Hebræa *Gholam* significat. A

Ioann.10.3. Idem prorsus nobis Christus ipse Dominus ijs vocibus insinnauit *Bonus Pastor proprias oues vocat nominatim*, ac si doceret ad probatum gregis regimen haud quaquam sufficere rudem aliquam leuemque cognitionem habere alieno sermone descriptam: sed insuper postulari, vt tàm exactè de singulis pascendis, & seruandis cogitet, ac si in singulis omnes & singulæ in omnibus conuenirent. idoneè hic grauis author adnotat, quód vt in omnia animantia dominium Protoparenti Deus impertiuit, ad eius aspectum omnia adduxit, vt accommodatum cuicumque nomen adscriberet: optimè his edoceri Episcopos ait; vt enim opportuna cuique media & remedia possit adhibere, singulatim debet populum totum agnoscere; si enim ad vnum nomen imponendum inspectanda Adæ oculis animantia cuncta dedit, eorumq; indolem obseruandam. *Quantò igitur magis ipse Deus vellet, vt Pastor oues suas cognoscat & videat, & proprijs nominibus vocet?*

Genes.2.19 Ferus ibid. B

Validiori dicendi formâ hoc idem nobis gentium Magister exposuit, cùm vltimò è Græcia abiturus, eos Episcopos, quos Miletum aduocarat, alloquens ait, *Attendite vobis & vniuerso gregi*: satis ei non fuit, si eos ad custodiam gregis obstringeret, sed illud insuper datâ operâ addidit vniuerso, vt nimirum nobis innotesceret, ad singulas nostri gregis oues nostram vigilantiam referendam; quod etiam, vt validius suaderet, earum pretium designauit, *In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*; vt enim optimè ait Diuus Vigilius Episcopus, *Porro pretium tantum sanguinis filij vehementer sollicitat, & flagitat Pastorum custodiam & curam: monetque fore, vt Princeps ipse pastorum peculium diligentissimè tueatur & seruet.*

D.Iren.l.3. c.4. Act.20.8. D. Vigil. l. 2. con. Eutych.

Hinc maximi Pontifices & sacri Conuentus cælitus illustrati vires omnes impendunt, vt Episcopos excitent ad Diœcesim in singulos annos personaliter inuisendam, vt opportunas & accommodatas leges statuant, quibus populorum mores componantur: videas velim, quæ Diuus Leo Quartus hac de re ad Britannos Episcopos scripserit: quod postea idem Concilium Tarraconense, Arelatense & quartum Toletanum confirmarunt. In hoc autem, cùm supplices plures libelli perlegerentur, quibus de Episcopis nonnullis populi conquerebantur, eò quòd ab eis non inuiserentur, & ad certam pecuniæ vim soluendam obstringerentur, quâ se à sumptibus ijs redimerent, quos in visitatione eiusque hospitio peregissent, peracerbè hoc pijssimi Patres audiuerunt, & totam auaritiem stomachati, hæc protulerunt, *Quæ duplex infamia negligentiæ, & auaritiæ Sanctæ Synodo magno fuit horrori. Statuerunt itaque, ne quis vltra exerceat id cupiditatis ingenium, vt solertiores sint Episcopi de suis gregibus visitandis*: quia vero alicubi hic in Italiâ pessimus hic mos inualescit, humillimè venerandos meos Collegas exoro, vt seriò maturèque tanti Concilij verba perpendant, eaque postea operentur, quæ sibi morituris magis probabuntur. C

c. Regenda 4. Io. 4. l.c. c. decreui. 10. & c. Episcoporum 11. 10. q.1 Cóc Arela. c. 17. c. relata 11. 10. q. 1.

Extrema demùm hac ætate Synodus Tridentina huiusmodi legem non tantùm instaurauit, sed eius necessitatem & robur agnoscens tribus integris sessionibus eam arctiùs roborauit, facultatem Episcopis impertiens, vt tanquam Ecclesiæ delegati Ecclesias inuisant illi normæ adhærentes, quæ ibi describitur, sacræque Congregationis suffragio designatur. D

Conc.Trid. sess.24 c 9. de reform.

Si demùm tùm in veteri, tùm in recenti lege exempla perquiramus, primus omnium prodeat integerrimus Ioseph, qui vt Aegyptiæ moderationis molem suscepit, & Regiam beneuolentiam adeptus fœminæ illustrissimæ se desponsauit, nuptiarum lenocinia, sponsæ amores, aulæque delicias omittens inuisendo Regno operam dedit. *Egressus est itaque Ioseph ad terram Aegypti*, hinc Platonico Philoni commendatissimus fuit, hæc de ipso pronuncianti. *At Regius Vicarius assumptâ Aegypti procuratione, obibat eius regionis præfecturas, & oppida; omnibus*

Genes.41. 46. Philo l.6. de Ioseph.

nonum

nouum magistratum officiosè, & hilariter excipientibus: quos tùm beneficijs, tum co-
A *mitate sibi deuinciebat, elucente in ipso vultu hominis eximiâ quadam gratiâ*. Si ergo
Ioseph inter deliciarum flores, & fortunæ blandientis illecebras in administrando
regimine tàm sedulò, & diligenter studet, an otio languescere, & squallere de-
sidiâ Episcopus valeat, Pastor populorum, Christique Vicarius: hoc sanè exem-
plo tanquam acutissimo calcari ad moto, Præsules ad laborem visitationis obe- Oleast. in d
undum excitauit Olaester, *Debent Gubernatores visitare, & videre suis oculis, quæ* c. 41. 46.
sibi commissa sunt.

Spectatissimus etiam hac in re fuit Samuel, qui nulli labori parcens viarumque
incommoda, & asperitatem aspernatus, potiora Palestinæ sibi subiecta loca sin-
gulis annis perlustrabat, *Et ibat per singulos annos circumiens Bethel, & Galbala,* 1. Reg. 7. 18
& indicabat Israelem in supradictis locis, sic ille ante Euangelij legem, euange-
licos Præsules suo exemplo informabat.

Illustriùs tamen hoc idem supremi Christiani Gregis Pastores hoc nobis insi- Epiphan.
B nuarunt: de Apostolorum enim Principe Diuus Epiphanius memorat, quòd apud Lorin.
licet supremam suam sedem Romanâ in Vrbe collocaret, Linũ tamen, & Cletum
suos ibi Vicarios Episcopos designauit, vt ad alios inuisendos etiam populos
expeditior posset accedere. Sed quid de Diuo Paulo dicendum? Quæ nam
vrbs, quæ regio tam dissita, tam seposita Insula eius præsentiâ non gestijt, eius
oculis illustrata non fuit? audi Chrysostomum: *Diuina illa anima vniuersum* Act. 15. 36.
orbem circumplexa est: his tamen haud quaquam acquiescens suos iterum popu- D. Chrys.
los, suorum laborum fructus inspecturus peruagabatur, ad eorum fidem pro- in Proem.
bandam, ad pietatem fouendam, ad Dei amorem magis accendendum; an ep. ad Rom.
non igitur eum meritò auem Chrysostomus appellauit, charitatis alis indefesso
volatu omnia perlustrantem. *Volantis præ charitatis affectu, omnes assiduè circum-*
ibat, nusquam manens, nusquam stans; hinc Pauli ea ad Barnabam. *Reuertentes* D. Chrys.
visitemus fratres, in quibus prædicauimus verbum Dei, quomodo se habeant. Et ad loco cit.
C Thessalonicenses scribens ardentissima illa exarauit. *Nos autem fratres desolati,* Act. 13. 36.
& vobis ad tempus horæ, aspectu non corde abundantius festinauimus faciem vestram 1. Thessalon
videre cum multo desiderio: conqueritur tamen Dæmonis fraude ab eorum visita-
tione præpeditum, *sed impediuit nos Sathanas*.

Hinc exploratum omnibus satis erit, impedimenta omnia, quibus ab inui-
sendis populis retrahemur, rationes, quibus noster accessus prohibebitur, diffi-
cultates omnes vel ex itinerum molestiâ, vel è corporis imbecillitate, vel tem-
porum iniuriâ assurgentes, Sathanæ odio, & inuidenti à exoriri: cùm enim ille sa-
tis certior sit de ingenti vtilitate, quâ è Præsulis præsentiâ grex totus afficitur,
de diuina gloriâ, quæ clarior ex eâdem effulgescit, vires omnes, studium omne
conuertit, ad eam nobis negligentiam afferendam, qua quieti nostræ consulen-
tes viarum laborem, viriumque lassitudinem fugiamus; cum igitur hoc potis-
simum Pastoralis vigilantiæ munus sit, & â nobis singulari quodam ardore Pa-
storum Princeps exoptet ad sui gregis commodum, ad suæ gloriæ incrementum,
D meritò nostrum ab eo animum Dæmon auocare contendit. Illud demum nobis
adhæreat, quod è Diuo Cyrillo Alexandrino Patriarchâ deprompti. *Inquirere* Niceph. l.
quomodo Seruatoris greges regantur, atque manuducantur, omnium vbique Episcopo- 14. c. 17.
rum vna est cura; sed de his caput proximum instituemus.

De eodem agitur, excusationes aliquæ profligantur, & quæ in Diœcesi inuisendà præstanda sunt, breui indicantur. A

Cap. L.

COMMODA, quibus Episcopalis visitatio affluit, optimè stygius hostis agnoscit, clades nouit, quibus ipse prosternitur, victorias numerat, quibus Cælum ornatur; nil igitur mirum si tantopere ipse conetur eas B vel auertere, vel euertere, suoque de more se in Angelum lucis immutans, ea Præsulum animis insinuat, quæ in tanti momenti re eorum conscientiam tranquillare aliquatenus possint.

Primùm igitur eis objicit, longè vtiliorem esse in vrbibus præsertim magnis Episcoporum mansionem facere: cùm enim, iuxtà ea pijssimi Massiliensis Episcopi Saluiani. Salu.l.8. de Prouid. *Hoc enim proprium est magnarum vrbium: vt lustris plena sint, ac lupanaribus feteant, & quantum præcellunt cæteris magnitudine, tantum præstent impuritate.* Spatiosæ vrbes magnitudine sua laborant, magis vtique ibi tenetur adesse Antistes, quàm per pagos, aut castella percurrere.

Huius argumenti fallacia quem fugiet? licet enim ex eo optimè doceamur, in vrbibus plerumque maioribus nostram nobis esse faciendam mansionem, adhuc tamen alia minora loca omittenda esse non probat: an non pretioso Christi sanguine redemptæ omnium animæ sunt? an non demùm de omnibus arctissima C nobis est Deo Iudici ratio referenda? profectò quem latet vberiorem esse fructuum messem, quæ breui è visitatione refertur, quàm de diuturnâ vrbium mansione?

Diuino Spiritui per quàm optimè Ciuitatum, & populorum ingentium vitiorum copia innotescebat; adhuc tamen tot oraculis, & Concilijs superiùs allatis Diœceses inuisendas mandauit. Quòd si stygius lupus, & leo, vt nostro gregi insidietur diu noctuque *circuit quærens quem deuoret*, quonam pacto quiescere 1.Pet.5.8. nobis in centro liceat, circumferentiam omittendo, per quam excurrentes nostri gregis incolumitati euigilemus? Pastorum Principis vestigia adhuc patent, cùm è cælestis regiæ solio ad nos in libertatem vindicandos in terras elapsus, tot itinera, totque vias deuorauit, vt nos è stygij monstri faucibus eriperet iam deuorandos. P.Chrysol. ser. 170. *Et quia diù circumierat, vt diriperet, & deuoraret inimicus; nunc necessariò circuit, vt te vindicet, & eripiat Christus.* Hæc Chrysologus.

Egregiè & peracutè obseruat Origenes, cùm Regis parabolam expendens, cui D ad rationem reddendam seruos suos aduocanti, *oblatus est vnus, qui debebat ei decem millia talenta*: Matth.18. 33. Orig.tr.7. in Matth. *Vero vtique similes parabolæ sunt componendæ*, sic ipse; quinam ergo fieri potuit, vt tam ingens & exaggeratum debitum cum suo Domino contraxerit seruus? ne tamen miteris, sic ille suam difficultatem enodat: arguendus de hoc dominus est, eo quod diutiùs quàm par esset, rationem à seruis exigere distulisset; hinc discant Præsules, ex absentia suâ ingentem & maximam amplificari rationum molem, quæ omninò decresceret, si præsentes rationem à populis exigerent. Adde, si Diœcesim inuisendam certò Vicarij sciant alijque administri, optimè se cōponerent suumque munus exercerent, vtpotè qui ad reddendam rationem se aduocandos sciant; è contrà verò, maxima in eis agendi licentia gignitur, si sciuerint nunquam præsentem illis adfuturum Episcopum; non enim sacris rebus, at suis consulent, nec Euangelij lege, sed vtilitate suâ tanquam Lesbiâ regulâ sua opera metientur.

Egregium etiam aliud perpendas velim, ait Origenes, cùm enim seruos omnes

A nes aduocauerit ille Dominus, *voluit rationem ponere cum seruis suis*: vnus tamen repetundarum fuit accusatus: tantus enim metus & terror fuit, quo è Iudicis seueritate perculsi omnes fuere, vt suas statim omnes optimè composuerint rùm debiti, tùm crediti rationes, adeò vt nulla rationes subducendi necessitas amplius esset: maxima enim hæc è visitationibus eriuatur vtilitas, vix enim ad eam Antistes egredi-tur, vt ita se quisque componit, vt ab eius diligentiâ ex amore probari penituspossit.

Ad secundum prætextum accedo, quo aliqui suæ quieti consulere arbitrantur, si alios opportunè Visitatores per Diœcesim miserint, eorumq; operâ eius damna restaurauerint; nam *qui per alium facit, per se ipsum facere videtur* honestari hoc amplius posset ex eo, quòd antiquitùs Visitatores aliqui, *Periodeutæ* vocati, per Diœcesim mitterentur, vt in quadam è suis legibus Cæsar memorat, *sancimus neque Episcopum, nec Chorepiscopum, nec Periodeutem, nec Presbyterum, &c.* l. sancimus C. de Episc. & Cler. Hos eosdem Gregorius Tolosas *Ambulatores* appellauit, eo quod, vt in Laodi- Greg. Tholos. syntag. iur. l. 15. Coc. Laod. can. 57.
B cenâ Synodo habetur, ad mores probos reparandos, & fidei integritatem seruandam, pagos & castella circumirent. Verùm, proh quantum aberrant! nimis enim visitationes illæ sibi inuicem distant, quæ ab Episcopo personaliter fiunt, ac illæ, quæ ab suis Administris. Pleraque hi multiplici ratione dissimulare coguntur, admissis muneribus pleraque tacent, & si arduum quid expugnandum eis occurrat, fracto animo cadunt. Adde, ex vnius Episcopi præsentiâ, eius authoritate, maiestate, sermone, eximiam in omnibus emergere venerationem & amorem, ad obedientiam facilè omnes componi, & ad morum licentiam temperandam facilè omnes adduci.

Ea Purpurati Psaltis verba perpendens Diuus Ambrosius. *Tempus faciendi Domine, dissipauerunt legem tuam.* Aduerte, ait, *Non iubendi, sed faciendi, inquit, quia non Legatus, neque Nuncius, sed Dominus saluaturus erat populum suum.* Ps. 118. 26. D. Ambr. ibid.
Nimis enimuerò Diuina lex dissipatur, licentiosa maximè audacia hominum est, quâ eius legem pessundant, in vnius obsequium deberent studium omne
C conuertere; vitiorum impudentia laxatis habenis vbique se porrigit; tempus igitur opportunum accedit, quo Præsules non iubeant, at faciant, non mittant, sed accedant, non alienâ operâ, sed suâ ad populorum salutem vtantur. Nisi Eliseus ipse personaliter adsit, nunquam Iezi efficit, vt traditæ potestatis baculo laborans, ad gratiæ vitam vitio extinctos adducat.

Quæ suum lac proprijs filijs denegat mater, eosque alijs educandos nutricibus tradit, intemperantiæ argui potest, & suæ magis indulgere voluptati videtur, quàm eorum amori: Ille ergo Episcopus, qui laborem suum euitans, alios ad suos videndos filios designat, vt eos sui sermonis lacte reficiat, optimè ostendit, non eam sibi dilectionem erga nos esse, quâ Patris nomen mercatur; Religiosi quidem viri mitti vtique possunt, non ad euitandum laborem, sed ad animorum viam præparandam: Confessarios aliosq; pios viros præmittebat Diuus Carolus, vt sacris confessionibus habitis, faciliùs populorum animi ad Præsulis
D voces & leges auidè excipiendas allicerentur; nec pauci sunt, qui Diuo Carolo hac in re adhæreant, Episcoporum authorem imitati, qui, Diuo Luca referente, *Misit Dominus suos in omnem Ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus*: Verùm Luc. 10. 1. si absit Antistes, imbecillis & inutilis erit quicumque labor; ad ea præstanda, quæ necessariò requiruntur, validior est Episcopi oculus, quàm sermo alienus. Innumera propè sunt, & satis sibi diuersa, quæ præsentiam Episcopi postulant, opportunè consuli illis non potest, nisi suâ cum auctoritate, prudentiâ, beneuolentiâ eis Episcopus adlaboret.

An Deo fortè Corui, vel Angeli deerant, cùm ad Sareptanam viduam eum transmisit, vt ei dapes ministraret, quibus ipsa sibi carebat? Sciscitatur hæc Tertullianus. *Defecerunt Corui, qui illum liberaliùs pascerent? An difficile Angelo fuerat, aliquem aliundè de conuiuio Regis Ministrum, cum instructissimo ferculo raptum, ad Eliam transferre, sicut Danieli, in lacum Leonum esurienti, prandium metentium exhibitum est.* Tertul. ad vers. Psichic 4. 8. Diuinæ sapientiæ vi id factum, respondet Chrysostomus: ad hoc enim, vt oculatus eius Prouinciæ calamitatem inspiceret, ad quam

aquæ ab eo interdictæ penuriâ eam adduxerat, eiusque misericordiâ commotus pro ea Deum deprecaretur, illuc eum Deus transmisit; validissima enim ea sunt, A quæ nostris oculis obiectantur, cùm è contrà imbecillia sint, quæ distant à nobis.

Verùm si vel præ virium imbecillitate, vel iuxtà aliâ de ratione Diœcesim inuisere singulis annis non potest Antistes; in Quartò Toletano Concilio, quod sacris Canonibus immiscetur, statutum fuit, vt alterum sui Vicarium delegaret; necessitas enim legem non patitur; adhuc tamen vt satis prudentiæ, & vigilantiæ fiat, duo hic aduertenda sunt, quod nempè corde, si non corpore illúc eat Episcopus, opportuna monita visitatoribus impertiens, enixeque eis eius operis magnitudinem commendans; certior de omnibus fieri contendat; precibusque eos prosequatur, eos tanquam radios è suæ potestatis Sole emittens ad Diœceseos suæ populos illustrandos, qui Cymmerias gentes imitati, sui Præsulis aspecto Sole raró delectantur. Hoc planè modo se Apostoli gesserunt, cum toti terrarum vniuerso præsentiâ suâ non possent adesse; quàpropter de eis loquens ait B Diuus Bernardus, quod ipsi: *Qui iussi sunt ire in Orbem vniuersum, non orbem circumierunt præsentiâ corporis, sed mentis prouidentiâ.*

D. Chryso. Conc. Tol. 4 c. 35. c. Episc. 10. q. 1.

D. Bern. l. 1 de consid.

Aduertendum aliud illud est, idoneos nempè viros ad hoc eligendos, religiosos, integros, eiusque pietatis & fidei, vt tantum onus rectè ijs possit imponi, eamque sibi venerationem & beneuolentiam concilient, qua omnia licet ardua valeant expedire. Eugenium Pontificem de hoc à Diuo Bernardo admonitum audi. *Eligat igitur eos, qui missi, post aurum non habeant; sed Christum sequantur; qui quæstum legationem non æstiment, nec requirant datum, sed fructum: qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, & crimina corrigant: famæ prouideant suæ, non inuideant alienæ; qui redeant fatigati quidem, sed non suffarcinati.* Hinc vnicuique Antistiti studendum esset, vel è Canonicis vel è Sacerdotalibus aliquem habere, qui suo se animo, suo zelo conformans, tantum onus cum omnimodæ spe vtilitatis exciperet: Gentium Magistrum Paulum in hoc imitetur, qui, cùm semel Corinthum adire non posset, Timotheum Ephesinum Præsulem eò mittens, suam ei voluntatem minutim aperuit, quam diligenter & fideliter exequeretur. *Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus, & fidelis in Domino, qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Iesu, sicut vbique in omni Ecclesiâ doceo.* Sic ipse. C

D. Bern. l. 4 de consid. cap. 4.

1. Cor. 4. 17.

Nihil sanè validius ad hoc præstandum obijcere ipse possem, quàm Iosaphati Regis exemplum, qui licet sæcularis Princeps probatissimos viros elegit, qui Regnum circumirent; quapropter commendatus a Deo fuit, & ante Euangelium Euangelicis Episcopis Magistrum se dedit. *Igitur tertio anno regni sui misit de Principibus suis; vt docerent in Ciuitatibus Iuda, & cum eis Leuitas, & Sacerdotes, docebantque populum in Iuda, habentes librum legis Domini, & circumibant cunctas Vrbes Iuda atque erudiebant populum.*

2. Paralip. 17. 12.

Receptissimum hîc morem *Missionum* vides, quo vel Societatis Iesu Patres, vel alios pij Episcopi adhibent ad concionibus populos erudiendos, & Eucharisticum Epulum omnibus participandum: hi sanè Periodeutæ sunt, quibus cum ingenti gentium vtilitate vtantur Episcopi. D

§. I.

Tertius prætextus in eo versatur, quòd immanis plerumque labor in huiusmodi visitationibus obeundis assumitur, præsertim si abrupta, & arduamontium sint superanda, quæ cum incommoda, & abiecta hospitia præstent, facilè fit, vt ex ijs ægritudo, & virium infirmitas contrahatur: viarum molestias, & discrimina præterire hic licet, quibus vel in traijciendis fluminibus, vel in montium fastigijs superandis, vel in pedestri itinere frequenter faciendo obsidemur.

Hæc

Hæc & talia nobis immoderata corporis indulgentia insinuat, & adulatorum A palpantium voluptas exaggerat. Quis tamen adeo cæcutiat, vt Dæmonis fraudes in his latere non videat? huic ea respondeas velim; quæ Capharenis ciuibus eum à discessione adhortantibus Christus Dominus respondit, *Quia, & alijs Ciuitatibus oportet me euangelizare Regnum Dei, quia ideo missus sum*. Ad hoc tam excelsis insulis Apostolica me Sedes ornauit, ad hoc me sui vicarium Christus elegit, ad hoc suam hanc Dioecesim meæ Christus fidei commendauit; vt meâ nempe præsentiâ eam dirigam, instruam, reparem; apage igitur, vt quiescam, vt iaceam. Luc. 4. 43.

Quinam mercator ad abiectissimas terræ sordes comparandas, itinera, labores, pericula, aeris, solisque inclementiam euitauit? *Impiger extremos currit mercator ad Indos*, sic vates. Quis vnquam aulicos ad Domini sui beneuolentiam aucupandam, conceptamque aliquam spem enutriendam, asperiora incommoda non sustulit, iniquo semper animo æstuans, & vigilijs oculos vexans? B Quis vnquam Pastor ad viarum incommoda aerisque asperitates fugiendas, gregem suum à pascuorum vberate conuertit? Cum igitur mercatores nos Deus constituerit, & suos in aulicos, suique gregis Pastores elegerit, erubescendum nobis admodum erit, si prudentiores, & fortiores nobis fuerint filij sæculi, & ad eorum fortem electumque animum, imbecilles nos exibebimus & delicatos. *Studeamus igitur cor nostrum terrenorum pastorum imitatione succendere, qui hiemales noctes imbribus, geluque constricti ducunt sæpe peruigiles, ne vel vna ouis, & non forte vtilis pereat*: Hæc á Gregorio: nullam exceptionem nostra pariter lex, adeoque nostri corporis sarcina vilescit, vt nefas omnino esset, si eius incolumitati animarum salus postponatur. D. Gregor. l. 2 ep. 33. Incitat. 10.

Proh Deus! Episcopi illi, qui ne quidem lecticæ ministerio vecti Dioecesim dignantur inuisere, quid ad Iudicis Dei iudicandique orbis aspectum responderint, Diuum Gregorium Nazianzenum intuentes, qui licet toti orbi admirandus præ suâ pietaris & sapientiæ famâ efflorescerer, per pagos & castella pedes cir- C cumibat pauperes erudiens & prima fidei elementa vel pueros ipsos edocens? quid Diuo Antonino Florentino Archiepiscopo responderint, quid Diuo Carolo Mediolanensi, quid Diuo Francisco Gebennensi, qui omnes regionum asperitates impauidi deuorabant, nec pedestri frequenter itinere, sed per solum repentes, inuia & inaccessa loca perquirebant; quin etiam hæreticorum & latronum insidias occurrere non dubitabant, & apertum vitæ subire discrimen ad suos populos inuisendos? quid ij dixerint, cum eis sese obiecerit, vt sexcentos omittam, Toletanus Archiepiscopus Ximenius, qui non necessitate adactus, sed humilitatis, & pietatis vi, baculum manu præferens totam sibi Dioecesim pedes peragrabat? ipsi demùm Pastorum Principi quid ipsi responderint, cùm ab eo inter imminentis mortis angores inuisi & ad rationem reddendam accersiti, illud è Christi ore audient, quod Hieremyas pronunciauit, *Vos dispersistis gregem meum & eiecistis eos, & non visitastis eos: ecce ego visitabo super vos.* Nicef. Calist. l. 11. c. 27. Hiere. 23. 2.

Sanè quinam dulcior labor, quodnam suauius incommodum, quinam vitæ fœlicior exitus, quam in animarum salute comparandâ? Cum Nouariensi Antisti Bouio parentalia Diuus Carolus ageret & audiret, è multis laboribus quos D in suâ Dioecesi inuisendâ exantlauerat. Antistitem illum confectum fuisse, respondisse fertur, Hæc Episcopo digna mors est; inter labores & incommoda pro suis populis suscepta obeundum illi est, Astensi etiam Antistiti Panicarolæ dixit, licet eò vsque suam Ecclesiam aliquis diligat, vt pro eâ mori desideret, plurima tamen adhuc illi supersunt & magna, quibus suum amorem præferat & accendat. Giussan. in vit. s. Caro. l. 8. c. 10.

Huius amoris vi Diuus Seuerus æstuans tantâ erga suum populum vigilantiâ præstabat, vt in alijs perficiendis corpore præpeditus, animo tamen eum assiduè perlustraret; illi tunc proximus aderat, cùm longiùs abesse videretur. *Aderat siquidem congregatis fratribus absens, aberat verò præsens. Nimirum à semetipso etiam longè positus: hic viuentibus filijs commissæ pastoralis curæ reddebat debitum, illic defuncto fratri piæ humanitatis impendebat officium.* Sic de eo Damianus. D. P. Dam. ser. 5. de S Seuero.

Verùm

Verùm si adhuc laboris magnitudine deterremur, fractum animum confirmet & roboret beneficij recogitatio, quo Deus sui populi hæreditatem nobis gubernandam impertiens exornauit, premium, & coronam, quâ æternùm præcingemur reuoluentes, necessitate nostræ Diœcesos accendamur; si enim nostræ presentiæ cultu, eoque defluuio, quod è nostris oculis in eam deriuabitur, caruerit, vigore omni deperdito, infęliciter exarescens vrticis, & vepribus obruetur. Sed accipe Bernardum, *Agnosce hæreditatem tuam in Cruce Christi: si labor terret, merces inuitet. Exi in agrum Domini, & considera: vides regiones si non sunt magis sicca, quàm alba ad messem, quàm multa, quas putaueras fruges, diligenter inspecta, vepres potius apparebunt.* A

D. Bern. l. de consid. 1

Ni tamen hæc adeò valida argumenta suffecerint, ludibria saltem, & probra nos excitent, quibus ij Pastores à Deo increpantur, qui ab inuisendo grege labore deterriti auertuntur; suppliciorum minæ nos erigant, quæ tám immanes exaggeratæ intonant, vt æneum licet pectus effringere possint: quis sanè ad hæc Diuini spiritus verba, quibus Zachariam alloquutus est, non perhorrescat? *Sume tibi vasa pastoris stulti; quia ecce ego suscitabo Pastorem in terrà, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, contritum non sanabit, & quod stat non enutriet: carnes tantùm pinguium comedet, & vngulas eorum diuidet. O Pastor, & Idolum relinquens gregem? gladium super humerum eius, & super oculum dexterum eius &c.* B

Zacch. 11. 15.

Si stultos eos Diuinitas pronunciat, quis iam eos asseret sapientes? si Cæli suffragio idola, & simulachra pastorum sunt, quis eos veros Episcopos esse contendet? Si Diuinæ calculo iustitiæ damnantur, quis tam audax erit, vt eos absoluat?

§. II.

VLtimum explicandum prætextum aggredior; simulata hic quâdm charitate innititur ergà Parochos, eosque omnes, qui nos excipere & hospitio donare tenentur: quantum enim impendium est, quo isti vexantur, vt Episcopum inuisentem, honestumque suum comitatum ducentem hospitentur? adde non paucos esse, quorum sacerdotia adcò exilia, & leuia sunt, vt prouentus omnes in vno excipiendo Præsule absumantur. Ex hoc argumento fateor satis probari, quòd rariores instituendæ sint visitationes ad ea loca, quæ vel è minori populorum frequentiâ, vel è Cæli inclementia solique sterilitate, non tenui paupertate laborant; omittendæ quidem omninò non sunt, sed ità regionum & personarum conditioni attemperandæ, vt molestæ & onerosæ ijs non euadant, quibus sumus excipiendi. Non me fugit, tùm naturali, tùm scriptâ ratione ad necessarios nobis sumptus faciendos eos obstringi, qui inuisuntur; In Lateranensi etiam Synodo Archiepiscopis inuisentibus quadraginta vel quinquaginta equi fuerunt designati, viginti aut triginta Episcopis, & quo sterilior regio esset, eò etiam eorum numerus magis decresceret; illud tamen etiam non ignoro, non mercenarios Episcopos esse at Pastores, non molestiæ at solatio futuros, non perniciem at auxilium ab eis afferendum, non pompam ab ijs ostendendam, sed pietatem, non fastu sed humilitate illustrandos. Commendatissimus igitur omnibus ille erit, qui necessarios tantùm viros secum adduxerit, nec opiparatantùm multoque sumptu elaborata euitabit iuxtà ea, quæ Synodus eadem Pelagio Primo adhærens decreuit, sed in epistolis, quas veluti Prodromos præmittet, præcipiet vt frugalis sacroque digna viro sit mensa; vt sumptus potius in ijs adimplendis versentur, quæ in honorem Dei statuentur, quàm in huiusmodi lasciuientibus comesturis: caueat vnusquisque, ne illud in se conuertat, quod de nonnullis suæ ætatis Episcopis Hugo Cardinalis asseruit, locustas nempe eos esse, qui huc illucque volitantes aliena omnia deuorant, extereque cibo pinguescunt. C D

Luc. 10.7. 1.Cor. 9. 7. C. cum Apost. 6. de censib.

d.c.cum Apost. fin. c.si 10.q.3.

Hugo in 2. ad Cor. 11.

Huiusmodi ea fuit querela, quæ in Cabillonensi Synodo ingentem aliquorum Episco-

A Episcoporum auiditatem carpendi materiem dedit, qui non populi, sed sua commoda inuisentes quærerent, nec ei solatium, sed molestiam afferrent; legem igitur statuerunt inter sacros Canones relatam; & referre eam placet ad posterorum vtilitatem, ne iterum tam iniuriosus, & perniciosus mos inualescat. *Cauendum est, ne cum Episcopi Parochias suas peragrant, quandam damnosam erga subditos, seu erga socios tyrannidem exerceant; nec (quod absit) cum charitate, sed cum quadam iudiciaria inuectione stipendia ab eis exigant. Obseruandum etiam modis omnibus, vt si quando eis peragrandæ parochiæ, in inquirendis rebus consideratione dignis, in prædicatione verbi Dei, in lucris animarum potiùs, quàm in deprædandis, & spoliandis hominibus, & scandalizandis fratribus operam dent. Et si quando eis ad peragendum ministerium suum à fratribus, aut subditis aliquid accipiendum est; hoc summopere obseruare debent, ne quem scandalizent, aut grauent. Tanta ergo in hac re discretio tenenda est, vt & verbi Dei prædicator, vbi proprij sumptus desunt à fratribus accipiat, & item fratres illius potentia non grauentur; B exemplo Apostoli Pauli, qui ne quem grauaret, suis manibus victum quærebat.* c. Cauendũ 1.10.q.3.

Quia tamen non omnes legum amore ad obedientiam rapiuntur; suppliciorum metu eorum auaritia refrænanda est; cùm enim non deessent Antistites, qui vel munera extorquentes, & comparantes, populos quos inuisebant onerabant; vel ab eis ipsa excipientes, qui spontè largiebantur, dissimulare aliquomodo ea cogebantur, quæ Diuino cultui erant perniciosa; Innocentius Quartus Episcopis corumque familiaribus sub anathematis pœnâ vetuit, ne munera vlla ab eis, quos inuisebant, exciperent; Gregorius item Decimus in Oecumenica Lugdunensi Synodo, cùm hiuusmodi legem nullatenus seruari animaduerteret, grauioribus etiã pœnis inflictis, eam sua decretali Epistola confirmauit, illud addens quòd si vel Episcopus vel Archiepiscopus, vel è suis domesticis aliquis munus aliquid acceperit, & mensis interuallo duplo maius non restituerit, *ex tunc* Templo, & sacris interdiceretur; Hoc ipsum Bonifacius posteà Octauus roborauit, illo solùm excepto, quo prohibebatur, ne alimentis, & hospitio pecunia traderetur: experientiâ enim constat, maioris esse frequenter dispendij, victum ijs subministrare, quàm pecuniam, quam ipse idcirco permisit, vt ab ijs, qui spontè illam offerrent, reciperet. Omnia hæc demùm Synodus Tridentina confirmauit, qua pariter Præsules admonentur, vt moderatum tùm famulorum, tùm equorum numerum adducant, frugalique mensâ contenti sint, & quàm primum prout rerum necessitas postulauerit, se expediant. Descriptionem hic libens omitto, quam in quadam sua extrauaganti Benedictus Duodecimus adsignauit, quando quidem ea iam vsu obsoleuit. C.1. de cẽs. in 6. C.2.eodem tit. C. fælcis 3. de censĩ.in6. C Cõc. Trid. sess 24. c.3. de reform.

Sanè nihil ad vtilitatem impediendam, quam populi ex huiusmodi visitatione colligerent, validiùs dari potest, quàm si vel opinione, vel suspicione laborent, quòd non ad Dej causam, sed ad sui commoda augenda accedat Antistes, nec ad populis opem ferendam, sed suas ad opes congerendas: Cum è contrà si modera è, piè amanterque se gerat Antistes, tantum opus illustrat, leges suas D maiori quodam robore obuallat, & piâ necessitate populos ad eas seruandas obstringit. Extrau. 1. de censib.

Ad hoc præstandum enixè incumbebat Apostolus, præsertim cùm Corinthios auaritiæ studiosos inuiseret, quibus semel obtestatus fuit, suas omnes diuitias omnia sua commoda in sola eorum pietate, & salute versari, absque eo qnòd ne leuissimo quidem sumptu se onerarent. *Quæ est ergo merces mea? vt Euangelium prædicans, ne sumptu ponam Euangelium.* Aliàs etiam, cùm eos absque vllo dispendio inuisisset, & salutaribus monitis informasset, eis significauit, alienâ beneuolentiâ victum sibi comparasse. *Et cum essem apud vos & egerem, nulli onerosus fui, nam quod mihi deerat, suppleuerunt fratres, qui venerunt à Macedonia, & in omnibus sine onere me vobis seruaui, & seruabo:* Demùm cùm tertiò accessurus ad eos esset, nulli se onerosum, & molestum fore affirmauit, duas rationes afferens, quarum vi quicumque Episcopus esset instruendus. *Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos: non enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs.* Quàm abiectum demissumque animum ille præberet Antistes, qui popu- 1.Cor.9.12. 2.Cor.11.9 2.Cor.12.

lorum

lorum saluti in eorum visitatione quæcumque alia præhaberet, qui sacra ad prophana, cælestia ad terrena bona dirigeret, qui caducis hisce totus incumbens è A
Pastore in mercenarium se immutaret.

§. III.

DE ijs nunc agendum nobis superest, quæ in visitatione ipsâ peragenda nobis sunt; sed tùm ne morosus videar, tùm quia satis superque de ijs egerunt alij, illud tantum indicasse sit satis, hoc in opere Hyerarchica tria munera ab Episcopo exerceri, quibus primùm purget, tùm illuminet, demùm perficiat. Nam præter sacri Chrysmatis sacramentum impertitum, duo præsertim studiosè ab eo perquirenda sunt, iuxtà Secundi Concilij Bracharensis leges: primum quidem in eo sistit, vt Lythurgorum mores per quàm diligenter examinet, modum quo sacramenta administrent, & sacrosanctam hostiam Deo litent, an in templo nitorem seruent, & aras eleganter & honestè excolant; an muneris sanctitati mores suos conforment; an eorum aliquis effræni improbitate luxurietur; an vel habitu, vel contubernio immoderate se gerant, an ludis studeant, an Christianæ vitæ præceptis rudes & pueros imbuant, an confessionibus peculiaribus excipiendis vacent, an in componendis contentionibus operam suam immisceant, an ad opem egenis ferendam faciles sint. Hinc ad instruendos populos procedant, ad vitiorum ipsis fugam, virtutum amorem, pietatis studium, morum modestiam insinuandam. Ad hæc omnia dirigendam visitationem Tridentina Synodus docet his verbis. *Visitationum autem omnium istarum præcipuus sit scopus, sanam Orthodoxam doctrinam, expulsis hæresibus inducere: bonos mores tueri, prauos corrigere; populum cohortationibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere: cætera pro vt locus, tempus, & occasio feret, ex visitantium prudentiâ, ad fidelium fructum constituere.* Examinent, an missarum obligationes, piorumque legatorum impleantur, an sacri prouentus ritè expendantur; an Nosocomiorum, Sodalitiorum, & montis Pietatis redditus benè se habeant; an superstitio aliqua per vulgus serpat, an qui vsuris, impudicitijs, pauperum oppressionibus, virginum insidijs vacant, odijs æstuant, contentionibus rixantur, in populo sint (Moniales hic omitto, de illis enim vberiùs infra) atque vbi refrænanda, excindenda, emollienda inuenerit, suo munere absolutè & opportunè, Christum imitatus fungatur, *Qui pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo.* Eugenio Tertio significauit hæc omnia melliflua dicendi formâ Diuus Bernardus. *Superest, vt generaliter super vniuersum Ecclesiæ statum intendat cogitatio tua; si plebes Clericis, si Clerici Sacerdotibus, si Sacerdotes Deo in eâ qua oportet humilitate subiecti sint: Si in Monasterijs & religiosis locis seruetur ordo, vigilet disciplina; si super praua opera, & dogmata censura Ecclesiastica vigeat; si flores fructus parturiant, obedientia fidelium populorum; si demùm vestra ipsorum Apostolica mandata, & instituta, ea, quà dignum est, sollicitudine obseruentur: ne quid in agro Domini tui, aut neglectu incultum, aut fraude surreptum inueniatur.* B C D

2. Concil. Braccar. in c. 1. est. sex in c. placuit 12. 10. q. 1.

Conc. Trid. sess. 24. c. 3. de refor.

Act. 10. 38. D. Bern. l. 3 de consid. c. 3.

Perpendendum postremò est, quòd irritus & prorsus inutilis tantus Episcopi labor esset, nisi eorum, quæ tàm accuratè & laboriosè deliberauit, Sacerdotali quadam fortitudine in conseruationem & obedientiam omnimodè compararet: quid aliud hoc esset, quàm cum ingenti labore fœtum educere, eductum verò morti eum dare, adeò vt pheretrum cunabula ipsa moliatur. Non ad soluendas, at ad illaqueandas animas visitationes & synodi componerentur, & potissimum Episcopi ministerium in commentitiam quandam & inanem operis speciem decisceret; Ecclesiastica disciplina, Cælestis & Pontificia authoritas eneruis omninò corrueret.

De

A De Synodis. Cap. LI.

POtissimus, qui è Diœcesum visitatione, fœcundâ tanquam ex arbore fructus egerminat, est synodorum institutio, tum earum, quæ ad Diœcesim, tùm ad quæ Prouinciam instituendam diriguntur: cúm enim in Diœcesi inuisendâ accuratè necessitates omnes, vitiorum corruptelas, aliaque id genus obseruauerit, præter eas singulares leges, quibus opportuno velut adhibito remedio, suo satis muneri facere æstimauerit, accuratiùs ea expendens, & Cathedralis Templi Canonicis significans, sententiâ horum habitâ, receptoque suffragio, validissimas leges in Diœcesanâ Synodo statuit, quas inde ipsemet Archiepiscopus Suffraganeis Episcopis in Prouinciali Cócilio approbantibus, suâ authoritate cófirmat; hinc est, vt leges plurimæ visitationis quibus vtpotè priuatim, decretis, non tam facilè se populi accommodassent, vt in eo sacro conuentu approbantur, summâq; commendatione ab ijs Episcopis excipiuntur, firmissimæ euadunt, & ineluctabili quodamroborc fulciútur. Eximium autem ex ijs iubar in sacram disciplinam emanat, & in nostram dignitatem magna quædam authoritas & honestas.

B

Quanti autem ponderis huiusmodi sint, tum è Diuino illapsu, tum ex vtilitate, qua tum in præsens, tum in futurum sacra disciplina affluenter afficitur, collıgas velim. Ea est ipsarum institutio, cum è diuino spiritu, iuxtà eas diuini Vatis voces, habita videatur. *Deus stetit in Synodo Deorum*, opportunè satis è Chaldæo legitur; *Deus cuius maiestas commoratur in Congregatione iustorum, qui potentes sunt in lege*. Hoc est, Synodalia decreta sanciendi potestatem habent, quæ vt sacræ leges ad diuinam authoritatem referuntur. Ad has igitur Synodos suam ipse operam Deus impendit, eisque vt supremus Magister & Hyerarcha adesse videtur. Ex Hebræa origine verba illa *Deus stetit, Nistab* idem omnino sonat ac *stat*: hac autem voce doctissimi Hebræorum Magistri asserunt, significari accuratam quandam & operosam Numinis moderantis præsentiam. In Episcoporú medio adstat Deus Solis instarinter sydera, eoq; prorsus modo se habet, quo inter Consiliarios Princeps, inter Senatores Rex, & in medio Paradisi Vitæ Arbor assurgebat: necessitates ipse indicat, remedia ipsa depromit, suffragia connectit, discordesque non rarò inuicem sententias ipse amicat & associat, adeò vt de Synodis iis vsurpari illud non possit, quod de nonnullis aliis Diuus Gregorius Nazianzenus pronunciauit, quòd scilicet essent *Concilia gruum, anserumque temerè pugnantium*: Dei est, vt affectiones attemperet, stygij veteratoris insidias aperiat, & suorum beneficiorum imbres munificentissimè diffundat; quáobrem illud è Diuo Leone habemus, scilicet Sacerdotibus alijs & Episcopis adstantibus vberiori quodam diuinæ beneuolentiæ elapsu suum perfundi animum sentiebat, *Quando simul adsunt & vno lumine micant tot speciosissima tabernacula Dei, tot membra excellentissima corporis Christi*.

Ps. 81. 1.

C

D. Gregor. Nazianz. carm. 10.

D. Leo ser. 8. de sua assump.

Si verò præsens vtilitas inspiciatur, maxima ea procul dubio est; quid enim aliud Synodi sunt, quàm sapientiæ Academia, & Diuini Spiritus Gymnasium, vbi Deo Magistro edocetur Christiana Religio, quæ amplexanda ei sint, quæ fugienda? rebus maximis Clerus informatur, difficultates enodantur, quæ vel in sacrorum vsu pullulant, vel in rerum sacrarum administratione, vel in ijs, quæ ad mores componendos referuntur; possunt omnes ex ijs, iuxtà Laodicenæ Synodi Patrum sententiam, *Docere, vel discere ea, quæ ad directionem Ecclesiæ, vel reliquarum pertinent rerum*. Conuentibus huiusmodi, Senecæ illud accommodandum videtur. *Mutuò ista fiunt, & homines dum docent, discunt.*

D

Cóc. Laod. c. 4.

Senec. ep. 7.

Iustissimum in his tribunal aperitur, cuius suffragio contentiones omnes componantur, quæ vel finium ratione, vel funebrium, vel antecessorum, non sine populorum & Vrbium offensione feruescentes, sacros viros perturbant, fraternam dilectioné discerpunt & sacras functiones obscurant. Hinc Antiocheni Concilij Patres Iulio Primo imperante pronunciarunt, coalescere Synodos, *ob causas & vtilitates Ecclesiasticas, & pro componendis controuersiis*.

Conc. Antioc. can. 20

His addit Diuus Basilius, in illis ad pijssimorum Sacerdotum aspectum tepe-

D. Basil. ep. ad Chilon.

ſcenrem aliorum pietatem accendi, morum præteritam licentiam deteſtari, & animum ad virtutum ſtudium traducentes conſilia meliora capeſſere. Aliorum modeſtia, prudentia, charitas, obedientia, religio, ſanctitas aculei quidam ſunt, quibus ad earum amorem extimulantur: eorum exemplis vapulant ad medelam, feriuntur ad ſalutem, coguntur ad lauream; fulgura dixeris & tonitrua, ad quorum aſpectum & auditum, veterno excuſſo, ad ſanctiora animum ornamenta conuertunt. Validiora hæc fuerint, ſi ſacræ conciones addantur, quibus vel ſuâ vel alienâ virtute, ad Synodum religioſè peragendam adhortari quemcumque ſolet Antiſtes; his enim tùm mens ad diuina cognoſcenda erigitur, tùm ad eadem amplectenda voluntas inflammatur. A

§. I.

QVæ demùm pro futuro tempore collectis è Synodis bona deriuantur, pretioſiſſima ſunt, nullâque ratione ſupputanda; quàm magna ea ſunt, quæ ad Chriſtianam ſapientiam vel expurgandam, vel roborandam referuntur, adeò vt de Prouinciali, vel Diœceſanâ Synodo accommodare illa poſſimus, quæ de Eucumenico Concilio rum Diuus Damaſus & Romani Patres dixerunt, eſſe ſcilicet *Antidothum aduerſus venena mortifera*. hic norma deſcribitur, qua ſacramenta ritè miniſtrentur, qua ſtatis horis diuinæ laudes recitentur, qua nitidè & explicitè templa & aræ ſeruentur. De ſacris reliquijs hic agitur, de indulgentijs, de ieiunijs, de ſacris ſupplicationibus, nè ſcilicet iuxtà Concilij Chalcedonenſis & Laodiceni ſermonem, vlli permittatur, vt *Multa de rebus Eccleſiaſticis, quæ correctione indigent, negligantur*; hic locum ſuum habent feſtorum dierum obſeruatio, ſolemnium ſupplicationum pompa, ſacrorum ordinum, decimarum, piorum legatorum diſpoſitio, & ea, quæ ad vſuras, ad fornicationes, ad ſortilegia, ad quancumque ſcelerum vitiorumque licentiam, quâ vel ſacri, vel prophani viri ſordeſcerent. Quin ad hunc ſcopum ſynodos omnes dirigendas docuit Lateranenſe Concilium, cuius verba ea ſunt, *In quibus de corrigendis exceſſibus, & moribus reformandis, præſertim in Clero diligentem habeant cum Dei timore tractatum*; quod eidem legi conſonat, quam Aluernenſis Synodus ſanciuit, *In primis placuit, quòd quoties ſecundum ſtatuta Patrum ſancta Synodus congregatur, nullus Epiſcoporũ aliquam prius cauſam ſuggerere audeat, quàm ea, quæ ad emendationem vitæ, ad ſeueritatem regulæ, ad animæ remedia pertinent, firmentur*. Sanè, vt in ſacrâ diſciplinâ ad primæuam pietatem reuocandâ ſynodi omnes accuratiſſimè elaborent, Primi Concilij Aquiſgranenſis Patres, Ludouico Pio Cæſare imperante, pronunciarunt, ac ſi quodcumque aliud opus præ iſto leuiſſimum & inane ſit, vel cùm Cleri ſanctitate facilè populi ſanctitas adoleſcat. B C

Tgod. l. 2. hiſt. c. 22.

Cõc. Laod. & Chalced.

c. ſicuti olim de accuſ.

Conc. Alu. c. 1.

Conc. Aquiſgr.

Quid igitur mirum, ſi Diuino Spiritui ſacri conuentus ſint tribuendi, dum ex eis tot cōmoda & vtilitates in Religionem ſuam ſponſam egerminant. Diuinus ille Spiritus collationes huiuſmodi Apoſtolorum animis inſinuauit, tantumque venerationis & obſeruantiæ erga eas humanis cordibus impreſſit, vt eximius quidam Scriptor afferat, ſe in peruetuſtis monumentis legiſſe, Maximos Principes ad Epiſcoporum conuentus accedentes, non tantum ad eorum pedes ſupplici obſequio ſe prouolutos, ſuaque gemmata, formidandaque diademata eorum ſacris Infulis ſubieciſſe, ſed humillimè toto corpore ſolo proſtratos poſt oſcula eorum pedibus impreſſa non illinc ſe erigere, quoad vſque ſuis è ſedibus ſurgentes Epiſcopi ſuis eos manibus extuliſſent, & Regiâ ſede collocaſſent. Vide, quæ hac de re in priori parte adnotauimus. D

Leo de Caſtro in Iſai. c. 49.

O tempora enim vero fœliciſſima? o auream ætatem, qua Magiſtros ſuos & Patres tam demiſſo obſequio coronati filij excolebant; qua Cæſares non Epiſcopis imperabant, ſed parebant, non leges ferebant, ſed excipiebant, & Sacerdotij maieſtatem non obſcurabant, ſed illuſtrabant. Nec mirandum pariter mihi eſt, ſi toti Orthodoxæ Religioni commendatiſſimus Scriptor Diuus Hieronymus

nymus

A nymus, ad cuius alloquium velut ad Oraculum Delphicum, & Sybillæ cortinam
ipſimet excellentiſſimi viri Auguſtini, & Damaſi ad ſacræ ſcripturæ difficultates
eluendas,& dirimendas quæſtiones confluebant, tantâ reuerentiâ Synodos etiam
Diœceſanas habuiſſe, vt earum legum, quæ illic ſancirentur, particeps eſſe
ſtuderet, vt ijs validiſſimis veluti, & peracutis armis ad vitia iugulanda, &
fallacia dogmata confodienda vteretur, vt ex ijs, quæ ad Theophilum
Alexandrinum Præſulem ſcripſit, elucidè patet. *Obſecro, vt ſi qua Synodica ha-* D.Hier.ep.
bes, ad me dirigas, quo poſſim tanti Pontificis authoritate firmatus, liberius ac con- 71. ad fin.
fidentiùs pro Chriſto ora reſerare.

Vt tamen nobis clarius innoteſcat, quàm formidandum Satanæ,quam Ange-
lis amabile conciliorum nomen ſit, ſatis illud fuerit, quod è Nicephoro, & Leon- Niceph.
tio habemus, ipſa nempè ſummo ſemper odio fuiſſe inſectatos hæreticos; quan- Leontius.
dòquidem optimo ſemper peſſimum aduerſetur: ſibi maximè pernicioſa ea Sa-
tanas agnſcens, totis viribus ea impedire contendit, eorumque robur perdi-
B torum virùm verſutia infringere. Hinc ipſo dictante, atramento ex Erebi fæci-
bus compoſito, ſceleſtiſſimus Licinius illud exarauit quod, Euſebius refert, *Nè*
Antiſtites vllos conuentus, aut concilia, aut deliberationes de vtilibus rebus inſtituant. Euſeb.l.1.
Ipſius pariter operâ factum eſt, vt Herodes Senedrin aboleret, hoc eſt Con- c.44.
uentum, & Synodum, cuius legibus & prudentia ſacra omnia Dei cultum ſpe-
ctantia gubernabantur. Hac tamen in re Herodes, licet ipſe id ignoraret; Di-
uinæ vltionis fuit adminiſter; cum enim ex eo Concilio in Chriſti Domini caput
ſacrilega, & deteſtanda ſemper ſententia emanaſſet, iure quidem merito extin-
guendum erat & funditus exſcindendum.

Perquàm igitur meritò memoranda ſemper Nycena Synodus, aliaque poſtea Diſt.18.per
Concilia ſtatuere, vt tùm in Prouincijs, tùm in priuatis quibuſcumque Diœceſi- totam c. ſi-
bus huiuſmodi Synodi frequenter agerentur, quod religioſiſſimè Sanctiſſimi An- cut olim 25
tiſtites retrò actis temporibus obſeruarunt. Vt reliqua prætermittam, Ridolphus de accuſ.
C vnus hic prodeat in hac meâ Eugubinâ Eccleſiâ Sanctiſſimus olim anteceſſor; Conc.Trid
hic enim, ne querelarum de tam frequenti Synodorum actione materies vlla ſeſſ.24. c.2.
Presbyteris eſſet, quodcumque munus, & quod Cathedraticum dicitur à ſe de refor.
reijciebat illud pronuncians. *Abſit vt Synodum vendam*: vt Diuus Damianus ad D.Pet.Da.
Alexandrum Secundum ſcribens de eo teſtatur. l.1.ep.19.

De Clerici diſciplinâ ſeruandâ,& ſi fuerit opus ad ſeueriorem formam reuocandâ.
Cap. LII.

D QVOD potiſſimùm in Synodis in Clerei diſciplinâ ſeruandâ ſtudere,& eniti
accuratiſſimâ ſolertia Epiſcopus debeat, nulla me admiratio tenet; cùm
enim ad eius mores ſæcularium virorum tanquam ad idæam mores com-
ponantur, ſi probi fuerint, toti ſunt Chriſtiano populo ſalutares, ſi verò praui
ingentem paritèr in eum prauitatem deuoluunt. Sydera Eccleſiaſtici Cæli My-
ſtæ ſunt, ad quorum fulgentiſſimum iubar, qui ſæculi teterrimâ caligine obl-
uuntur, excuſsâ vitiorum nocte, diem pietatis accipiunt. Diuini Templi Py-
ropi ſunt; quorum lumine eſt illuſtrandum; Chriſti ſigniferi ſunt, eiuſque
nomini authorati, ad ſtygias vitiorum acies fugandas, & delendas; quam-
obrem retroactâ fœliciori ætate, ne primis quidem ſacrorum ordinum elementis
ille donabatur, qui ſingulare virtutum omnium ſpecimen non dediſſet. Aulici
ſunt, & purpurati Cæleſtis Principis: ad huius igitur aſpectum, & decore, &
venuſtate conſpicui prodituri ſunt, quâ ſuæ aulæ Ephebos Babiloniæ Rex ornari
& floreſcere cupiebat.

Quòd exquiſitis elaboratiſque marmoribus Corynthio vel Dorico opere com-
poſitis, & illuſtribus cælaturis picturiſque magiſterio expreſſis Templa præful-

geant, quòd auro elucescant parietes, & aureis peripetasmatis vestiantur, quòd argenti aurique splendore altaria superbiant. Religionis quidem opus est, Diuinæque satis maiestati accommodatum; Maximum tamen & omnium illustrissimum Christianæ Religionis ornamentum in Lithurgorum pietate eorumque sanctitate versatur; *Clerici vita Ecclesia debet ornari*, sic Hieronymus. Huius ornamenti venustate cùm Salomonis Templum caruerit, licet ad eius molem construendam & comparanda ornamenta, immanem, & supra quàm dici posset ingentem auri argentique vim absumpserit Salomon, reiecit illud Deus, oculoque irato est auersatus. A

D. Hieron. epist. ad Ocean. de vit. Cleric.

Obscura quidē & squallida primæua Oratoria erant, quibus inter subterraneas Romę specus & sepulchrales Cathacūbas primi illi Christianę fidei sectatores ad Dei obsequiūm vtebantur; in illis tamen è Sacerdotum sanctitate pergratū Deo aperiebatur theatrum; & admiranda quædam surgebat scæna virtutum: iucundiores tunc Deo erant lignei calices, quos aurei Sacerdotes Deo dicabant, quàm nunc temporis sint aurei gemmeique calices, quos tractant lignei Sacerdotes. B

Deridendos se omnibus præstare & circumforaneis vulgi sermonibus, non sine scommatis & conuitijs, vitiosos carpi Sacerdotes, malum esse quis inficietur? tolerandum tamen aliquatenus hoc esset, nisi etiam è prauo exemplo sæculares vitiarentur, & populos ad ea facienda effrænis properaret, quæ licere ibi Clerici putant: hinc autem fit, iuxtà Diui Damiani sententiam, vt noua semper sobole vitia pullulent, & è Sanctuario in vulgus tota criminum lues euoluatur. *Pudor & honestas perÿt; & dum Ecclesiastici vigoris sensim disciplina collabitur, inundans vitiorum & prauitatum omnium in dies pestis augetur.* Quis deuios per tenebrosum iter adduxerit, si Sanctuarij fax obscuretur; si prima flammarum semina è Templo progerminant, quanta per totam Rempublicam scelerum incendia exundabunt?

D. Pet. Da. ep. 39.

Adde, quòd hinc oriatur ille contemptus, quo sacra omnia miserandâ abiectione vilescunt, ac si non virorum ea vitia sint, sed religionis, & paucorum tenebris aliorum candor possit obscurari. *Est hæc quædam vis malis moribus, vt innocentiam multitudinis deuenustent scelera paucorum.* Sic Apollinaris Sidonius. E Clericis, è Sacerdotis licentia toti Sacerdotali ordini labes inuritur: sacra contemnuntur, Templa auersantur, sacramenta vilescunt, cùm sacrilegis manibus pertractantur; sanctuarium illudunt; cùm nulla vident sanctitate splendescere, hinc Diuus Hieronymus *Propter vitia sacerdotum Dei sanctuarium destructum est.* C

Sidon. l. 9. in Conc.

Quin, Diui Gregorii ætate, corruptam aeris inclementiam, grassantem luem, aliaque mala, quibus tunc temporis mundana Respublica vexabatur, sacerdotum vitijs Rex Danus tribuebat.

D. Greg. l. 7 ep. 21.

Nec illud est omittendum, quòd sicut in tantâ fructuum varietate aliqui sunt, qui medium omne declinantes, vel ingrati vel grati palato sunt, sic prope sacri viri ab omni medio alieni semper in extrema deflectunt; vel toto animo auertuntur à Deo, vel ad Deum toto studio conuertuntur; mediocritate quacumque neglecta, vel optimi vel pessimi sunt, vel innocentiâ candidi, vel nigredine vitiorum obscuri: leuiter hæc nobis Deus indicauit in duabus illis ficuum fiscinis, quas in atrio Templi videndas obtulit Hyeremiæ, illarum enim vna *ficus bonas bonas valde* gestabat, alia verò *malas malas valdè*. D

Hier. 24. 2.

Ad Cælestis Regiæ fores Iouem Homeri musa finxit duas vrnas seruare, quarum vna melle scatebat, felle altera, & tum ex vna, tum ex alia identidem mortalibus impertire. Citra omnem fabulam sit, Ecclesiam, quæ Cęlestis Regiæ limen quoddam est, duas vrnas habere; quarum vna in Lithurgorum sanctitate dulcissimo liquore affluit, alia vero in eorumdem improbitate maximè amarescit. Hic illud è Plutarcho accommodare placet, quod de Atheniensibus ait, *Eos aut esse optimos, aut pessimos*; & ex eodem aliud, quod scilicet *sicut Attica præstantissimum mel, sic & exitiale venenum pregignit.* De piorum Clericorum operibus quàm suauiter delectatur Deus, eas tamen reijcit & fastidit, quibus improbi

Plut. in vit. Dionis.

bi

A bi polluuntur. Hi sanè dum inter diuini amoris incendia è sacramentis effluentia infeliciter frigescunt, & quodam quasi gelu concrescunt, an non ostendunt, se scelere tanquam veneno enutriri; de his certè illud ego asseruerim, quod de religiosis viris expertus docuit Augustinus; *Sicut non inueni meliores ijs, qui in monasterio profecerunt; sic non deteriores ijs, qui in monasterio defecerunt.* quid enim illis deterius, quibus medicamenta ipsa morbum pariunt & amplificant? D. August. ep. 137 to. 2.

Si igitur Antistes in Cleri regimine negligenter se gesserit, si ad eorum vitia dormirans, vel ea permiserit, vel dissimulauerit, an non tùm Cæli, tùm terræ sententiâ eorum velut author erit arguendus? Lithurgorum errata ad ipsum referuntur, eiusque candorem maculæ Clericorum impurant.

Per quam igitur cautè procedere debent in eos sacris ordinibus donandos, qui nonvirtutis amore, sed facultatum affectione, non studio pietatis, at opum auaritià, se sacris immiscere exoptant; sanctitatem hi præseferre deberent, vt superiùs explicauimus, quâ sacrum characterem approbarent ipsis impressum D. Leo ep. 86.

B tùm voce, tùm manu, & vnctione Episcopi Diuinitatis Vicarij. Sanius vtique esset perpaucos habere probatos & pios, quàm in magnâ eorum turbâ vitia potius enutrire, quibus sacer ordo vilescit, & dignitatis candor sordescit; accommodatissimè enim Diuus Hieronymus pronunciauit. *Presbyteros turba contemptibiles facit.* Verùm quia altè admodum vitiorum fibræ adhærescunt, eòque se licentiæ protulerunt, vt non authoritatem tantùm sed Diui Caroli Sanctitatem ad ea euellenda, vel etiam coercenda postularent, ne saltem, oro, eorum vitia dissimulent, & conniuenti lumine prætereant, ne in eorum consortium ipsi etiam aduocentur, & in partem etiam tùm ignominiæ tum supplicij attrahantur. D. Hieron. ep. 35.

Aquileiensem Patriarcham de hoc animaduertens Diuus Leo Pontifex audiendus hic est. *Inferiorum ordinum culpa ad nullos magis referenda sunt, quàm ad desides, negligentesque Rectores; qui multam sæpè nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medecinam.* Seueriùs etiam Diuus Gregoriu Pontifex D. Leo. ep. 3 & 84 vel 86. c. 1. 8. dist.

C inter ea monita locutus est, quæ gemmarum instar ad instruendos Præsules suo fudit è calamo: postquam enim ostendisset, nihil in totâ Christianâ Religione perniciosius dari, quàm vitiosam Clericorum licentiam addit; *Episcopus itaque, qui talium crimina non corrigit, magis dicendus est canis impudicus, quam Episcopus*, aliàs etiam idem Pontifex Anthimo præcepit, vt Paschasium Episcopum excitaret ad accuratiorem diligentiam adhibendam in refrænandis Cleri sui criminibus ne ex alienâ iniquitate Diuinam indignationem in se moliretur, & Sedis Apostolicæ fulmina prouocaret. Eodem quoque verborum pondere duabus Epistolis Diuus Damianus certiorem fecit Episcopum de lege, quâ tenebatur vitia omnia è suo Clero eradicandi vel amputandi; nec aliâ de causâ docuit, Dei mandato è flagitioso Idolorum cultu, quo se populus polluit, eius Principes patibulo fuisse suspensos, nisi quia *culpa subditorum in Præpositorum redundat opprobrium, & quod ab ouibus erratur, negligentiæ pastoris adscribitur.* Apud Cæli tribunal è subditorum vitijs Principum ignauia damnatur; & ex eorum criminibus impunitis, supplicia in iustos deuoluuntur. D. Greg l. 9 ep. 66. D. Pet. Da. l. 4. ep. 14. & 15.

D Præterquam quòd non rarò fit, vt suâmet negligentia, permittente Deo, puniatur Episcopus: ipsius è manu ad eum castigandum arma desumit, & sicut è ferro rubigo paritur quâ eroditur, sic ex ignauia, quâ in Clericorum vitijs refrænandis conniuet Antistes, oritur plerumque ingrati animi vitium, quo eum vexant; cum enim vitiosæ licentiæ diù assueuerint, si fortè conscientiæ latratibus cruciatus ad eam capessendam tandem accesserit, eum peracerbè aggrediuntur, inurbanè agunt, & calumniarum arma torquentes maximum eius bonum, hoc est bonam famam cruentare contendunt; Adeò verum est, *quòd per quæ peccamus, per hæc & torquemur.*

Experius hoc suffragio suo confirmat Trecensis Antistes: quapropter, eum cum suis Epistolis Pontifici Innocentio commendaret Diuus Bernardus, temperare se non potuit, quin tùm eius, tùm aliorum Præsulum damnaret ignauiam his verbis. *Insolentia Clericorum, cuius mater est negligentia Episcoporum, vbique terrarum turbat, & molestat Ecclesiam, dant Episcopi sanctum canibus, & margaritam porcis,* D. Bernard. ep. 15.

cis, & illi conuersi conculcant eos: meritò quales fouent tales, sustinent &c. Nullius autem alterius criminis reum ipsum fatetur, quàm eo quòd nimià Cleri licentiæ indulgentia præstità, refrenare pòstmodum eorum insolentiam voluerit; demùm sic statuit. *Supplicat puer vester pro eo, cuius in hac discordia (si non fallor) tota culpa est, quod culpas redarguerit Clericorum.* A

Quis ergò miserandam nostræ huius ætatis corruptelam non vberrimo gemitu prosequatur, cùm eo obscuritatis sacra deuenerint, eoque contemptu Infulatum maiestas habeatur, vt singulari ea, quæ tunc vigebat Cleri obedientia ergà suum Episcopum excussâ, non tantum terrorē vllum infernis spiritibus non afferat, sed admirationem, & obsequium, quod ab hominibus obtinuerat, iam deperdiderit? Eadem ipsa via, quâ sibi Presbyteri ingentem comparare famam arbitrabantur, Episcoporum obedientiam exuentes, perniciosi sibi ipsis fuere, & potius ignominiam pepererunt; cùm enim à capite suo vel disiuncta sint, vel in ipsum membra recalcitrent, in exanime cadauer conuertuntur, & inutilis tanquam truncus exarescunt. Episcopi igitur est ad bonam frugem eos reuocare & infulatâ virtute licentiam eorum compescens, ad Ecclesiasticam disciplinam tam fœdè denigrantem illustrandam, recenti morum sanctitate eos adducere. B

D.Greg.l.3 ep 5. & l.7. ep.67. Hinc indignationem aliquam in Bonifacium Rheginum Antistitem Diuus Gregorius exhibuit, & In Ianuarium Calaritanum Præsulem, eò quod enernes & ignaui essent suo in officio Lithurgis continendis: quâ de causâ postea fiebat, vt eorum contumacia & proteruia magis in dies insolesceret; eos demùm non leuiter obiurgat, ignominiosum quid esse affirmans, quòd admonendus de hoc Episcopus sit, quod idem Diuus Augustinus Adeodato & Maurentio Episcopis Africanis pronunciauit: quia verò significatum ei fuerat, à Sisinnio Regiensi Presbytero Idolum quoddam domi seruari, grauemque de eodem suspicionem vagari, quod nefando vitio pollueretur, ad Sabinum Episcopi Subdiaconum magnus Pontifex scribens ei mandauit, vt perquàm accuratè causam de hoc institueret, & si fortè indicium aliquod reperisset, nulla mora adhibitâ carceri eum daret, arctâque custodia eum detinens, certiorem de omnibus Pontificem faceret, cuius supplicijs pro qualitate criminis esset mulctandus. De tàm accuratâ diligentiâ rationem in epistolæ exordio reddens hæc ait, *Cùm plerumque, quod in laicis culpa non est, hoc crimen in sacro sit ordine constitutis, quanta in eis distinctione, puniendum sit piaculare flagitium, qui zelo rectitudinis vtitur, non ignorat.* (Greg. 17. ep 14.) C

Quin Dei sanctuarium tàm religiosâ censurâ sanctissimi Præsules examinarunt, vt quæ nunc temporis tenuissimæ videntur labes, omninò ipsi reijcerent. De se ipso Diuus Ambrosius narrat, in Clericorum cœtum quendam inserere noluisse, eò quòd in gestu faciendo ab honestate debita declinaret, alium verò ab Ecclesiasticis functionibus repulisse, eò quòd arrogantiam quandam suo gressu præferret. *Meministis fily, quemdam amicum, cùm sedulis videretur commendare officys, ho. solum tamen in Clerum, à me non receptum, quòd gestus eius plurimum dedeceret. Alterum quoque cum in Clero reperissem, iussisse me, nè vnquam præiret mihi, quia velut quodam insolentis excessus verbere oculos feriret meos.* (D.Ambr. l.1. offic. c.14.) D

D.Pet.Da. l 3. ep.8. Legari Apostolici munus exercens Diuus Damianus a Bizuntino Archiepiscopo hospitio fuit exceptus: huius magnificentiam in templis erigendis, commendauit, eius pariter splendidè laudauit cogitationem, quâ se morti semper proximum recogitans, non tantùm sepulchrum sibi iam exerexat, sed ac si in singulos dies illud esset ingressurus, paratissimum ipsum haberet; temperare tamen se non potuit, quin eius desidiam ignauiamque damnaret, quâ permittebat, vt sedentes in Odæo diuinas laudes Presbyteri recitarent.

Diuus Tharasius Constantinopolitanus Antistes, non tantùm vetuit, ne Equestri cursui Presbyteri adessent, sed insuper præcepit, vt eâ ipsa horâ domi se detinerent ad diuinas preces persoluendas, & sacram lectionem habendam.

Tàm accuratus in Lithurgorum moribus librandis fuit Diuus Athanasius, vt lydij loco lapidis omnibus esse possit ad suum munus exercendum.

Diuus Antoninus Florentinus Antistes, cùm de Presbytero accepisset, quod à ludo

ludo mille aureos lucratus fuisset, eos illi eripuit, & in pauperum subsidium Sur. in vit. S. Atha. 2.
A erogauit. Quis autem non obstupescat ad enixam, & propè inexplicabilem Maij. Idem solertiam, quâ Diuus Carolus in Cleri moribus expendendis inextinctâ semper invit. s. Antonin. 2 Maij. vigilantiâ elaborabat? eius Synodos, Concilia, epistolas consule, quas posterirati reliquit?

Vtinam iuxtà Canonum leges, & sanctorum Præsulum exempla Cleri mores ab Episcopis componerentur; quàm sanè speciosa, quàm venusta Dei Domus esset totique vniuerso spectabilis! quàm facilè ad pietatem totus orbis resipisceret, recentiq; sanctitatis iuuentâ pulcherrimus efflorescerct! ad eius mores, tanquàm ad concionem sermone ipso validiorem consilia omnes meliora capesserent, vt enim Diuus Ambrosius eleganter scripsit. *Decet enim actuum operumque nostrorum testem esse publicam existimationem, & attestationem, ne derogetur muneri; vt qui videt ministrum altaris congruis ornatum virtutibus, auctorem prædicet, & Dominum ueneretur, qui tales seruulos habeat: Laus enim Domini, ubi munda possessio, & innocens familiæ disciplina.* D. Amb. l. 1. de off. c. 50.
B

§. I.

Cleri continentiæ summoperè ab Episcopo euigilandum.

VErùm, si quâcumque in re componēdâ initi debet Antistes, id summoperè totoque studio præstandum ei erit, vbi de continentiâ eius agitur, & de corporis integritate seruandâ; in viris Deo initiatis fœda quæcumque macula est, sed ea quæ obscęnitatem sonat, omninò fœdissima, vt quæ non eorum tantùm
C personam polluit, sed ipsius sacri characteris innocentiam; religionis candorem, Sanctuarij decus incœstat, Christianam pietatem inficit, sacra ministeria eneruat, homines offendit, cælestes spiritus contristat, exhilarat Dæmones, quibus nihil iucundius, nihil gloriosius est, quam eos obscęnitatibus inuolui, qui potissimo quodam religionis nexu Diuinitati iunguntur: opportunè satis allocutus videtur Petrus Blessensis, quòd scilicet sicuti sponsas Eunuchis custodiendas terrestres Principes committunt, sic sponsam suam Christus seruandam P. Blessen. serm. 42. tradidit ijs Eunuchis, quos non vel naturæ vel artis iniuria mutilauit, sed qui vir- Matth. 19. tutis & pietàtis studio *se ipsos castrauerunt propter regnum Cælorum.* 12.

Hinc plurimi Episcopi pietate illustrissimi, cuncta sanctissimis legibus à Clericis amouerunt, quæ aliquatenus pudicitiæ candorem obscurare in ipsis possent. Hinc pateat, quàm meritò ad Nicolaum Secundum Pontificem scribens suum exacuit stylum Diuus Petrus Damianus, eiusque fæculi corruptelam damnat, D. Pet. Da. l. 1. ep. 5. quâ sacrorum virorum impudicitiâ late grassabatur, nullâque lege statutâ eorum licentia coercebatur, eâ quidām de ratione, ne sæculares viri offenderentur, &
D eorum fama penes vulgum vilesceret; hoc siquidem pacto ex eorum flagitiosâ obscœnitate potiùs offendebantur omnes, eòque acerbior erat offensio, quò nulla pœnâ indictâ, ex Episcoporum ipsiusque Pontificis negligentiâ impunita eorum flagitia magis adolescebant. *Ergo præ pudore nescio quomodo supprimatur in Synodo, quod publicè vociferatur in mundo; vt non modo peccantes, vt dignum est, notentur infamiâ; sed & hi quoque qui vltores esse debuerant, videantur in culpa.*

Ex innumeris, & validissimis rationibus, quibus ad excitandos in hac re Antistitum animos vtitur, horrorem mihi illa videtur incutere, quam è Hieremiæ verbis & miserandi Heli exemplo colligit; ex ipso enim satis constat, quòd sicuti commendatissimus ille Deo est, qui Phinees Zelum imitatus ab obscęnis voluptatum illecebris Dei filios, hoc est sacros homines conatur auettere; sic etiam ille ab eodem non absque indignatione reprobatur, qui eas oculo conniuenti

dissi-

dissimulat. *Meritòque debet superni Iudicis subire uindictam, qui neglexit in subditos exercere disciplinam.* Satuit demùm, quòd in tanti reatus pœnam, & ad populorum exemplum, ab eo sacrorum ordinum gradu deturbandi essent, quem A
Dist. 50. per tot. tàm fœdâ vitiorum colluuie deturpant. *Deponantur ij, qui Ecclesiasticæ castitatis non uerentur fœdare munditiam, & deiecti terreant, quos male stantes ad turpis luxuriæ contumeliam prouocabant*; quod Canonum placito satis confirmatur.

D.Pet.Da. l.4. ep.3. Cunibertum Taurinensem Antistitem, spectatissimum cæteroquin Præsulem, & magnarum virtutum famâ perceelebrem eodem scribendi ardore Damianus idem obiurgat ex ignauiâ, quam in suorum Mystarum intemperantiâ arguendâ, Apoc 2.20. animo eneruatus exercebat; do eius verba. *Quid est ò Pater, quòd tibi soli vigilas; & his, pro quibus priorem exigendus es rationem, tam inerti securitate dormitas?* Tum Thiatiræ Episcopo eum conferens, quem de eodem crimine Ioannis ore Deus increpuit, ei obtestatur, non admodum de eius continentiâ delectaturum Deum, nisi alienæ etiam prospexisset; licet enim in alijs sufficiat, quòd castitas infœcunda sit, & vt ità dicam solitaria, in Hyerarchis fœcunda requiritur, vt in B
Sur.14 Nouemb. alios etiam eius exemplo quâdam ferè sui sobole propagetur. *In alijs certè quibuscumque personis non exigitur fœcunditas castitatis: in Episcopo autem inutilis esse castis iure denenitur, quæ se sic exhibet sterilem, vt aliam non pariat castitatem.*

Seuerus adeò hac in re Diuus Laurentius erat Dublinensis Antistes, vt si aliquis sacrorum ordinum vinculo castitati connexus, ab eâ turpitudine aliquâ implicatus deficeret, nec suâ nec alienâ operâ volebat eos absoluere, sed Romam ad summum Pontificem eos mittens, tàm prolixi acerbique itineris molestiâ piè eos cogebat ad constantem sententiam induendam, ne in posterum Sur. 19. Maij. simili maculâ fœdarentur. Quid? suorum Canonicorum libidinem iniquissimè ferens Diuus Damianus Cantuariensis Antistes, Cœnobitas aliquos eorum dignitatibus exornans, suis eos è sedibus deturbauit.

Hinc omnes Pontifices, omniaque Concilia, & potissimè Nycænum ad excitandam in Hyerarchis hac in re vigilantiam concordi suffragio conspirarunt, & C vt opportunitatem omnem Clericorum obscœnitati adimerent, mulierum côtubernium eis denegarunt. Quin Diuus Basilius Presbytero cuidam septuagena-D. Basil. ep. ad Greg. rio nomine Gregorio vetuit, ne fœminam ad sui famulatum secum haberet; ipsi verò de hoc conquerenti sanctus Antistes respondit. *Nec primi nec soli, ò Gregori, statuimus, ne mulieres cum Clericis cohabitarent*; quia autem longioris suæ ætatis imbecillitatem ille repræsentans, nullum ex ea dari suspicioni libidinis locum pronunciabat, rursus Diuus el Basilius insinuauit, ex eius exemplo peccandi licentiam multos arrepturos, & ex hac ratione se cogi ad eius côtuberniû amouendum. Quàm verò Diui Basilij pietas & prudentia in hoc faciendo elucesceret, experientiâ mihi satis compertum est: senem etenim ipse etiam offendi, qui pari ætate confectus, nec tenui pietate ornatus, & quotidiè rei diuinæ peragendæ assuetus, famulam fœminam domi suę habens, absque eo quod ne leuis quidem vel suspicio vel offensio de eius prauâ consuetudine haberetur, nocte quâdam è coitus violentiâ, inopinatâ morte æternùm miserandus interijt.

D. Hieron. ep. ad occæ. de vit. Cle. Primum hoc & maximum in Episcopis sit, ait Diuus Hieronymus, quòd quæcumque familiaritas, quodcumque commercium fœminas inter & Clericos D turpe est: familiaritas Dei in templo fęminarum familiaritatem in domibus non patitur. *Præcipuè illud reor attentiùs prouidendum: prima tentamenta sunt Clericorum mulierum frequentes accessus. Quid tibi re uera cum fęminis, qui ad altare cum Domino fabularis?* Dedi verba Hieronymi: quin eò vsque processit, vt virgi-2. Reg. 5. num etiam consanguinearum societatem excluderet. *Prohibe Virgines tecum morari, etiam si de genere tuo sint.* Ammonis suffragio Thamaris sororis venustate correpti hæc comprobantur; nullum enim, vt tantus Magister docet, validius & potentius telum ad hominum fortitudinem consternendam è stygio armamentario Dœmon intorquet, quàm fęminæ pulchritudinem; tenacissimus is viscus est, quo fraudulentus venator ad animos quasi volucres capiendos vtitur, & quo si semel aspersi & irretiti fuerint, nunquam se libertati pristinæ restituere possunt.

A possunt. Licet autem nullum ex hoc in pudicitiam incommodum criuaretur, quantum illud est, quo suspicioni, dicterijs, & calumnijs locus datur, nam, vt idem subdit, *Alienam vicini cupiunt discutere vitam?* D. August. ep. 236.

Alteri Episcopo significauit Diuus Augustinus, quòd cùm Sanctissimæ Domini nostri Natiuitatis peruigilio Presbyter quidam per totam ferè diem cum Tabernatiâ suspicioSę famæ fuisset, licet cum eâ nullâ se obscœnitate pollueret, postquam Dei iudicio de occultis eum damnandum reliquisset, de ijs eum mulctauit quæ confessus vltrò fuerat. *Quæ negauit Deo dimisi, iudicans quæ occultare permissus non est; Remouendum ab officio Presbyterij arbitratus sum; timens ei deinceps Ecclesiam Dei committere.*

Ciuilium legum vi licet sponso in eum agere, qui vel verbis sponsam suam malè affecisset, quod ratione allata confirmat Vlpianus. *Etenim spectat ad contumeliam eius iniuria quacumque sponsæ eius fiat.* Ecclesiæ suæ sponsus Episcopus est, cuius connubij, vt semper memor sit, digito semper annulum præferre te- L. item apud 15 § si quis virg. in fin.

B netur; suo igitur probro vertendæ illæ contumeliæ sunt, quibus sacri viri sui muneris sanctitatem obliti, eius nitorem integritatemque commaculant. Sacrorum Annalium Scriptores nullâ de Paulo Samosatheno Antistite admiratione tenentur, quòd in obscœnis impudicisque Lithurgis coercendis nullam prorsus diligentiam adhiberet; quandoquidem pice tàm sedâ ipse idem aspersus & deturpatus, quos incitabat exemplo, sermone coercere non poterat; sanè eodem flagitio se infici ille indicaret, qui suo sub Principatu libidines licentiosè grassari pateretur. Perniciosissima in sanctitatis administris est ipsa impudicitiæ suspicio; quia tamen hac de re pro rei grauitate Diui Cypriani eloquentia desudauit, videas ea rogo, lector, quæ tantus Magister exarauit. D. Cypr. de singul. Cleric.

Illud addo, quòd si in leuissimas Lithurgorum labeculas nostram solùm seueritatem obarmemus, & ad Dynastarum potentiumque flagitia dormitemus, illud Seneca de nobis pronunciaret, quod nempe *Sacrilegia minuta puniuntur; magna in trophæis feruntur.* Senec. ep. 87.

C Suas tamen haud perfectè vices expleuit Episcopus, si tantum Lythurgorum vitia refrænauerit, cum virtutum etiam studium in ijs teneatur accendere: haud satis, quòd offensione alijs haud noceant, nisi etiam eos iuuent exemplo eorum, maximè opus est, vt virtutibus absolutissimis excellant; quis autem validiùs ad virtutes excitet, quàm qui virtutum omnium luce præfulget. Veliternensis Ecclesiæ Canonicos eò vsque deperditæ conscientiæ inuenit Diuus Damianus, vt ferè ad eorum emendationem spem omnem exueret; sed diuina beneuolentia fauente, ad eam morum integritatem candoremque eos adsciuit, vt ipsismet religiosis viris specimen probitatis possent exhibere; Hæc ille ad Archiepiscopum familiarem suum scribens enarrat. D. Pet. Da. l. 3. ep. 10.

Diuus Thomas Villanouanus tam industri benignàque solertiâ duorum Lithurgorum & Canonici alterius animum excoluit, vt eos permutatâ vtiliter voluntate, ad sanctitatis amorem reuocarit. In vit. B. Tom Villanou. c. 10. & 11.

Ad pijssimos probatosque mores vnius correctionis vi Diuus Carolus Clericum conuertit scelerum exercitio satis fœdum, & sicuti toti populo prauitate sua perniciosissimus erat, sic postea sanctitate morum maxime ijs salutaris D euasit. Giussan. in vit. S. Car. l. 8. c. 15.

§ II.

Canonicorum Collegio ab Episcopo euigilandum.

Potissima maximaque vtilitas è Synodis & Concilijs colligenda ad Canonicos referatur oportet, in quos, vtpote qui Ecclesiæ Senatum constituunt, Côc. Trid. sess. 24. de reform. c. 2.

torius Cleri populique lumina conuertuntur; præterquàm quòd, cùm ex ipsâ nominis vi iuxtà Canones ipsi viuere teneantur, de eorum præcipuè moribus A componendis studendum Episcopo est, ne à suo ministerio gradùq; discordent: maxima sanè hac ætate de hac re necessitas vrget, cùm iam pristinæ disciplinæ vigor clanguerit, statutæ preces tam preperi celeritate in Odæo persoluantur, vt non recitari, sed deuorari videantur, & quæ olim non sine vberi effusoque gemitu agebantur, nunc inter confabulationes & dicteria recitentur, diuinæ illæ cantiones, quibus Angelicis vocibus cælum consonabat, nullâ cum reuerentia præcipites effundantur; ex quo fit, vt plerique non ad cultum & obsequium ad Odæum accedant, sed ad stipendium illi addictum non amittendum.

Hæc igitur aliaq; incommoda, quæ è muneris & loci dignitate infamiæ notam assumunt, Episcopi est, vt studiosè remoueat, Canonicosque ad eam pietatem induendam alliciat, quæ omnia benignitate magis & amore, quàm seueritate & violentiâ obtinentur. Vt Canonicos suos in officio contineret, & ad diligentem in precibus recitandis pietatem eos suauiter cogeret, vnà cum ipsis Odæo B adesse suasque preces exoluere consueuit D. Antoninus.

Sur. in vita S. Anton. 2. Maii. Giuslan. in l. 2. c. 7.

Egregius hac pariter in re fuit Diuus Carolus, qui primùm eos inuisens non tantùm ad sanctiorem viam calcandam eos adduxit, sed postea ad communem secum degendam vitam eos blandè attrahere studuit, vt Eugenio Tertio imperante positum erat in more; licet autem plerisque repugnantibus mentem illam suam assequi non potuerit, haud tamen ea illi præconia deneganda sunt, quas in ausis ingentibus vnusquisque meretur. Hic autem illud præterire non possum, quòd Episcopi aliqui sanctâ, vt credere licet, cogitatione ducti faciunt; Canonicorum enim animos discordes fouent, tum vt eorum arbitri euadant, & certiores fiant, nunquam simul in eum conspiraturos, tùm vt facilius de omnibus instruantur, quæ corrigenda & castiganda videntur; sic etiam inter Consiliarios discordias fouendas Principem suum Bodinus docuit, vt præ timore, quo aliorum vigilantiâ detegantur fraudes, fideliter vnusquisque procedat, quod idem in Censorino Catone approbat & commendat Plutarchus: ille enim famulos & C familiares suos ità seruabat, vt discordes simul semper essent, & alteri semper suspicionem vnusquisque suggereret, quod ea ipsi detegeret, quæ vel eius vel suæ Reipublicæ perniciem fraudolenter molirentur. His etiam artibus duorum Spartæ Regum animos discordes Lycurgus fouebat, statuitque, vt mittendi ad exteros Principes Legati è duabus æmulis factionibus semper eligerentur, ne si concordes fuerint, facilè in Reipublicæ detrimentum conspiraient.

Bodin. l. 4. de repub. c. 5. Plutarc. in vit. Caton. 15.

Apage inhonestas has artes, è quibus deteriora exoriri possunt incōmoda; hinc iure ab Aristotele & Diuo Thoma vapulat Lycurgus, cuius legationes idcircò frequentissimè improsperè cesserunt: in exploratoribus à Moyse missis ad Chananæorū regionem agnoscendam hoc idem patefactū est: ex eorum enim discordiâ, seditiones illæ pullulauerunt, & tumultus efferbuerunt, quos sacri codices narrant: veritati sanè satis consonat effatum illud Dionis Chrysostomi, quod scilicet, nisi inducendâ naui remisque agendis concordi simul animo nautæ co- D nentur, naufragium patientur, & præceps omninò currus ille ruet, quem disiunctâ vi reluctantes equi traxerint: frequentissimè enim fit, vt priuatis simultatibus, & æmulationibus mutuis succensi iniuste sibi administri repugnent, vt, in Agesilao & Lysandro, & inter Achi, & Achitophel experientia comprobauit.

Arist. 2 politic. c. 7. D. Thom. de Regim. Princ. l. 4. c. 8. Num. 13. per toc Di. Chrysost orat. 38.

Licet autem Episcopo eiusque sacro regimini aliquatenus vtilis esse valeat Canonicorum discordia; cur tamen perniciosis hisce artibus Christianæ simplicitati aduersantibus vtatur populorum Pastor, Euangelij interpres, Apostolorum successor, Deique administer? suorum potius Canonicorum concordiam fouere tenetur Antistes; Dei enim erit, vt nihil vnquam mali è tanto bono in eum eriuetur; ex aduerso autem pro comperto illud Canonici & Liturgi omnes habeant, potissimùm ad eos spectare, vt voluntate & animo suo semper concordes obsequantur Antistiti, & in eius cogitationes conspirantes eius authoritatem fulciant, obseruantiam augeant, & si quæ sunt maledicta & oblocutiones

in

in eum retundant; illud recogitent, quòd nisi cytharæ fides Cythatedi manu A flecti, vltroque agi patiantur, non dulci consensu resonat, sed insano strepitu dissonat: fortissimus Christi pugil, & Apostolorum successor Ignatius hæc significauit cùm diceret. *Vestrum Collegium dignum Deo est cooptatum, consentiatque Episcopo, vt cordæ ipsæ citharæ ita colligatæ concordi sint charitate, cuius est dux & custos Iesus Christus.* D. Ignat ep ad Trall.

In Ildemensi Concilio, quod quandam etiam viuendi normam præscripsit Episcopis, & singularem præsertim eis indixit erga Hyerarcham venerationem, & beneuolentiam, habetur, quòd si quis per summum dedecus repugnare bis voluerit, se Satanæ dominio quodammodo subijcit, & Canonici nomen, quod Canonem sonat & legem, iniustè vsurpat, cum ab Episcopo leges, & Canones traditos seruare contemnat. Hinc verò sequitur, quòd si Canonici nomen exuerint, Canonicorum prouentus indignè recipiant, eosque restituere teneantur. Conc. Ildemen. in reg. Canon. c. 5.

B

§. III.

Paræciarum Præpositis ab Episcopo euigilandum.

AEQVE etiam, & fortè magis, tùm Vrbis tùm Diœcesis Curionibus euigilet oporter Antistes: ad assiduam eos residentiam obstringat, vt sextæ Constantiensi Synodo, extremæ Lateranensi, & Tridentinæ obtemperet, ad pascua suo gregi tùm opere, tùm exemplo subministranda, ad populum pro euiusque necessitate de Christianæ fidei legibus instruendum, ad sacramenta C piè diligenterque impertienda, de scelerum fuga, virtutis studio, religionis amore. Conc. 6. Const. c. 8. Conc. Later. vlt. sess. 11. Conc. Trid. sess. 5. c. 7. de reform.

Verùm quia in suis Paræcijs Episcoporum ipsi vices tenent, eam ipsi proportione quadam Episcoporum imaginem præferant, quam nos toto opere Episcopis ipsis descripsimus, ad quos suos istos Coadiutores perficere spectat, vt illæ quas ipsi præ longinquitate pascere, & custodire Dominicas oues non possunt, horum operâ custodiantur, & ferueantur. Qua in re suæ Vrbis, & Diœcesis Parochos egregiè Theodolphus Aurelianensis Antistes informauit, epistolam ad eos scribens, quam, vt infulis Aurelianensibus redimitus ipse fuit, ad eos scripsit. eius exemplar habes apud purpuratum Baronium eam recitantem. Baron. ann. 535.

Quia verò hic de Christianâ Catechesi tradendâ forte incidit sermo, incredibile dictu est, quàm studiose in hac re se gerere debeat Antistes, vt à primis vitæ crepundijs pueri puellæque Christianis legibus imbuantur, earumque scientiâ, & amore capti, Christianam facilius pietatem induant, & indissolubili nexu amplectantur: si namque ea benè perceperint, quæ credenda, quæ speranda, quæ amanda, quæ fugienda, quæ demùm nobis in æternâ beatitate obtinenda, non D admodum difficile opus erit, vt his veluti fundamentis innixa pietas Christiana in perfectam, & sublimem molem attollatur.

Ad hoc igitur pium institutum validè confirmandum, ea semper mihi mens fuit, vt Episcopi non tantùm in Ciuitatibus, & frequentioribus Oppidis administros; & operarios eligant, quorum studio, & labore pro loci, & temporis opportunitate diligenter illi dent operam; sed insuper, vt ipsimet Paræcias alternatim inuisentes, non illi tantùm personaliter adsint, at etiam, suâmet voce, suo labore, suo studio, & opere ad illud incumbant, interrogent, doceant, explicent, & concurrentes turbas impertitis etiam præmijs alliciant, & trahant. Celeberrimum hac in re Nazianzenum Gregorium imitentur, qui, narrante Nicephoro, rudes populos per Pagos, & Castellâ Christianâ Catechesi docebat; quin ipsummet Apostolum imitentur, qui de se non sine piâ quadam superbiâ Nicef. l. 11. c. 17.

1 Cor. 3. 2. Amb. Theophil. Anselm. & Th. ibi. Ioan. Gerson. perbiâ iactabat. *Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi*; hæc enim verba ad hanc sententiam Sancti Magistri, Ambrosius, Anselmus, Theophilactus, Thomas explicant, vt Magnus Galliarum Cancellarius Gerson, qui non tam è concionibus è suggestu populo habitis, quàm à tradito pueris Catechismo, ingentem Christianæ Religioni illatam suâ operâ vtilitatem asserebat; Quin ipsum Christum Episcoporum ideam imitentur, qui in pueris instituendis Marc. 10. 14. accuratissimè, & amantissimè instruendis adeò oblectabatur, vt illud frequenter ore præferret. *Sinite paruulos venire ad me*. A

De lege, & modo seruando, vt prauæ consuetudines aboleantur, neque aliæ vel inter sæculares recenter irrepant. Cap. LIII. B

ILLVD etiam in Synodis, & visitationibus maximè perquirendum est, vt scilicet prauarum consuetudinum, quibus non tantùm Clerici, at prophani ipsi viri inficiuntur, licentia refrænetur; certè in his abolendis ignauus esse non potest Episcopus, quin suam ipsam ignauiam tanquam prauam consuetudinem damnet. E duodecim enim morum corruptelis, quibus duodecim tanquam vertagis non commentitius Actæon, at Christianæ Religionis corpus D. Aug. de ... abus. laceratur, eam etiam Diuus Augustinus recenset, *Episcopus negligens*. Nulla sanè negligentia excusari eâ inutilius potest, quæ sacri ministerij vim eneruat & decus obscurat; hoc autem maximè in eo versatur, quòd tùm mala germina eradicentur, & infaustæ arbores, quæ virulentam vmbram protendentes frugiferas & salutares plantas inficiunt & corrumpunt, penitus excindantur, tùm plantæ vtiles excolantur, & in infernas vires virtutum arces & pietatis propugnacula attollantur; Omnibus enim illud Hieremiæ Deus pronunciauit. *Ecce constitui te* Hiere. 1. 10. *hodie super gentes & super regna, vt euellas & destruas, disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*. C

Dum in Christianos populos profligandos & delendos tam vigiles Dæmonum acies excurrunt & grassantur, indecorum nimis & fœdum in Episcopo foret, si in populorum salute eius fidei studioque commisso comparanda deses & ignauus dormitaret: luctuosas cædes, quas in Christiani nominis excidium intulit, otiosè spectare ipsi non licet, & sicuti Phillistæis occupatas olim Vrbes, Hebræorum dominio recuperauit Samuel, sic, iuxtà Beati Dyonisii Carthusiani mentem, religiosi fortisque Antistitis est, vt animarum prædam è prauis moribus factam, è Satanæ potestate strenuus & inuictus eripiat. D

Ribadin. vit. S. Aug. Quin adeò egregiam in hoc nauauit operam Diuus Augustinus, vt non eas tantùm euulserit, quæ iam inualuerant, sed etiam, vt Carthaginenses infulas induit, ad Aurelium eius Vrbis Primatem scribens eum admonuerit, ad omnes vires explicandas, vt errores aliqui abolerentur, quibus iam tota ea regio vitiabatur: Pari etiam ratione ad Theophilum Alexandrinum Patriarcham Diuus Hieronymus scripsit, vt suis epistolis Occidentales Episcopos admoneret, *Vt mala germina acuta succidere falce non cessent*. Quòd si admodum in hac re pij omnes D. Hieron. ep. 71. Episcopi desudarunt, vtique omnium maximè recenti hac nostra ætate Diuus Carolus enituit, innumeras prope vitiosas consuetudines eradicans, quibus Ambrosiana Ecclesia affluenter exundabat: ex horrido squallidoque nemore, in amœnum pulcherrimumque viridarium is eam immurauit, suæ diligentiæ exemplum toti posteritati relinquens.

Verùm quià lubrica latis ista res est, & in eâ frequenter vitiosa sunt ipsa remedia;

A media; ex ingenti difficultate, quam in hominum regimine experimur, qui vt Diui Nazianzeni magistri sententiæ adhærentes diximus, Ezechielis eo cursu descripti, hominis, Aquilæ, Leonis, & Bouis indolem simul amplectuntur; solerter simul, & sapienter tractanda nobis ea est, consuetudines eas distinguendo, quæ iam inoleuerint, ab eis, quæ proximè, & recenter irrepunt. Ad has enim exscindendas opus est, vt promptissimè sollicitudo Pastoralis accurrat, ibique ijs sepulchrum aperiat, vbi sibi iam facere cunabula; ad angularem Christi lapidem serpentes huiusmodi in sua infantia allidantur, *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram*; ne si adoleuerint, virulenta proceritate in populos sæuiant; ne ad perniciosam porrigendam fœcunditatem praui germinis semen effundatur, statim ac emergit, euellatur, & pereat. Scintilla incendium pariturа obruatur. Si contemnantur errores, temporis auxilio grandescunt, & vaporum instar, qui solari virtute in sublime rapti per Cælum horrendo mugitu infremente vniuersum totum infestant, & quatiunt, si negligantur, nullo amplius B remedio coercendi, licentiam augent, viresque omnes eludunt. Quis illud è medicâ disciplinâ effatum ignoret? *Principijs obsta, sero medicina paratur.* Ps. 136.

Exigua quidem rerum omnium exordia sunt, sed paulatim vomicæ instar serpunt, & augentur; quæ Pigmæorum instar enascuntur, Gigantum more grandescunt. Lutheri tam effrons impudentia, è scripto tantùm effluxit, quo indulgetias Romanâ à sede impertitas insano furore percitus miserando stylo quatiebat; quià vero celeri impetu eâ flamma restincta non fuit, sed leuibus tantùm responsionibus ventilata, in hydram Lerneâ fœdiorem monstrum illud se commutauit, cuius capita per totum ferè Septentrionalem orbem suum virus effuderunt.

De Religionis nonnullis ordinibus, qui olim spectatissimâ sanctitate efflorescentes, religiosâ labente disciplinâ infœliciter elanguere, sermonem habens Diuus Antoninus Florentinus Antistes nostræ huic sententiæ consonat his verbis, *Præfata Religiones, quæ cum magno feruore, & vita sanctimonia initium habuerunt, minima negligentes traditionum paternarum, in processu temporis paulatim defluxerunt, & exinanitæ sunt vsque ad fundamentum in eis, vota scilicet substantialia*; quia enim in prauis moribus initio euertendis desides eorum Præsules fuere, qui leues videbantur, grauissimi postmodum erupere; eorum prauitas, aliorum probitatem extinxit; tenues & vix sub oculi aciem cadentes punctiones ingentia vulnera reserarunt, & primæ labeculæ totam inde religiosam vestem occupantes, eam turpissimè commacularunt; aliquos inde Monachos egregiè Diuus Anselmus admonuit, ne leues in se errores dissimulanter reciperent; ex ijs enim tacitè illabentibus totus religiosus ordo transuersum agetur. D. Anton. 2. par. hist. tit. 15. §. 2. C

Quid tamen est, vt religiosis è Claustris ad hæc confirmanda venemur exempla, cum è nostra vtique domo nobis ea abundè suppetantur! Quònam ea Christiana probitas abijt, cuius splendoribus cæli instar Christiana religio coruscabat, sæculi contemptus, morum sanctitas, vitæ asperitas, diuinæ legis exacta D obseruatio, in humano commercio simplicitas, illibata fœminarum pudicitia, Christiana charitas quo? quònam morum ille candor abscessit, quo Tertullianus ab Idolorum cultoribus Christianæ fidei sectatores secernebat? opibus primùm irretire se christiani cœperunt, & pecuniarum amore feruescere: quia vero leue admodum hoc Præsulibus videbatur, nec in eo extinguendo vllam operam dederunt, è diuitijs ad delicias, è delicijs ad luxum, è luxu ad libidines, ad discordias aliaque sexcenta incommoda, quibus tota nunc Religio miserandâ lue vitiatur; neglecta in suis crepundijs auaritia, eam Apocalypseos fœminam repræsentauit, quæ in aureo calice vitia omnia fœdissimè propinauit. *Et quia potus placere non potest, auri amor illicit ad bibendum*: sic Ambrosius. D. Amb. in psal. 1.

§. I.

A

§ I.

Diuerso veruntamen modo cùm illis consuetudinibus nos agamus oportet, quæ iam vsu inualuerunt, totumque hominum animum occuparunt: primum igitur euitandus scopulus est, quo miserè nonnulli illiduntur: hoc autem in eo versatur, quòd prauas eas consuetudines putant, quæ in re cæteroquin indifferenti, alieni ab eo vsu sunt, qui suis in patrijs, vel in alijs vrbibus adolescit; si corrigere ea quis velit, quæ nec Religionis candori, nec morum integritati aduersantia, ideo ab aliquibus damnantur, quia laudabiliùs alibi exercentur, ingentem malorum segetem pariet, nullâ prorsus vtilitate relatâ: è Diuo Augustino hoc habes, qui cùm olim à Ianuario Episcopo de non absimili re rogaretur, cùm prius ostenderit, nec fidei sanctitatem, nec vniuersæ Ecclesiæ morem vsu illo turbari: *Non enim quicquam eorum contra fidem, aut contra mores hinc vel inde meliores*, statim subdit ipse. *His enim causis, id est, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet, quod perperam fiebat, aut institui, quod non fiebat: ipsa quippè mutatio consuetudinis, etiam qua adiuuat vtilitate, nouitate perturbat: quapropter qua vtilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est*. quæ omnia exemplo suo confirmat, dum Diui Ambrosij familiaritate vteretur: cùm enim nullum Mediolani die Saturni haberc ieiunium Romano de more Diua Monica sua mater experiretur, anxius per quàm erat, & incertus animi hærebat, an regionis consuetudini adhærere deberet, an potius Romæ Religionis magistræ vsum prosequi; vt igitur hac de re Magnum Mediolanensem Antistitem consuleret, suum filium excitauit: interroganti Augustino respondit Ambrosius; ad vtrumque se indifferenter compositum animum habere, & quod optimum visum ei fuisset, opere præstiturum: hinc addidit; *Cum Romam venio, ieiuno Sabbato; sic etiam tu ad quam fortè Ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi*: ad hanc sententiam matri suæ enunciatam, adeò eam acquieuisse Diuus Augustinus narrat, vt illam pro cælesti oraculo haberet; hinc eas contentiones increpat, quibus è speciosâ aliquâ ratione Præsules aliqui populos vexāt & turbant, in eorum consuetudinibus immutandis. Nouitates igitur omnes euitet Episcopus, & ea tantùm coercere contendat, quæ citrà conscientiæ suæ reatum pati nullatenus valet.

D. Aug. ep. 118 tom. 2. | B | C

Sicut autem prauæ consuetudines fortiter, sic etiam prudenter sunt eradicandæ: falcem, quam ad eas resecandas arripit & vibrat pietatis zelus, prudentiæ virtus attemperet, vt cælestem agricolam imitemur, qui lolio virescenti ad tempus parcens, opportunè messem expectans illud eripuit.

Opinio quædam non leuiter Christianæ Religioni difformis Alexandriæ inualuerat; de Theophilo eius Vrbis Patriarcha conquerebantur aliqui, quod in tam prauo germine euellendo dormitare videretur: optimè tamen ipse indicauit non se somniculosum fuisse, sed prudentem, & cursorum instar, vt celeriori cursu præstaret, moram illam impendisse; opportunitatem etenim nactus, fortiter tantum opus inuasit, & fęliciter expediuit: ipsi igitur gratulatus Diuus Hieronymus ait. *Dolebamus te nimium esse patientem; sed vt video, exaltasti manum diù & suspendisti plagam, vt fortiùs ferires*. D

D. Hier. ep. 70.

Quoscumque simul errores pastoralis sollicitudo detestatur, sed non omnes simul prudentia aggreditur, vtpote quæ ineluctabiles eorum vires agnoscit, & ad exuendos veteres mores asperè & acerbè gentes adduci: eos igitur singulatim petit, & ab eo incipiens, cuius facilior victoria est, ad omnium paulatim palmas capessendas accedit: hoc sanè modo Augustus Romæ consuetudines correxit, teste Dione. *Non omnia statim vti decretum erat executus est, veritus ne parum succederet, si simul homines transferre, & inuertere vellet: sed quædam ex tempore, quædam reiecit in tempus*. Authoritatis vis & Præsulis voluntas ad populi disciplinam coercendam satis non est, nisi prudentiæ arbitrio ipsa operis executio proferatur. Posteros omnes & Principes egregiè hoc Plutarchus edocuit

his

his verbis. *Ergo ciuium mores, potentia, ac fide instructus formare, sensim eos ad* A *meliora subducens.* Plutarc. in præcep. Reip. gerend.

In Lernæâ Hidrâ funditus exscindendâ irrito laborc desudabat Hercules; ad vnum enim caput eius recisum septem alia pullulabant, & prodigiosè fœcunda ex ipsâ cæde vires, ex ipsis vlneribus arma sibi assumebat; sapientia virtuti coniuncta victoriam dedit. Vitiosa consuetudo in Hydrâ designatur; vt igitur eam exscindas, nec solâ virtute vtaris, nec omnia simul eius capita inuadas; dexteritate, industria, & temporis opportunitate flectendum regimen est; vt enim Romanus Orator sapienter asseruit, *Temporibus parere omnes politici præcipiunt.* Cic. ad Attic. l. 22. ep. 50.

Nauarchum Antistitem esse, cuius manu Ecclesiæ nauicula per æstuantes sæculi fluctus adducatur, quis nesciat? an non igitur imperitus ille nauticæ magister esset, qui in obluctantium ventorum robur vela explicaret, & vt celeriùs portum appellat, naufragio se inconsultus objiceret? vela potius nunc expli- B cans, nunc contrahens, nunc istuc, nunc illuc conuertens, tempori cedat, & longiori quidem viâ, sed tutiori finem suum assequatur. Pium simul & sapientem Thomam Morum de hoc audi. *Neque enim cauti & sagacis viri est cum periculo velis, remisque portum petere, quem commoda velificatione assequi potest. Nec rursum prouidi est Naucleri commoto procellis & tempestatibus mari, naufragium potius excipere & subire, quàm obliquis cursibus periculum deprecari.* Tho. Mor. in Vtopia l. 1. sub fin. 2. Cor. 1.

Præ cæteris orbis Vrbibus Corinthum diligebat Apostolus, vt ex epistolâ constat ad eius ciues scriptâ; summopere ad eos redire exoptabat, vt in diuinæ fidei legibus suarum concionum ardore validiùs ore inflammaret, & inde Macedoniam peteret; ad aliud tamen tempus hoc ipse opus distulit, & viam aliam Macedoniam versus capessens, à Corinthi Vrbe diuertit non aliâ de causa, nisi vt ipse iuratus affirmat, ne in eos suppliciorum acerbitate sæuire cogeretur, *Testem inuoco Deum, quia parcens vobis non veni Corinthum.* ex eo enim quia, vt d. c. 1 n. 23. D. Chrysol. hom. 3. in 2. Corin. C docet Chrysologus, ad emendationem difficiles & imperitos eos agnosceret, noluit eos inuisere, ne excommunicationis arma inutili conatu vibraret; *Timeo ne forte venero, non quales volo inueniam vos, & ego inueniar à vobis, qualem non vultis:* Sic de se Paulus. Ingens erat tunc temporis intemperantia, qua rixas inter & libidines Corynthij æstuabant; eos igitur ad suas monitiones, ait Diuus Thomas, *ipse sciebat eos incorreptibiles.* O sanè egregiam Nauarchi dexteritatem; vides, vt obliquâ velificatione & sapienter productâ mora expectet vt tempestas elangucat, & tranquillitati fluctu reddito, faciliùs & securius portus exquirat ingressum? 2. Cori. 12. 20. D. Tho. in 2. Cor. c. 1. lect. 5

Quàm benè hinc Præsules edocentur, vt nempè sicut eorum potestatis est vitiosas consuetudines euertere, sic etiam sapientiæ sit, adhortationibus primùm & precibus, inde minis vti, & si irrita hæc omnia fuerint, ad validiora alia adhibenda, opportunum tempus arripere.

Apostoli vestigijs adhærere quàm benè Augustinus nouit; cùm enim Monia- D les aliquas suæ Diœceseos pristinæ seueritatis disciplinæ reddere meditaretur, & è muliebris impotentiæ impetu, quo suam Abbatissam inuaserant, eiusque regimen constantissimè recusabant, inutiliter cessura omnia perpenderet, epistolam ad eas interim scribere decreuit, non illi imparem, quam Paulus ad Corinthios scripsit; quia tamen proximo capite de his instituendos sermo est, id tantum nunc indicasse sufficiat.

§. I I.

VErùm si placida leuiaque remedia inutiliora fuerint, ad validiora porrigenda accedere Antistes debet, nec ferro ignique parcere, vt vulnera obducat, æternumque excidium auertat; Diuini furoris fulmina Astræa manu torqueat, superbamque Babelicæ turris molem euertat, ad humilitatem venerationemque Deo comparandam; sed de his superiùs, ni fallor, satis. Sup. c. 28. & 33.

Ante-

Antequam tamen hæc, quæ versamus, absoluantur, diluere & explicare aliqua placet magni momenti, ne difficultatis nexibus Præsules irretiantur. A

Inter Beati Thomæ Villanouani gesta narratur, quòd cùm compertum satis ipsi esset in Valentiæ Vrbe plurimos esse, qui concubinarum obscœnitate pollucrentur, increpare acerrimè in concionibus vitium adeò fœdum cœpit; tum inutilem verborum correctionem agnoscens, minatus insuper est edictum sibi euulgandum, quo diras aliaque supplicia in eos infligeret, & reos omnes sibi perquàm notos asperrimè mulctaturum; perspectâ demùm plurium contumaciâ, imprimendum statuit edictum, excommunicationum fulminibus obarmatum; cùm verò ei significarent aliqui, quòd cùm eius vitij fœditate Dynastæ proceresq; plurimis perniciosum, quàm paucis salutare, piè simul, sapienterque respondit, quòd si emendationis indicia animaduertisset, excommunicationum illatarum asperitatem emolluisset, earumque pœnas retardasset: hinc factum, vt è sordibus illis non pauci emergentes, vitiosam consuetudinem omninò rescinderent. His ea confirmantur, quæ huc vsque nos expendimus. B

Sed animaduersione singulari libranda hæc alia sunt; cùm enim Diuo eidem Præsuli ab eius administro significaretur, perdoctum quendam Theologiæ magistrum non leuiter offensum ex edicto impresso quidem, sed non vulgato, & disertè pronunciasse, læthali peccato se Antistitem onerare, è tot obscœnitatum dissimulatâ permissione, respondisse fertur, piè quidem hæc ab eo Theologo proferri, *sed non secundum scientiam*; tùm Gratiani decretum iussit afferri, & ex eo Canonem excepit è Diui Augustini operibus haustum, vbi tam illustris Doctor alienus ab eo videtur esse, quòd in populum aliquem inueteratâ aliquâ prauâ consuetudine inquinatum, excommunicationes & interdicta euaginentur, sed potius precibus & concionibus laborandum; verba eius hic placet afferre.

D. Aug l.3 c.2. contr. ep. Parm. & c. non potest. 32. 23. q. 4.

Non potest esse salubris multis correptio; nisi cum ille corripitur, qui non habet sociam multitudinem; cum verò idem morbus plurimos occupauerit, nihil aliud bonis restat, quàm dolor & gemitus, vt per illud signum, quod Ezechieli sancto reuelatur, illæsi euadere ab illorum vastatione mereantur. Re verâ si contagio peccandi multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est: nam consilia separationis & inania sunt, & perniciosa, atque sacrilega, quia impia, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animosos malos. Turba autem iniquorum, cum facultas est in populis promendi sermonem, generali obiurgatione ferienda est; maximè si occasionem, atque opportunitatem præbuerit aliquod flagellum desuper Domini, quo eos appareat pro suis meritis vapulare. C Ex his sanctus Antistes statuit, satius fore, si Proregis etiam auxilio implorato, suauiter blandèque se gerens eos aduocasset, & priuatâ admonitione correxisset, quàm facta iacula torquere paucis vtilia & plurimis perniciosa: sanè Diuus Augustinus prudentiâ æquè ac eruditione clarissimus, ebrietatis vitium è Carthaginensium Ciuium animis euellere nunquam potuit, & ludi consuetudinem è suâ Antiochenâ Diœcesi remouere nullatenus valuit Diuus Chrysostomus; qui tamen ab interdictis & sacris diris infligendis prorsus abstinuerunt: intelligebant enim sapientissimi viri, imprudentis esse, si ad vulnus curandum vulnera acerbiora aperirent, illisque odio essent quorum saluti prospiciunt: demum subdit, fœlicissimum se fore, si tantorum virorum vestigijs adhæsisset. D

Hæc autem verba sicuti mihi suadeo eâ mente à pijssimo Antistite fuisse pronunciata, vt ad postremum omnium medicamentum excommunicationes & interdicta seruaret, vt faciendum nos suprà docuimus, sic etiam, si vt sonant, intelligantur, Ecclesiasticæ disciplinæ virtutem eneruant, eumque tum clauium, tum gladij vsum, quo Christus Dominus eam obarmauit eidem eripiens, temerariam Vicleffi insaniam fouerer, qui per summam impudentiam potestate alios coercendi sacros Præsules spoliauit, & quàm plurimos tùm supremos Pontifices, tùm minores Antistites damnaret, quorum sapientiâ non plures tantùm rei, sed frequentissimæ vrbes interdictæ & dirarum fulmine fuere perculsæ: si verò Diuus Augustinus in ebrios eas infligere recusauit, quis nescit ebrietatem à sua naturâ peccatum læthale non esse, præsertim vbi eius consuetudo inualuerit, vt nunc in

Ger-

Germania inualescit; præterquàm quòd eã hic à Beato Thoma indicari epistolam A arbitror, quam Diuus Augustinus tunc temporis non Episcopus, at Presbyter ad Carthaginensem Primatem scripsit, ebrietatis vitium damnans, quod in Carthaginensi Vrbe, non in consuetudinem tantùm, sed in naturam cesserat; ad hoc igitur eradicandum optimè ipse docebat excommunicationum vim imbecillem & inualidam fore, imo eas vt superstitiosas & quasi iniustas ab illis gentibus contemnendas. Cæterùm in aliâ epistola, quam ex eodem Augustino superiùs indicaui, satis clarè innotescit, quàm arctè ad morum corruptelas abolendas & ad perniciosa dogmata suffocanda obstringamur. sic pariter de ludo philosophari decet: hic enim ex se indifferens est; præterquam quòd Diuus Ioannes Chrysostomus nullâ excommunicationum infligendarum authoritate præstabat cum Antiochiæ non Episcopus esset, at solum Presbyter & Concionator: cum verò Constantinopolitanis Infulis exornaretur, totasque vires suas exereret ad festiuos ludos remouendos, quos ad Templi aspectum, cum ingenti sacrorum perturbatione circà Eudoxiæ Cæsarissæ statuam populus gestiens clamosissimè B celebrabat, vt vi Apostolicâ populi peruicaciam edomaret, interdicta strenuissimè euulgauit, licet eorum pondere adeò Cæsarissæ odium in se exasperari animaduerteret, vt quæ olim in exilium eum abegarat, tunc ferocior ei mortem minaretur. D. August. ep. 64.

Quicumque ne populi odium subeat, & tumultus molestiasque euitet, prauas consuetudines aggredi timet, & in eas interdicta vibrari recusat, Diuum Cælestinum Pontificem audiat, nos admonentem, ne populorum insanæ voluntati obsequamur, nam, *docendus est populus, non sequendus.* Baron. ann. 429.

Immeritò quidem de aere tellus quereretur, quòd eius inclementiâ & sæuitiâ interdum male habeatur, cùm materiem emissis vaporibus ei ipsa suppeditet, quibus eius elementi serenitatem perturbans in grandinem & fulmina immutatis immaniter posteà verberatur. Interdicta & diræ tonitrua quidem & fulmina sunt, quibus improbi feriuntur: hæc autem ijs tantùm vaporibus componuntur, C quos flagitiorum & scelerum sordes effundunt.

Quod si dixeris, ex interdictorum vulnere non salutem, at damna in populos deriuari; non Antistitis pietati, sed populi nequitiæ tribuendum hoc est, cuius improbitate fit, vt ipsamet medicina sit venenosa; cæterùm suæ dignitatis vi Antistes premitur, vt Dei honor elucescat; eoque pretio omnibus habeatur, quo maximè decet; eadem aquâ, qua defatigatus ceruus reficitur, è suâ improbitate serpens enecatur: Solis eodem calore mollescit & flectitur cera, simulque obduratur & rigescit lutum.

Cùm Theodoro Atheniensi significaretur, non paucos esse, qui eius doctrinâ deteriores euaderent, sapienter respondisse refert Plutarchus. *Id aliorum vitio accidere, qui doctrinam ipsius sinistra exciperent, cum ipse dextrâ porrigeret.* Accommodatissimum hoc nostris rebus est. Rorem non ideò cælum retinet, quia venenum ex eo componit araneus; satis ei est, vt mel ex eo apes, conchæ margaritas efficiant; non idcò mel ipsum minoris pretij est, quia ægrotantium pa- D lato desipit; non ideò inutile facis lumen effulget, quia in eo papilio obcæcatur, & licet ad ignem, quem Solari ex orbe Prometheus abstulit, barbæ decus amiserit Satyrus, quis eius pretium & decus inficietur? ad animæ salutem interdictum infligitur, non ad mortem. Cum ab ingressu Templi sacrorumque communione Theodosium Cæsarem, vnà cum Cæsareo exercitu Diuus Ambrosius prohibuisset, commendatissimus omnibus fuit, & bellicoso Cæsari totique populo fuit admodum salutaris; quoad vsque vniuersum orbem Sol illustrauerit, Sole ipso illustrius Diui Ambrosij nomen per totum orbem effulgebit. Plutar. l. de tranquil.

Tantùm hic mihi superest, vt ea, quæ è Diuo Augustino, Diuus Thomas afferebat, diluam, & explicem: Parmeniani Donatistæ nefarij proteruiam Diuus Augustinus eo loco retundit, & quendam Apostoli sermonem perperam & malignè ab eo sycophantâ explicatum solidè pièque declarans, ait inutiles & perniciosas futuras excommunicationes in eos, qui ebrietati dediti maximam Africæ partem occupabant; facillimè etenim in seditiones & tumultus improbi

illi exarsissent, & eorumdem violentia vexati non leuiter probi fuissent, quod maximè à Parmeniano exoptabatur; dilucidè ex eiusdem Augustini exemplari hoc habetur, eiusque mentem vnanimi suffragio sic Canonum & Theologiæ Magistri interpretantur. Quandocumque igitur discrimina hæc non assurgant, ex eodem Augustino admonemur, quòd *non dormiat seueritas disciplinæ*: addit insuper, quòd si Antistes tranquillitatem Ecclesiæ seruans ab interdicti virtute exerendâ se abstineat, alieno se peccato excusare non valet, sed suamet ignauiâ damnatur. *Non alieno modo peccat, sed suo: ipsa quippe in tanta re negligentia, graue malum est*: totum inde sermonem his absoluit. *Et quis adhibendus sit modus temporaque seruanda, ne pax Ecclesiæ violetur, in qua maximè tritico parcendum est; ne simul cum zizanijs eradicetur, quod in præsentia est necessarium, differimus.* A

Turrecr. in c. tolerandi 23 q.2. & in d.c. non potest alter de censur. dist. 19 l.3. c.6.

Cùm bonâ igitur Villanouani Antistitis venia ad concubinarum amatores, nullatenus ea Augustini sententia referenda videtur, & præsertim in Vrbibus Catholicæ Religionis candori studentibus, tùm quia nullum è dirarum inflictione discrimen subest, tùm quia licet in ea Vrbe vel Diœcesi plures hoc vitio laborent, nunquam in ipsum possent euolui, cùm fieri plerumque non possit, vt potior ciuitatis pars hoc scelere impuretur. hinc potius fiet, vt commendatum probis omnibus erit, si tàm deformis consuetudo ab eorum oculis euanescat. B

Quapropter, cùm Tridentina Synodus huiusmodi obscœnitatum turpitudinem luculenter explicasset, Episcopis præcipit, vt postquam ter eos admonuerint, in libidinosos huiusmodi viros interdicta vibrent, aliasque pœnas euulgent: hinc in Synodis Episcopi omnes tanto operi euigilant, & eorum plurimi edicta etiam in eos enunciant, quibus adhærere Diuus Thomas volebat, & re ipsa Diuus Carolus Borromeus adhæsit, cuius edictum aptissimè hic mihi videtur inferendum, vt omnibus tanti Præsulis virtus & pietas innotescat; tres enim dies ibi designat ad ternas admonitiones faciendas, post quas in foroicarias illas fœminas & viros Vrbis & Diœcesis Mediolanensis excommunicationis horrendum fulmen intorquet. C

Conc. Trid. sess. 24. c.8. de reform.

Act. Eccl. Mediol. p.2.

EDICTVM CONTRA CONCVBINARIOS.

Carolus Borromeus miseratione Diuina S. R. E. *Tit. S. Praxedis Presbyter Cardinalis Archiepiscopus Mediolanensis.*

Pastoralis nostri officij, ac vigilantiæ ratio postulat, vt qui nostræ curæ traditi sunt, eos, si qui sunt, qui à rectâ & Christianâ viuendi via aberrantes, in vitiorum sordibus viuunt, ab ea improbitate ad meliorem vitam, ab iniquitate ad iustitiam, à peccatorum caligine ad lucem filiorum Dei reuocemus: itaque cum ad nos delatum sit, nonnullos huius & Ciuitatis & Diœcesis homines suæ salutis oblitos, statuto ab Ecclesia tempore non confiteri, neque sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumere; alios concubinatu, aut adulterio viuere; alios etiam à connubij consuetudine recessisse, ac sæpe eos sui officij monitos, salutaribusque cohortationibus ad resipiscendum excitatos, in carnis operibus, non sine grauissimâ aliorum offensione & maximâ salutis suæ pernicie longius progredi. Hos præterea pro nostra pastoralis muneris dignitate, vt quantum in nobis, est oues aberrantes ad ouile compellamus, & in viam virtutis, vnde digressæ sunt, reuocemus, omnes Mediolanensis huius & Ciuitatis & Diœcesis, tam fœminas, quam mares, qui proximo superiori Resurrectionis Domini Pascha confessi non sunt, aut sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum non sumpserunt, quique matrimonio coniuncti Sanctissimo hoc neglecto Sacramento, connubij consuetudinem absque Sanctæ Matris Ecclesiæ iudicio atque authoritate dimiserunt, hos omnes, tum concubinarios etiam ac adulteros, siue laici, siue Clerici, cuiusuis etiam dignitatis sint, vehementer in Domino requirimus, ac semel, iterum, ac tertio, trinaque hac admonitione præmissâ monemus, dantes duos pro primo, duos pro se- D

A *secundo, duos item alios dies pro tertio, & peremptorio termino, vt ipsi ad sex continuos dies, de suis peccatis confiteantur, confessique Eucharistiam sumant, certamque huiusce rei fidem nobis faciant, ac qui matrimonio iuncti sunt, à cuius consuetudine, vt dictum est, se abduxerint, ad eam planè redeant; adulterique concubinarij, adulteræ & concubinæ, se ab ea peccati labe, mutuoque illa inter se praua consuetudine, ac domicilij etiam vsu omninò remoueant. Hæcque omnia in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ac mandamus, cum pœna etiam excommunicationis latæ sententiæ & aureorum centum, ac maioris minorisque summæ, quam arbitrio nostro pro delinquentium conditione reseruamus, eamque omnem mulctam domui Sanctæ Mariæ, quæ dicitur del Soccorso adiudicamus, publicà item pœnitentià, quam vt nobis expedire videbitur, iniungemus; alijs præterea pœnis sacro Concilio Tridentino & Canonum iure constitutis: Quas nulla citatione, nullaque declaratione facta eos omnes & singulos quos diximus, statim subijsse declaramus, cuiusuis generis ordinis, gradus, & dignitatis illi sint, qui huic salutari nostro edicto non paruerint.*

B *Idemque tibi N. proponimus, & dicimus. Confecto autem illo sex dierum spatio contumaces omnes, ac singulos monemus, & citamus, vt primo iuridico die statim sequenti afferant causam, eamque interim probent, si quam probabilem habent, vel se habere persuadent, quamobrem eos vel ipsorum aliquem condemnare, publicare, declarare, publicaque pœnitentia afficere, executionisque denique mandatum nos relaxare non debeamus, vel Vicarius noster Criminalis id efficere non debeat, & alij quibus nos hoc munus delegabimus.*

Volumus præterea his nostris litteris eorum vnumquemque ita teneri, ac si illi personaliter moniti, & citati essent, etiamsi hæ litteræ in cuiuslibet ipsorum domicilio lectæ, & relaxatæ sint ab aliquo præsertim curiæ nostræ Archiepiscopa[illegible]cio, cui iurato eà de re fidem omninò habebimus: Datum ex nostris Archiepiscopalibus ædibus, die 21. Augusti 1566.

C De Seminariis, & Collegiis, deque Clero litteris imbuendo. Cap. LIV.

E Fundationum magnitudine molis erigendæ immanitas comprehenditur; è basis proceritate, imponendi Colossi amplitudo colligitur, ex effuso semine futuræ messis probitas, vel prauitas agnoscitur: sic propemodum, quæ futura sit adolescentia, indicat pueritia: egregiè enim Aristoteles ait, è rectâ & bonâ pueritiæ institutione, totam hominis vitam, totiusque domus fœlicitatem ipsamque beatitatis æternitatem pendere. Mollis adeò ætas illa est, vt vel Angeli, vel Dæmonis effigiem facilè recipiat, receptamque semel diutius seruet; D suffragante igitur Senecâ, *Educatio maximam diligentiam, plurimumque profuturam desiderat: facile est enim, teneros adhuc animos componere; difficulter reciduntur vitia, quæ nobiscum creuerunt.* Coccineo rubore perfusas lanas, quis primæuo candori vnquam restituat? Dei certè docemur oraculo, quòd adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit non recedit ab ea, à quo suam fortè sententiam Plato collegit. Educationis vim clarissimè comprehenderis, cum è Diuus Ambrosio, & e Diuo Alexandrino Clemente, duo satis consideranda perpenderis. Prauo aliquo horoscopante sydere nascatur, proteruiam, & contumaciam sanguine ipso perfusam gerat, si probe educetur, affectiones suas exuet, ferociam indolis, & proteruiam voluntatis amittet. *Tantùm valet institutio, vt vincat naturam*, sic Diuus Ambrosius; ad maiora etiam Diuus Clemens Alexandrinus procedit; nec enim tantùm prauitatem exuet, sed ipsammet prauitatem in probitatem immutabit, & syluestris arboris instar ex amaro acerboque germine perdulces suauesque fructus educet. *Educatio, & bona eruditio bonas efficit naturas:* E Platone aliud audiamus: Benignissimo Syderis aspectu fruatur exoriens

Aristot. 2. Ethic c. 1.

Senec. l. 2. de ira c. 28.

D. Hier. ep. 7. ad Letan. Prou. 22. 6. Plat. l. 4. de Repub.

D. Amb. l. 2. de Abel c. 1.

riens puer, illustri sanguine, longoque auorum stemmate effulgeat, plenum Amalthea cornu in eius sinum effundat, præstantissimo illustretur ingenio: quid A
tum? si à suæ vitæ crepundijs venenum lacti immiscuerit vitium, eadem ipsa ingenij, nobilitatis, opulentiæ ornamenta in sui nominis deturpamenta conuertentur, & nefandâ scelerum colluuione sordescet. Do verba ipsa Platonis.
Plato in Eutyph. *Animas benè natas, & bono dotatas ingenio, malam vero nactas institutionem, extremè improbas fieri censeo, magnaque flagitia & insignem improbitatem è mala, non vero è iuuenili natura, quam educatio deprauauerit oriri.*

Cle. Alex. l. 1. Pedag. cap. 5. Prouer. 22. D. Thom. Quæ de adolescentia Clemens Alexandrinus asseruit, de pueritia ipsa accomodatius fortè vsurpanda mihi videntur, quòd scilicet nutrix ea fit, è cuius vberibus nutrimentum posterior ætas ebibat atque grandescat. *Est nobis vber ætatis ipsa iuuentus*: quamobrem in eâ Magister Aquinas fuit sententia, vt virtutis studio tàm celeri gressu studere puer debeat, vt eodem ipso temporis momento, quo primùm rationis ei lumen innotescit, suum vltimum finem Deum complecti voluntate teneatur. B

Plato in Eutyph. E Platone illud etiam habemus, quòd sicuti in plantarum custodia perspicaciam totam colonus impendit, sic in pueris, tum pietate, tum litteris imbuendis potissima nostra diligentia est adhibenda, iuxtà legem genitoribus ab Apostolo imperitam. Ephes. 5. 4. *Educate illos in disciplina & correctione Domini*: eadem igitur mensura, qua eorum necessitatibus euigilare pro cuiusque facultate tenentur, ad ipsos etam probè educandos instruendosque obstringuntur.

Quàm excellenter suas hac in re partes expleuit Rex Ezechiel, qui adhuc morti proximus, Manassem filium Regnique hæredem ad pietatem excitare non destitit: cùm verò ei significasset Isaias, irrita fore omnia sua documenta, & à suo interitu in quæcumque scelera filium temerè irrupturum, adeò vt effractis honestatis repagulis, in ipsum Deum flagitiosus irrueret, eius Prophetas cruentâ morte peteret, elatâ voce præcepit moriturus Rex, vt Manasses tolleretur è medio, potius eligens Regni successore destitui, quàm regnantem in filio improbitatem aspicere, cælesti eâ sententia fortè edoctus. Eccl. 16. *Vtile est mori sine filijs, quàm relinquere filios improbos.* C

D. Chrysof. hom. 9. in ad Tim. c. 2 Verùm proh miseranda ætas? adeò enim nunc temporis in filiorum educatione caligant, & dormitant parentes, vt licet toti sint in optimo prædictorum camporumque cultu, filiorum cultum nihili faciant, nulloque semine vel pietatis vel eruditionis eorum mentes imbuant, adulteram posteà messem colligendam; pauperiem quidem ab eis excutere volunt, non scelera, vt ostendant iuxtà Nazianzeni mentem, D. Gregor. Naz. *quia corporum sunt parentes non animarum*: ad facultates aliaque bona fortunæ amplificanda ingeniosissimi euigilant, vt opulentos filios moriituri relinquant, cum tamen ad veras virtutum diuitias in eis congerendas nequidem cogitationem intendant; ingens adeo, nec toletandum hoc Crati Philosopho visum fuit, Crates. vt continere se non potuerit, quin pronunciaret, *Si licuisset, in summam Vrbis partem ascenderem & vociferarem, quorsum ruitis homines, pro comparandâ pecunia vestrum studium facitis, & filiorum, quibus relinquenda est nullam suscipitis curam.* Plutarc. de Educ. libe ris. Plutarchus verò qui hæc refert, addit, genitores huiusmodi pares ijs esse, quibus maiori pretio sunt calcei, quàm pedes; illis etiam eos Diuus Hieronymus confert, Hier. ep. 7. ad Letam. qui pretiosissimis ex oriente margaritis vitra præponunt. O si cuique parentum eâ seueritate filiorum deliramenta exoluenda essent, quâ Seleucus olim exoluit, Theat vit. hum. 3916. studiosiores vtique in eorum educatione elaborarent. D

D. Chrysof. vitup. vit. monast. Huiusmodi parentes scelestiores ijs esse Diuus Chrysostomus arbitratus est, qui filiorum sanguine paternas manus inficiunt; si namque horum sæuitie anima è corpore seiungitur, corpus illi simul cum animâ ad infernas pœnas enutriunt; sanè Ethnicis ipsis hos esse deteriores Diuinus idem Spiritus docet. 1. Tim. 5. 8. *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.*

Quin ex humanâ in ferinam naturam desciscentes, ipsismet sæuissimis vrsis deteriores se ostendunt; hi enim, cum rudes & impolitos embriones suo fœtu enitan-

enitantur, linguâ suâ veluti scalpro adeo in ipsis expoliendis, lambendisque
A desudant, vt singulari eos tandem membrorum concinnatione & distinctione
perficiant: cùm ex aduerso in filiorum deformitate abolenda nullam patres cu-
ram impendant, nec ad eorum mores instituendos salutaribus monitis linguæ
munus exerceant; in hos igitur Diuus Ambrosius assurgens ait, *Vrsa igitur par-*
tus suos ad sui effingit similitudinem, tu filios tuos instituere similes tui non potes? hine D. Ambr. l. 6. excom.
ratio mihi innotescit, cur duo illi filij qui Elyseum deridebant, vrsorum potius, c. 4.
quàm aliorum animantium ferociâ lacerarentur, vt nempè in eorum supplicio
parentum desidia damnaretur, qui Vrsis ipsis negligentiores probis eos infor-
mare moribus recusarent. 2. Reg. 2.

Addo è Sanctorum Hieronymi Gregorijque sententiâ, lamijs ipsis, quæ om- D. Hieron.
nium ferarum, quas Lybica Spelæa nutriant, ferocissimæ sunt, ferociores hu- in cap. 4. 7. Iren.
iusmodi genitores esse: si namque ad hominum deuoranda corda innatâ illæ D. Gregor.
credulitate feruntur, pijssimæ tamen erga filios sunt, vberibusque porrectis lac l. 19. moral. c. 15. & l. 33. c. 38.
B illis fœminarum more subministrant; quid de istis dicendum, qui in educandis
filijs, eisque lac pietatis instillandum ignauissimi sunt, & paternum nomen &
& munus obliti struthionibus se conferunt qui Lamijs ipsis crudelitate præcel-
lunt? eum enim ad viarum limites oua sua effundant, ea non fouentes, soli ob-
ijciunt, vt emisso calore illis obseruiens, pullos tandem educat ad vitam. Quàm
benè Hieremyæ ore hos Deus obiurgat. *Sed & lamiæ nudauerunt mammam, la-* Iob. 39. 13.
ctauerunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. Thren. 4. 3.

§. I.

DEstitutos igitur pueros fouere, suæque charitatis ardore eos calefacere,
Episcopi est, vt pietate & eruditione conspicui ad populorum lucem enas-
cantur: nec acquiescant, in primis tantùm Christianæ fidei rudimentis eis im-
C pertiendis, vt superiùs, docuimus, sed etiam ad pleniorem eorum institutionem
in Seminariis & Collegijs vel erigendis, vel excolendis industrij sint & studiosi:
lex illa, quam in eorum cultu Patres ipsi corporei contemnunt, in Episcopis,
qui Patres spirituales sunt vim suam habeat adeò vt de ipsis etiam Clemens Ale-
xandrinus illud pronunciet, *Verbum est omnia infanti, & pater & mater & peda-* Clem. Ale. l. 1. Pedag. c. 6.
gogus & alter.

Maximi enimuerò momenti hoc est, vt constanti nationes omnes populique
suffragio asserant, Vrbium Prouinciarumque fœlicitatem in probatâ filiorum in-
stitutione versari. totius Reipublicæ basim hanc Pithagoras appellauit. *Totius* Plato l. 4. Reip.
Reipublicæ fundamentum. Ciues suos à plurimis statuendis legibus auertebat Pla-
to, cùm earum numero non indigerent, probi improbique abuterentur; eos
potius adhortabatur ad pueros probatis moribus imbuendos; quam Platonis
sententiam Aristoteles discipulus approbauit. Spectatissimos decem è primatijs Aristot l. 8. Ethic. c. 3.
senibus eligebant Græci quos, *Sophronistas* Iamblicus vocat, quorum esset cen- Iamblic.
sorià virgulâ adolescentum & puerorum mores arguere. E Senatorio ordine
D virum clarissimum Lacædemones statuebant, ad quem puerorum mores infor-
mare, & cum adhuc tractabiles sunt, eorum propensionem ad studium virtutis
accendere spectaret, quem ideo *Pradonomum* appellabant: sed omium oculatis- Xenoph. de Repub. ced.
simi Persæ, Xenophonte teste, duodecim è nobilitatis flore prudentia ætateque Idem Xe-
venerandos designabant, quorum monitis & quotidiano labore in morum in- noph. in
tegritate rectâque politia seruanda instituerentur adolescentes. Cyropedia.

Quid hic de Traiano Cæsare? vt à quacumque sui Imperij prouincia quinque
millia adolescentum eligerentur mandauit, qui Romam missi publicis impensis
alerentur, vt tùm sapientiâ tùm probitate inbuerentur. Verùm in Christianâ
Religione non è Delphica tripode, non in Sybillæ cortinâ, non ex Ethnicorum Vopisc. in
disciplina, sed è Diuini Spiritus magisterio Seminaria reperta fuere, vt ad eam Prodr.
ætatem Herculis biuio claram puer accedens, & ab eâ via deflectens, quæ
specie tenus eflorescens ad interitum ducit, eam potius amplexetur, quæ an-
gusto

gusto quidem præruptoque calle asperâ, ad gloriæ tamen fastigium, ad culmen beatitatis adducit, & vt adolescentes illi, qui sacris parentum electione A deuouentur, optimâ magistrorum disciplinâ educati pietate simul cum sapientiâ ornentur, diuinis rebus studeant, sæculique illecebras aspernari assuescant: ad nostram sanè mentem retrò elapsis temporibus loquutus fuisse Vopiscus videtur, *Nemo vnquam peruenit ad virtutum summum iam maturus, nisi qui puer seminario virtutum generosiore concretus inclytum designauit*. Quot nam ex ijs sunt qui paupertatis angustijs coarctati, humi reperent, & ignoti iacerent, qui Seminarij cultu suo nomine orbem illustrant, Cælum attingunt; quia igitur cùm

Cleantes. Cleante ad sibi victum comparandum in haurienda aquâ totam noctem non liceet absumere, vt posteà in Chrysippi Academiâ diem totam impendant, Episcoporum liberalitate eorum necessitati prospicitur. Inter obscuri sanguinis sordes quot adamantes obuoluerentur, nisi Pastorum benignitate è cæno illo detracti ad ornandum Christianæ sponsæ caput liberaliter attollerentur.

Quot nam in patriâ domuncula, plebeis abiectisque moribus se inquinarent, B qui in pia Seminarij aula ad vrbanitatem omnem, & probitatem expoliti aptissimi sunt, ad ipsam nobilitatem nobilitandam? quot viuida elataque ingenia cultu destituta vepribus & sentibus obsessa penè deficerent, quæ seminarij sinu recepta ad magna quæque adolescunt, & leui labore adiuta in venustissimos flores in vberrimos fructus erumpunt, sacris rebus, & populorum necessitatibus salutares: de his Dauidicum illud enunciari potest. *Plantati in domo Domini in atrys Domini Dei nostri florebunt*: vt enim Theodoretus explicat. *Agricolam habent Deum, viridarium autem Diuinum Templum*.

Sarsinensem Præsulem Diuus Damianus commendat, eò quòd sibi gratificatus inopem adolescentem excepetit ad eum tùm litteris, tùm sacris instruendum.

D.Pet.Da. 4.ep.13. dum. *Planta in horto Ecclesiæ tuæ surculum, quem ab omnis humani adiutorij radice præcisum sub vmbra misericordiæ tuæ absconditum mori vtique modo non permisisti, ne quem tuæ pietatis humor ad tempus seruat, æstus postmodum veniens nimiæ paupertatis vrat*. sic ille. C

Si Ciuicæ Coronæ munere ille donabatur, qui ciuem ab interitu seruasset, quantò nam æquiùs Christianæ Reipublicæ coronâ illustrandus ille est, qui Seminarij operâ vrbes integras ab ignorantiæ fato, & nequitiæ sepulchro educit,

Elian. l.7. var.c.5. & vindicat? vt enim, teste Aeliano, nullam aliam subactis populis Mytilenæ Respublica pœnam irrogabat, quàm ne pueri litterarum studio vacarent: his namque artibus, vt in spelça, & solitudines Oppida, & Vrbes frequentiores migrarent; sic facti vel prophani Principes, Oratore Romano suffragante, vtiliores, & amantiores populis exibere se non possunt, quàm si ad populorum ingenia acuenda & expolienda, Gymnasia aperiant, & Academias tanquam littera-

l.2. de Diuinat. rum Asyla omnibus patefaciant. *Nullum munus Reipublicæ afferre maius, meliusue possunt, quàm si docere, ac erudire iuuentutem curent; his præsertim moribus, atque temporibus, quibus ita prolapsa est, vt omnium opibus refrenanda, atque coercenda sit*. Socrates verò ijs, qui eum de Reipublicæ regimine reiecto increpabant, vt D poiè qui ad eam moderandam esset aptissimus, respondit, accomodatius & vtilius fore, si plures præceptis suis instituerer, quos sibi præficere Respublica posset.

Querelas vtique suas coerceat Isaias, quòd puerorum institutores, & litte-

Isa. 33.18. rarum magstri in vrbibus desiderentur. *Vbi est literatus? vbi legis verba ponderans? vbi doctor paruulorum*; vel vt ex Hebræa origine habetur, *vbi est munerator Turrium*; iam enim vndique seminaria patent, quibus tanquam turribus, & propugnaculis inscitia nequitiaque ab vrbium ingressu repellitur. Præsules suos iam designauit Deus, vt ad has Turres implendas, & muniendas pueros aduo-

Prou.9.3. earent, alumnos adducant: *sapientia misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & mænia ciuitatis, si quis est paruulus veniat ad me*.

Conc.Tri. sess.23.c.18. Quid igitur mirum, si Seminariorum erectione statutâ, & multiplici prærogatiua ijs insignitis, Tridentinæ Synodi Patres è Conuentus loco dulci quadam voluptate delibuti exierint, & præ lætitia suaui quodam lacrymarum imbre perfu-

perfusi? inter eas lachrymas Christianæ Religionis risus erumpebat, eò quod
A vrbes suas validissimo quodam præsidio obarmasset,& plus ornamenti ex eâ lege sibi comparasset, quàm vel è Babilonijs paludamentis vel è purpuratis Romanorum prætextis.

Episcopi igitur est, Seminarium sibi vel erigere, vel seruare, & paternâ illud custodiâ, beneuolentiaque fouere; Præfectos idoneos, optimosque magistros illi præficiat,accommodatis legibus illud tueatur, quater, vel quinquies in singulos annos illud inuisat, vt de regiminis formâ, de legum obseruatione, de disciplinæ rigore certiorem se faciat; Præceptorum, & discipulorum ardorem submoueat, & administrorum authoritatem simul compescat: frequentes conuentus instituat, quibus de alumnorum operibus, moribus, virtutibus, progessu admoneri studeat,inhonestos libros,& prophanas exercitationes ab eis amoueat, & præ cæteris contendat, vt Carhechismi, Synodi Tridentinæ, sacræ Scripturæ Sanctorumque Patrum lectioni assuescant, illud sibi animo suadentes,
B quòd Tutelares eorum Angeli in suâ custodiâ conquiescât,eo prorsus modo, quo Diuus Gregorius Thaumarurgus de se ipso suisque condiscipulis pronunciabat, suos scilicet Tutelares Angelos satis in eo requiescere, quòd Origenis institutioni, & magisterio eos tradidissent, *Curam huic tradens Diuinus Angelus, hic fortasse conquiescit; quia tradidit nos homini, qui omnem, qua adhiberi poterat, prouidentiam curamque esset expleturus.* D Gregor. Taumat. orat. de lau dibus. Orig.

Hæc nos si præstiterimus, præterquàm quód nostri Sacerdotij explebimus vices, & ingentem nobis comparabimus mercedem diuinâ nobis munificentiâ impertiendam, ea etiam insignis vtilitas emanabit, quòd plures nostro vbere pueros lactauerimus, qui grandiori ætate successores Episcopos adiuuare possunt, & tùm scientiâ tùm pietate ornati sacram disciplinam strenuè seruabunt, & laboriosè porrigent, qui demùm vel Canonicis supplendis, vel populis moderandis,vel Monialibus instruendis sufficienter & vtiliter inseruient, ad sacri nominis decus, ad Lythurgici ordinis maiestatem, ad salutem denique populorum.
C

§. II.

De Litteris Clero instruendo.

IN Seminarijs tantùm & Collegijs sistere Præsulis vigilantia non debet: alia etiam eorum alumnis comparanda sunt litterarum exercitamenta, quibus ex illis egressi sua ingenia exacuant, & aptiores ad alia maiora ministeria gerenda se reddant; non vtique satis est,si Lithurgorum voluntatem ad virtutum amorem excitemus, vt superiùs diximus, nisi etiam eorumdem intellectus scientiarum lumine illustretur, vt ad Domini vineam excolendam idonei possint esse administri; ad hoc enim maximè inferiora Sacerdotia referuntur, scilicet, vt supremo Antistiti suam operam in Ecclesiæ regimine præstent, eo prorsus modo, In Pontific.
D quo septuaginta senes à Moyse descripti, & septuaginta duo discipuli Apostolorum coadiutores præstiterunt.

Scientiarum amorem in sacris viris fouere nihil aliud est, quàm otium vitiorum omnium antesignanum eliminare, Vrbem amplissimè exornare, sacra omnia fulgore admirando illustrare,& nouam Deo sobolem educare,cuiùs ministerio templa, ara,sacra,& diuina officia perfruantur.

Quàpropter præter ea quæ, tùm è sacrâ Scripturâ, tùm è morali Theologiâ Primarij Templi Theologus solet è sui muneris lege edocere,collationes aliquas earum litterarum instituere identidem domi debet Antistes ijsque personaliter adesse, vt earum exercitamenta maiori ardore submoueat; has itidem à Vicarijs foraneis habendas,& eorum sententias ad se mittendas curet, vt libratis à se vtrimque rationibus suum de eis arbitrium illis aperiat: maximæ hinc duæ vtilitates effluunt; tùm enim ipsimet Parochi & Curiones necessitate quàdam coguntur

guntur ad librorum lectionem habendam, eisque scientias hauriendas, tùm quià ad populi conscientias certiùs & melius instruendas & dirigendas eorum doctrinâ prospicitur. Hæc sanè, si necessaria semper fuere, maximè necessaria nunc temporis sunt, cùm licet tot editis voluminibus lucidissimè materies hæc illustretur, & admirandâ voluptate illi perfruantur, qui ei addiscendæ dant operam; perpauci tamen sunt, qui seriò maturèque illi vacant, & è contra innumeri, qui nullo doctrinæ auxilio suffulti illam temerè inuadunt, & per summam audaciam periculosa & grauissima pertractanda sibi confidunt. hoc vtique quis non videat absque ingenti populorum discrimine & pernicie exerceri non posse, cum ad animæ morbos curandos imperiti indoctiq; medici statuantur, qui nec febrium vim, nec medicaminum robur agnoscentes ineptissimi sunt ad salutem vel seruandam, vel afferendam? sanè iuxtà Doctoris Angelici mentem, qui ea, quæ ad suæ vitæ rationem spectant, ignorat, læthali culpa se commaculat; quod multò validiùs hac in re locum habet, quæ in animarum salute versatur. A

D. Tho. 1. 2 q. 76. ar. 70.

Quod si Caroli Magni lege, vt in Cabillonensi Conuentu habetur, decretum fuit, vt scientiarum omnium, & præsertim Theologicæ facultatis gymnasia vbique sui regni Episcopi aperirent, omnibusque alijs tuo ipse exemplo præiuit, Parisiensem, & Ticinensem Academiam erigens, virisque clarissimis eas exornans; quanam erubescentiâ nos obruemur, si nostra ignauia sæcularis Principis diligentiâ damnaretur? B

Baron. ann. 813.

Quià tamen de scientiâ in sacerdotibus, & Confessarijs requisitâ abundè superiùs egimus, agglomerare hic alia non placet. Vnum omittere nefas sit, quòd scilicet ad litterarum amorem fouendum & excitandum perutile erit, si scientijs viri præstantes amentur, & peculiari remuneratione pro cuiusque dignitate habeantur: egregiè namque Symmachus ait. *Scimus bonas artes honore nutriri; atque hoc specimen esse florentis Reipublicæ, vt disciplinarum professoribus præmia opulenta pendantur*. Admiratione illud excipiendum videtur, quòd ex annuis Indiarum litteris excepi, Sinensium scilicet Regem pro cuiusque scientia, & eruditione, præfecturas magistratus, & munera sapientibus viris impertiri; hinc autem fiebat, nullibi magis bonarum artium cultum efflorescere, & scientiarum famam altiùs adhærere; adeò vt in tot Athænas, vrbes Regi illi subiectæ fęlici conuersione immigrarent. C

Simmac. l. 1 ep. 73.

Ann. 1599.

De Monialium Custodia. Cap. LV.

NIL habet Christiana Religio, quo magis ad pompam venustatemque debellato è Styge superbiat, quodque gloriosius in Caluarij montis Capitolio tanquam suæ sanctitatis tropheum explicet, & admirandum spectaculum Deo repræsentet, quàm sacratum Virginum institutio; incorporeas etenim hæ mentes æmulatæ Angelicos mores induunt, & sexus imbecillitate membrorumq; illecebris superatis, in infernas acies acerrimum bellum animo strenuissimo indicunt, victricique manu certamine assurgentes, sæculi lenocinia voluptatesque laureato pede conculcant, rationi corpus, carnem menti subigentes; de his Diuus Damianus sermonem habens ait. *Istæ sexum, & sæculum ausu validiore vincentes, spectabilem victoriam ab hostis antiqui feritate reportant. Gloriosa res, vbi tenera membra longiori martyrio confringuntur, & illius eneruant fortitudinem, qui similitudinem Altissimi concupiuit: Ad huius spectaculum pugnæ citò conuertitur ille misericors intuitus, & tali potissimum victoriâ delectatur*. Eo illustrior, & speciosior hæc victoria est, quò Cælo gloriosior, & Erebo ignominiosior, eo quòd (vt ea omittam, quæ Massiliensi in vrbe ad virginitatis laudem, & exemplum Diua Martha peregit) Corinthi suas primùm cunas habuerit. Eò in vrbe fœdissimis obscœnitatibus infami, Apostoli ore excitæ virgines, suam corporis integritatem deuouerunt, & vbi turpissimæ Veneris nomini libido seruiebat, D

D. Pet. Da. serm 70. de dedic. Eccl.

sub

sub Augustæ virginis patrocinio ad Cæli gloriam Pudicitia militauit.

A Pretiosissimus omnium fidei Christianæ thesaurus in sacris hisce virginibus Episcoporum amori, & solertiæ commendatur. Cæli eas dixerim gemmas, & candidissimas margaritas, quibus torquis in morem Cælestis Principis pectus redimitur: Quamobrem Diuus Ignatius Apostolorum discipulus, & Anthiochenus Antistes, dum decem militium, quos Leopardos ipse vocat, custodiâ detentus, Romam Martirij ad lauream consequendam adduceretur, tantâ dilectione sacrarum Virginum nomen suo corde seruabat, vt ad Hieronem Diaconum, quem Vicarij loco Antiochiæ reliquerat, scriberet. *Virgines serua, vt pretiosa Christi monilia.* D. Ignat. ep. 13.

Ad tàm speciosi thesauri custodiam fideliter habendam leuissima sunt vel murorum repagula, vel ferrei cancelli, nisi Draconis Hesperidum instar totus oculeus ad eas Antistes euigilet, & Scythicum Griphem imitatus tam pretiosas gemmas custodiat. Cherubim eum dixeris, qui flammeum gladium vibrans ab

B hoc terrestri Paradiso exteros arcet, & repellit.

Episcopalia cætera munera ad gregis plerumque fœlicitatem referuntur; ad Dei gloriam, cui sacræ Virgines desponsantur, vigilantia ista collimat: cætera si neglexeris, cadis, si hoc, ruis. Quapropter Diuus Ioannes aureus, cùm prolixè difficultates omnes centuriaret, quibus Episcopalis cura obsidetur, dilucidè asserit, maximam, & acutissimam omnium in eâ vigilantiâ versari, quod Deo sunt Virgines sacræ seruandæ: *sed quod ad virginum curam spectat, tantò certè maior inibi timor inest, quantò virginitatis donum pretiosius, quantò virginalis grex cæteris regalior:* ad eas enim superandas mirum dictu est, quot artibus Satanæ nequitia, & exterorum audacia obarmetur. Quod si vna tantùm filia innupta tantum sollicitudinis suo genitori ingerit, quàm molestus Episcopi animo fuerit tantus virginum numerus, quem longè à suis oculis habet, & de quo tam arctam rationem reddere Deo tenetur. *At si Episcopi partes spectes multa* D. Chryso. l. 3. de sacer.

C *certè sunt, quæ illi virginis custodiam difficilem, seu potius omni arte superiorem efficiunt*, sic idem aureus Magister..

Profectò ità se res habet; ipsa enim Episcoporum diligentia frequenter sæculi artibus perturbatur, eorum zelus imprudentiæ notâ signatur, & vigilantia pertinaciæ loco habetur; quidquid instauratur, vitij pugnâ destruitur, in religionem prophanitas assurgit, in cæli leges terræ audacia rapitur, eaque faciendi potestas nobis sæcularium conatu coarctatur, quæ salutaria, & vtilia arbitramur, adeo vt ad rixas, & pugnas euitandas interdum pacisci ignominiosè cogamur. Quatuor præcipuè contentionum harum capita sunt, quæ hic breuiter expendemus. Sanè tot nominibus illustris, & venerandus Diuus Carolus ad Tridentinæ Synodi leges Apostolica diplomata, & prouinciales suas leges in Monialium disciplina coërcenda seruandas, tot tantasque omnibus contradicentibus in se procellas irritauit, vt non ipsæ tantùm Moniales, earumque consanguinei, sed ipsemet vrbis Senatus à Decurionibus legatos Romam miserit, ad eas prohibendas, quas ipsi nouitates vocabant, sed re verâ salutaria erant earum morbis medicamenta. Hinc factum, vt ad indignationem euitandam, sedandosque vrbis æstus se tantus Antistes temperaret, & tempori inseruiret, Giussan. in vita S. Caroli l. 2. c. 7.

D ipsamque Pontificiam potestatem ad suam, quæ infirma videbatur, confirmandam aduocaret.

§. I.

A Primo iam ordiamur, è quo velut è fonte cætera alia emanant; quis ignoret, quod voluntario se carceri comittere, sui vel ductum vel arbitriū alienę voluntati subijcere, illecebras & ornamenta, quæ tam ardenter fœminæ depereunt, aspernari, commoda quibus adeò student, vt paupertatis asperitate crucientur, omittere, nuptijs & thalami voluptatibus, ad quas potissimum fœmina educatur nuncium remittere, vt earum loco suppliciorum aculeis corporis

mollitiem feriant, ab omnium commercio sæculique solatijs abscessione volunta-
riâ remoueri, ardua omnium maximè sunt, maximè aspera, quibus humanus A
animus exercere suam fortitudinem possit; non humanum at diuinum opus hoc
Ioan. 6. 44. est, non naturæ, sed gratiæ. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me,*
traxerit eum; Præuenientis gratiæ est, puellam dulci quadam suauique virtute
ad Religiosum cœtum attrahere. Nec tamen dicendum est, à Deo aliquem vo-
D. Aug. ser. 2. de Verb. Domini. cari, nisi etiam eiusdem Dei arbitrio finis verus designetur, & vtilia media con-
festantur. Non cuicumque vento danda fides est, & vt portum appellant,
non cuiuslibet auræ virtuti se cautus proreta cõmittit; sic propè non semper Deo
nostri animi motus tribuendi, non semper è Cælo ros fluit; lucem ipsam, te-
nebrarum Princeps interdum induit, vt humanos oculos rapiat; pietas videtur,
quæ molestia potius est, & quæ atræ bili viriatæque capitis habitudini tribuenda
essent, Dei voluntatem ostentant, & Diuino spiritu ad pompam exornantur:
Ioannis igitur sententiæ hæreamus oportet, *Nolite omni spiritui credere: sed pro-*
bate spiritus, si ex Deo sint. Ad hoc autem peragendum inutilis prorsus est huma-
na prudentia, prophanis tantùm rebus adhærescens; cęlesti potius sapientiâ B
vtamur, ad cuius lucem veluti ad lydij lapidis tactum certiores reddamur, an
solidum & aureum, an inane & plumbeum Virginis cogitatum sit, quo Di-
uino se mancipare obsequio, & sæculi pompam aspernari decreuit. Sicut igitur
è Deo est, vt ad religionis claustra voceris, sic etiam ex ipso est, vt cogitatio-
num vim roburque discernas. Diuinæ igitur sapientiæ auxilium imploret An-
tistes oportet, vt ab inani solidum, commentitium à vero distinguat, & longa
temporis morâ mentem, & constantiam exactè perpendat eius virginis, quæ
Deo deuouere se postulat; aliorum quoque operam adhibeat, qui hac in re ex-
perti, eius finem, rationes, expendant; accommodatè in hanc rem cadunt duo
Aristot. 2. Ethic. 4. ea, quæ ad moralis virtutis acquisitionem necessaria Aristoteles censuit, hoc est
vt primò quænam sit ea virtus cognoscatur, tùm iuxtà finem ad quem ipsa re-
fertur, operemur.

D. Ambr. de virg. l. 3. Illis Diuus Ambrosius respondens, qui conquerebantur, quod tenera nimis C
ætate & immatura sacræ virgines se Deo deuouerent, egregiè ait. *Non ego abnuo*
sacerdotalis esse cautionis debere, vt non temere, puella veletur: ne autem decipiatur
quid ipsi faciendum? *spectet plane, spectet ætatem sacerdos, sed fidei, vel pudoris:*
spectet, & maturitatem verecundiæ; examinet grauitatis canitiem, morum senectam
pudicitiæ annos animos castitatis: tamen deinde si matris tuta custodia, comitum se-
dula sedulitas; si hac præstò sunt, non deest virgini longæua canities; si hæ de-
sunt, differatur puella moribus quam annis: non ergo ætas reycitur florentior, sed
animus examinatur.

Diuus verò Carolus, vt non tantùm earum mores, & propositi firmitatem pe-
Act. Eccl. Mediol. p. 1 tit. instr. monial. nitùs intelligeret, sed vt certior fieret, à Deo earum vocationem effluere, in
Prouinciali Synodo statuit, ne vlla vel ab Episcopo examinaretur, vel recipe-
retur à Monialibus, nisi per anni spatium tùm illi, tùm istis mentem suam
aperuisset, Deo se in eo Cænobio, quod elegisset, deuouendi: eo autem anno
statuit, vt in singulos menses eiusdem Cęnobij Confessario suas noxas aperiret;
postquàm verò plurium Monialium suffragio recepta fuisset, ornamentis om-
nibus reiectis vulgari veste veteretur nec aliorum sex mensium interuallo sa- D
cras posset vestes induere, nisi Episcopi arbitrio vel citiùs, vel seriùs appro-
baretur.

Catech. Exemp. c. 7 it. 61. Sed ingeniosior ea fuit diligentia, qua Edburgam Regiam puellam Angliæ
Rex Odoardus eius genitor examinauit; cum enim adhuc illa infans esset, ad
eius aspectum proferri ex vnâ parte voluit Euangelij codicem, & non sacratum
calicem aliaque altarium ornamenta, ex aliâ torques, gemmas, annulos, to-
tumque mundum ad muliebrem cultum accomodatum, tùm Pater Rex elige,
inquit, ô filia quæ ex illis tuum fortius animum alliciunt; ad hæc puella mu-
liebris mundi pompam oculo magnanimo, sordium instar, despicata, altarium
ornamenta peramanter excepta amplexa fuit. Plausere his, qui aderant, &
auspicium futuri connubij, quòd cum Christo sponso inituta postmodum erat ex

A ijs desumpserunt, factis auspicia responderunt; pietatis enim exercitationibus sacrisque operibus constantissimâ semper mente adhærens, Patris animum suæ pietatis virtute coëgit, vt eius voluntati indulgens facultatem ei præstaret, quòd sacrum claustrum ingressa se virginitati dicaret, vbi posteà vitam cum morte sanctissimè commutauit.

Quia tamen sacra Synodus tantum præcepit, vt Virginis voluntatem diligenter Antistes exploret. *An coacta, an seducta sit, an sciat quid agat, & si voluntas eius pia ac libera cognita fuerit, &c. liberè ei profiteri liceat.* Iam vsus increbuit, quòd leuis quæcumque diligentia, qua puellæ optimè ad responsionem instructæ voluntas requiratur; præterquàm quòd vel erubescentiæ vi, vel genitorum indignatione, vel ne leues & instabiles habeantur, plerumque à veritate animi discordes mentiuntur; mihi certè contigit, vt quandam examinarem egregij animi fœminam, vt è responsionibus traditis elucebat; non multo ab inde tempore significatum mihi fuit, suæ matris hortatu, vnici filij amplitudinem, quam B deperibat anhelantis, coactam fuisse, adeò vt eius vota solemni professione suscipere diù recusauerim. Verùm Dei mortalium consilia eludentis operâ factum est, vt ad mortis tribunal ea non mater at nouerca raperetur, eoque simul tempore adeò in Dei amore & obsequio Virginis animus efferbuit, vt Religiosam asperitatem regijs ipsis delicijs præhabuisset; quo adhuc animo virtutis in via nunc temporis adolescit. Aliàs enim in primaria Italiæ Vrbe interrogationibus meis puella nobilis egregijs responsis consonabat; at discordem à verbis animum satis ego nescio quibus artibus explorani; quapropter eam meo sermone adeò circumduxi, vt dilucidè mihi animum suum aperiret, quo indicauit, se reluctanter ad dicandam Deo virginitatem cogi; quin ad hoc præstandum turpi se quodam vinculo præpediri. Sanè è senioribus Monialibus quædam mihi asseruerat, Diuini Spiritus afflatu non virginem, sed eius genitorem tactum fuisse.

Conc.Trid. sess.25.c.17 de Regul.

C Qui tamen exundantem hunc errorem coerceat, nullus est, eòque corruptela ista deuenit, vt qui eam abolere contenderet, non mores tantum, sed arbitria immutare velle videretur; consuetudinem hanc, quæ iam in legem transijt, perturbare, tumultus, & seditiones in Vrbibus excitaret, quæ publico detrimento difficultatem quamcumque tribuit, qua puellæ è religiosâ vitâ arripiendâ retardantur: Hinc fit, vt eum exquisitâ solertiâ, prudentiaque industri cogantur Episcopi procedere, vt simul suo satis muneri faciant, & contentiones, rixasque euitent, quibus malum istud non reparatur, at potiùs augetur.

Quæcumque tamen ea sint, inualida & imbecilla sunt; cum enim elapsis retrò temporibus potissima ad hoc difficultas, è Parentibus eriperetur, qui filiarum pietatem à Dei obsequio remouebant, quæ idcirco Antistitum patrocinium implorabant, vt diuino famulatui mancipare se possent, & ad Ambrosios, Tertullianos spectabat elucubratis scriptionibus certiores facere populos, quòd è sacrarum Virginum numero nullum diminutionis detrimentum genus humanum pateretur, & ipsa Oecumenica Concilia excommunicationum vibratis fulminibus genitorum huiusmodi duritiem quatiebant, nunc temporis re penitùs immutatâ, communi tanquam lege receptum sit, vt è multis filiabus, quæ domi habentur, ferè omnes perpetuo carceri Patrum sententia addicantur, ne si nupserint, masculorum patrimonium aliò deuoluant: hinc à primis vsque vitæ crepundijs religiosæ vitæ sermo ijs instituitur, & frequentissimè, imò semper ad earum aures vox ea *Monialis* illabitur, quod autem deterius est, cum religiosas eas velint, religiosis nequaquam moribus informant, & sæpius, ac eorum mentem exacerbent, extortamque promissionem feruent, ea sufferunt, quæ sufferenda ne quidem in ijs essent, quæ sæculo addicuntur; vel eas consanguineis suis educandas in Monasterio tradunt, quæ tùm tot artibus, tot lenocinijs, tot illecebris eas demulcent & rapiunt, tàm validè opum tenuitatem describunt, quâ è coniugio penitus prohibentur, amplificant, vt vix ætatem illam ineuntes, quam Synodus Tridentina designat, religiosam vestem efflagitent, cum tamen responderi illis opportunè possit, *nescitis quid petatis*; cum enim non Matth. 20. 22.

D

Diuino Spiritui eas vocanti, sed potius è suæ domus vtilitate parenti suo ipsæ inseruiant, fortuitò operantes, nec sibi pietatis finem adscribentes, irreligiosæ, A & proprio amori seruientes, prauis cupiditatibus æstuantes, nullâ orandi consuetudine præditæ, nec à Deo vocatæ, cuius est, eas validissimis quibusdam auxilijs roborare, fieri nullatenus potest, vt fructum è vitâ religiosâ percipiendum potiantur.

Hinc posteà fit, vt tum sibi, tum alijs molestissimæ sint; ad obedientiæ cæteris suauissimę nomen perhorrescunt; truculentam Megeræ speciem paupertas illis exhibet, solitudo illis catena videtur, nec gestientes Crucem suam ferunt, sed repugnantes trahunt; quià verò infęlix hoc lolium Inferni Agricolæ manu in Asceterijs disseminatum, frequenter longè maius frumento est, quod Cælestis Pater familias effudit, ex eorum incompositâ voluntate Monasterij regimen pendet, cùm interim Monialium nil aliud illæ præferant, quam vestem. Quanta hine molestiarum seges in Antistitem assurgat, quis posset exprimere?

Contentiones & rixas, quas Moniales duæ regio sanguine ortæ, Diuo Gregorio Magno imperante, non in suis tantùm Cœnobijs, at in finitimis Prouin- B cijs excitarunt, Cardinalis Baronius referens, adeo vt opus fuerit ad tanti mali vim reprimendam Episcoporum Conuentum in Pictauiensi Vrbe colligere, addit, his recenter vti artibus Dęmonem ad Christianam religionem lacerandam & fatigandos Episcopos, quibus grauiores plerumque sunt pręnobiles huiusmodi irreligiosæ Moniales, quam tota ferè Diœcesis; illud etiam monet, incommoda hæc ex eo fonte emanare, quòd plerumque Parentum violentiâ reluctantes filiæ religiosæ vitæ tradantur, cuius angustias cum æquè ferre non possint, in huiusmodi tumultus erumpunt sibi & alijs permolestæ. Verum quidem est non illas deflendas, quæ virtutem à necessitate trahentes arreptæ vitæ se se accommodant, & vnà cum vestibus religiosos induunt mores, quibus accommodari illud Diui Bernardi potest. *laudo factam de necessitate virtutem; sed plus illam, quam eligit libertas.*

Baron. ann. 593.

D. Bernar. ep. 114.

C

§. II.

QVod secundo loco explicandum datur incommodum, plosque Episcopos non mediocriter vexat, illud est, quòd cùm in suis filiabus Monasterio donandis valdè faciles, & largi genitores sint, parci admodum, & auari sunt in iisdem dotandis: ex quo oritur, vt eorum numero magis in dies inualescente, cum è Monasterij bonis illarum plurimis necessarius victus comparari non possit, fieri nullatenus potest, vt communis viuendi modus in Monasteria adducatur, & in ipsis inualescat; licet enim singulari quadam solertia Episcopi laborent in Bonifacij Octaui decretali, & Tridentinæ Synodi legibus executioni mandandis circà Monialium designatum numerum, mediocres tamen dotes, mala temporalium bonorum administratio, iacturæ, incommoda, censuum decoctiones, extraordinarij sumptus, stabilium diminutio, aliaque huiusmodi sexcenta efficiunt, vt cùm necessaria omnibus suppeditari non possint, communem viuendi modum reijciant, & paupertatis odium propriâ necessitate colorent. D

Conc. Trid. sess. 25 c. 3. de regul. c. vnic. §. fanè de statu regul. n. 6.

Hinc autem fit, vt necessaria sibi comparandi specie paupertatis votum vel effringant vel relaxent; hoc enim in eo versatur, vt sæcularibus diuitijs constanter reiectis, vni Deo adhæreamus iuxtà mentem Aquinatis, qui insuper docet in hac voluntaria paupertatis adhæsione religiosam vitam primo inniti, eamque religiosæ perfectionis radium Diuus Bonauentura appellet, adeò vt, nutante hoc fundamento, tota religiosi propositi moles ruat oportet, & radice vitiata, in flores, & fructus nunquam arbor erumpet.

D. Th. 2. 2. q. 186. ar. 3

D. Bona. in apol. paup. relig.

Sed illæ præsertim, quæ Diuini Spiritus afflatu destituuntur, & in religiosâ vitâ tepescunt, sub necessitatis specie superflua etiam sibi congerunt, & seruant, & speciosò quem præferunt titulo, suis necessitatibus ægritudinis tempore succurrendi, spirituali morbo inuaduntur, leuissimis nonnullis rebus tàm amanter, & anxiè

anxiè adhærentes, quàm alij Principatibus & Purpuris adhærescunt, amorem, A quo magna sæculi bona prosequerentur, ad minima hæc & ridenda transferentes, cùm hac in re, iuxtà Diui Gregorij sententiam, *Affectum potius debemus pensare, quam censum*; licet autem non illis eorum dominium, sed vsus tantùm satis coarctatus permittatur, & multimodę leges, decreta, visitationes hac de re instituantur, oleum operamque perdimus; plerumque enim ingentem linearum vestium vim, aliaque superflua tenacissimè sibi seruant; vt pecunia depositi loco seruetur mandat quidem Antistes, sed inutiliter: hìc etiam laborem suum impendit, quandoquidem cor simul & pecunia in ea arca seruatur, adeò vt Abbatissa, ad earum querelas & molestias effugiendas custos potius eius sit non domina, eamque illis, si postuletur, statim enumeret. Nec desunt ex ijs, qui Epicheiam sibi ingeniosè componentes, pecuniam absque ea facultate retinent, quam satis sciunt illis fuisse concedendam. Solemni voto & Tridentina Synodo hæc omnia repugnant, adeòque meritò Diuus Bernardus sic eas alloquitur. *Quid refert si forte, quod absit, non quidem diuitias sed ea ipsa quæ paupertatis sunt, toto* B *affectu desideres; aut etiam ardentiùs quàm diuitias cupiunt homines sæculares? quid distat quæcumque substantia desideretur, dum pariter sit corruptus affectus, nisi quod tolerabilius illud videri potest, quæ pluris esse videntur, plurimum desiderare?* Verme hoc, quo radix vitiatur, tota planta destruitur, error iste palmaris plurimos alios secum trahit, charitas dissoluitur, sęcularium familiaritas fouetur, munuscula tùm dantur, tùm recipiuntur, in cænatione magnum illud incommodum visitur, quod ab Apostolo damnatur. *Alius quidem esurit, & alius ebrius est*, aliaque huiusmodi, quæ non tatùm spiritali progressioni perniciosa sunt, sed abiectis fluxisque rebus animum occupantia, diuina remouent, & paulatim ad sæcularium mores ita eas adducunt, vt cum religiosos annos plures numerent, virtutes numerare non possint; suam igitur calamitatem ijs verbis prosequi possunt, quibus olim Diuus Bernardus vtebatur. *Miserabiliores sumus omnibus hominibus nos monachi, si pro tam exiguis, tanta patimur detrimenta.*

D.Gregor. hom. 5. in Euang.
Côc. Trid. sess. 25 c. 2. de regul.
D. Ber. ser. de trib. ord. Eccl.
1. Cor. 11. 21.
D. Bern. ad mon. S. Petri.

C His non paucæ quantocyus morituræ crimen aliud adduot, quòd scilicet ex testamento non pudet alias vel consanguineas, vel familiares hæredes earum instituere, quæ ab ipsis possidentur, è quibus etiam cubiculum est, cuius vsus licet ad alios referri possit, dominium tamen penes monasterium est: quam ad rem egregium illud est de quo, Calaritano Episcopo deprecante, Diuus Gregorius aliorum opioioni adhærens sententiam dedit.

Quis religiosas fœminas has esse dixerit? Monialium potius laruæ suot appellandæ; exteriorem quidem religionem spirant, sed animo eam reijciunt, illudque adagium suis moribus confirmant *Monachus, qui habet obolum, non valet obolum*: comas abscindentes sæculo quidem nuncium remiserunt, sed illis succrescentibus, sæculi etiam pompam & luxum sibi restituunt.

D.Gregor. l. 7. ep. 7. in distin. 2. c. quia ingredientib. 19. q. 3.

Hinc autem oritur, quod tertio loco damnandum nobis est, vt scilicet liberali nimis licentia vtantur in sermonibus effundendis; de rebus sanè tantùm necessarijs instituendi hi essent, vel ad sæculares consolandos, vel ad eorum pietatem breui & validâ vi fouendam iuxtà Diuæ Theresiæ morem: nunc verò quis credat? in tantam eorum corruptelam deuenimus, vt non tantum inutiles, steriles ij D sint, sed quod deterius est, sibi perniciosi, & alijs periculosi.

Necessitatis colore qua premuntur, vt sibi de necessarijs plurimis prospiciant, ad huiusmodi collocutiones adeò frequentes ipsę accedunt, ad affinitates & familiaritates fouendas, & sæcularium animos suæ loquacitatis illecebris obstringendos, illi enim qui *de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur*: inter huiusmodi garrulitates, & sermocinationes eam ipsæ pietatem infęliciter decoquunt, quam longo precum labore compararunt: quin plerumque fit, vt ad humanum commercium, Dei consortium deseratur, ex quo oritur, vt ab officii religione declinantes primus ardor virtutis videatur extinctus, & tabescente pietate, non tantum sanctitatis culmen non attingant, sed potius ad præteritam naturam delabantur, nomen tantum & vestem religiosæ fœminæ præferentes. Quòd si Seneca in moralium virtutum acquisitione studiosissimus & morũ præceptor egregius,

gius, detrimentum abundè confessus est, quod ex alienâ societate deriuatur. *Ego fateor imbecillitatem meam, nunquam mores, quos extuli refero*. Quid de fœmina dicendum sui corporis habitudine, varia semper, & ad stygios conatus agnoscendos simul, & repellendos inexperta, & infirma? sanè Dæmones venatorum instar, vt Diui Antiochi sententia vtar, vt alligatam volucrem eam inter confabulationes habent, & vincula, quibus obstringitur, licet eo tempore sua voluptate obcœcata non videat, ea tamen satis experitur, cum ad Deum orando peruolare contendens, ad inferiora hæc suæ pondere affectionis trahitur, easque patitur mente distractiones quas in peractâ confabulatione concepit; illud ipsæ experiuntur, quod olim à Chananæorum commercio Hebræi sortiti fuerunt: *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum*; prophanos ipsæ mores imbibunt, & sæculi cogitationes, & illecebras noua tanquam idola adorant: *& factum est illis in scandalum*; quàm enim facilè, & liberaliter ex his offensiones egerminant, quæ eò vsque se porrigunt, vt si contentione aliquâ, & rixâ familiæ duæ decertent, ex vtrâque prosapia moniales, se consanguineorum contentioni immiscentes in eodem monasterio certamen vtrinque instituant, & è pacis concordiæque gymnasio, in discordiæ palæstram & campum pugnarum monasterium immutent. Tota his religio in solâ veste præfulget.

Senec. A

D. Anthio. hom. 102.

Ps. 105. 35.

B

Meritò igitur in Aquisgranensi Synodo Diui Cæsarij Episcopi sententiâ magnâ cum laude fuit excepta, quâ scilicet, cum ad sæcularium sermonem Moniales aduocantur, triunphali Crucis signo suum pectus obarment, ac si cum stygijs hostibus pugnaturæ ab eo victoriæ signo auxilium, & robur efflagitent: *si quandò cum sæcularibus ad colloquendum fueris euocata, priùs arma frontem trophæo Crucis, vexillo Christi comitari dignetur*.

Conc. Aquisgr. c. 6.

Quia tamen in nullo pretio hoc est, exoptandum esset, vt quod olim cuidam moniali, fratre Henrico Dominicano deprecante, accidit, moniales omnes ad loquacitates istas propensæ experirentur; inopinatò enim se deformi adeò curuaturâ gibbosam vidit, vt de ea postmodum erubescens ad locum sermonibus designatum recusaret accedere.

Castill. hist. ordin. Domin. p. 2. l. 2. c. 17. C

Deterius autem esset, si paupertatis prætextu munera reciperentur, quibus licentia morum, & non admodum pudicæ beneuolentiæ flamma foueretur, quæ cum Cælestis sponsi amori repugnet, spirituale quoddam adulterium à D. Bernardo appellatur.

D. Bern. de modo bene viuen. c. 61.

Qui igitur loca ea, quibus Moniales sermocinantur, definire adamussim velit, ea esse diceret, quibus ad monialium animos cruciandos supplicia componuntur quibusque Episcoporum molestiæ seminantur.

§ III.

E Monialium numero, & monasterij paupertate incommodum quartum enascitur, quod pariter non probæ Monialium voluntati, & partim etiam Antistiti molestijs obsesso tribuendū videtur. Moniales etenim ad sui regiminis Præfecturas aliquas efferunt, quæ ad laxiorem disciplinam compescendam cùm inualidæ sint, simulachra potius ex illis dicenda videntur quæ, *oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient*: sic cum olim ad nimiam cuiusdam Abbatissæ seueritatem castigandam cogeretur Diuus Goffredus Ambianensis Præsul, nostrâ hac ætate è nimio labore, & imbecillitate, quâ regimen suum Abbatissæ exercent, mulctare cogantur Antistites. Episcopi autem Confessarios illis suppeditare non possunt, quorum scientiâ dirigantur; sicut enim maximè æstimandum auxilium illud est, quo ad monasterij probitatem, tùm Confessarius, tùm Abbatissa Præsulem iuuant, sic pariter perniciosissimum forè credas, si indoctum, & non virtutis studiosum sortiatur Confessarium, & elanguidam eneruemque Abbatissam; quò autem frequentiùs hoc experimur, eò lachrymabilius detrimentum est.

D

Ps. 113. 15.

Surius 8. Nouemb.

Proh

Proh Deus! quid infelicius, quàm vt Abbatissa metuens, ne odio alijs habeatur, vel subditarum amorem deperdat, vel ad eas suæ voluntati magis obstringendas, tum vt in recenti Abbatissa eligendâ sibi faueant, tùm vt ab eis iterum Monasterij præfecturâ donetur, earum votis indulgeat, cupiditates sequatur, eisque in omnibus quæ postulantur assentiatur, earumque errores negligens eas potius apud Episcopum tueatur & excuset. Quòd si omnibus hisce Confessarius addatur indoctus, & ad ea quæ ad religiosam disciplinam, ad sacra vota, ad legum obedientiam referuntur, imperitus & ineptus, vel qui ad Monialium amorem sibi seruandum, earumque munera coaceruanda, earum cupiditates palpet, omnesque animi propensiones, ad quas illæ trahuntur, approbet, quæ profectò clades imminet, & quod vnquam excidium in religiosam disciplinam non irruet? Quid plura? antidothum ipsum, quo è Synodi Tridentinæ placito Moniales ipsæ curantur, Confessarium, qui extrà odium identidem ad eas audiendas mittatur, designando, in earum potius detrimentum & malum cedit; quandòquidem ex hac spe animum ad peccandum arripiunt, noxarumque monstra fouent & celant, quòad vsque incognitus Confessarius accedat, cui ea sine rubore reuelent. Præterquam quod, non rarò fit, vt ex opinionum diuersitate, & longè alio docendi vsu, vnius hebdomadæ interuallo extraordinarij Confessarij operâ id omne destruatur, quod integri spatio anni Confessarius alter substruxerat.

Verùm, vt feliciter periculosum hoc mare enauigare possit Antistes, scopulum præ cęteris euitet oportet, in quem experientiâ doceor facilè tum seculares, tum Religiosos Præsules impingere. Hoc autem est, ne eum vlla è Monialibus familiaritatem degat, vel cum eâ frequenter sermones immisceat, & munera vel ab eâ recipiat, vel ei imperriat; nec tantùm id præstandum ab eâ est, vt eorum pudicitiæ consulatur, sed quià hoc, quod leuissimum specie videtur, maximi momenti re verâ est, secumque totius Diœcesis statum potest euertere; cùm enim illę Moniales animaduertant, singulari quâdam beneuolentiâ se ab Episcopo foueri, audaciam hinc assumunt, in cæteras insolescunt, ipsummet Abbatissarum Magistratum contemnunt, arcana frequenter ab illis habere se iactant, & iactanter euulgant; in partes Monasterium distrahunt, eisque se vel socias, vel duces præstant, quæ laxiori disciplinâ viuendi vtuntur, tùm vt earum patrocinium habeant, tùm vt expetitas facultates facilius obtineant: Confessarij & Abbatissa ad hæc elanguescunt, nec Antistiti audent earum immorigeratos mores aperire, ne ipsis vllatenus quidquid illi suggesserit, innotescat; hinc etiam fit, vt cæterę Moniales cùm sæcularibus frequenter agere & versari audeant, ac si de huiusmodi familiaritate eas arguere Præsul non valeat, ne se ipsum damnare videatur. Quòd si inter Moniales discordia aliqua suboriatur, ad eam componendam vires ipse non habet, eò quòd aliquarum diffidentiâ ipse laboret, tota demùm religiosi regiminis moles ruit, nec tantùm aliena ipse crimina non euellit, sed sua exaggerat, & maiorem in modum se illis obstringit.

Quin sapientissimè Antistes ipse à monasterijs frequenter inuisendis se alienum exhibeat, eaque tantùm ex opportunitate adeat, qua vel diuinum sermonem Monialibus subministret, vel aliquid aliud monasterio ipsi proficuum operetur: è Diuo Augustino hoc ego ipse percepi, de quo Possidonius narrat, *fœminarum monasteria non nisi vrgentibus necessitatibus visitabat*. Hac etenim ratione ingentem sibi apud Moniales venerationem comparabit, neque ipsis vilescet, vt illis euenit, qui familiarius, quàm par sit, cum fœminis degunt. Possid in vit. c. 2.

Ad hæc penitus absoluenda, dubitationem diluam oportet, olim mihi propositam, an scilicet ex opportunitate, qua sacrum velamen, vel sacra vestis ab Episcopo Monialibus imponitur, liceat ab earum consanguineis munus aliquod excipere? licet autem in hac Eugubina Diœcesi nulla huius rei consuetudo inualescat, dummodò tamen id vel honoris, vel letitiæ causâ fiat, non videtur mihi reprobandum; tùm quia ferè vbique gentium huiusmodi vsus inualuit, tum quia ex ipsomet Diuo Augustino habetur, quòd gratias suâ epistola nobili cuidam fœminæ reddiderit, de munere quodam ad eum transmisso, occasione qua Demetrias

metrias

D. August. ep. 179. in fin. to. 2. Baron. ann. 57. metrias virgo se Deo inter moniales duouerat; hoc autem munus Græco ipse nomine vocat Aploporetum. *Velationis Aploporetum gratissimè accepimus*: è quibus arguit Cardinalis Baronius solemni quodam ritu olim hæc celebrata fuisse, & nuptiarum sacrarum nomine decorata. Eâ autem in Epistola illustri quodam præconio tàm egregiè sacræ Virginis dignitatem exornauit, vt eam Consularibus fascibus, Romanisque securibus antepoonens dixerit, *Quis verbis* Baron. ann. 875. *explicet? quis digno præconio prosequatur, quantum incomparabiliter gloriosius, atq; fructuosius habet ex vestro sanguine fœminas virgines Christus, quàm viros Consulares mundus?* A

Ad quæ confirmanda, cùm Eugilberta Augusta, coniuge extincto, se Deo inter sacras virgines deuouisset, Ioannes Octauus Supremus Ecclesiæ Pontifex ad eam scribens, tùm de Augusti morte secum condolet, tum de recenti conuersione ipsi gratulatur, qua pro mortali caducoque coniuge interiturum semperque efflorentem sponsum sibi comparauerat Christum Regum Regem, & Principem æternitatis. B

Vberiùs idem agitur, aliaque afferuntur ad rectam Monialium institutionem. Cap LVI.

EX incommodis huc vsque enumeratis, ingens profectò querelatum campus ei pateret, qui recentem hanc ætatem cum sæculis illis floridissimis compararet, quibus in vnâ Thebaidos vrbe viginti millia Euagrius inuenit, quæ corpore tantùm humi degentes animo cælum incolebant, sui sponsi delicijs perfruentes sacrisque eius amplexibus dulcissimè adhærentes. Cadere tamen non idcircò debent animo Præsules: è difficultate operis erigendus ille est, qui Deum suum habet adiutorem, iuxtà illud Diui Bernardi ad Eugenium Pontificem scribentis, *Legi apud quendam sapientem, non est vir fortis cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate*. Euigilandum & laborandum nobis est, cætera sunt à Deo perficienda. Ea igitur significabimus, quæ ad eradicanda, vel saltem labefactanda ea incommoda, quibus, quatuor velut è machinis, sacrarum Virginum Cœnobia Dæmonis vi oppugnantur. C

D. Bern. episc.

Vt autem è primis ordiamur, quæ ad puellarum genitores, & consanguineos referuntur, contendendum nobis est, vt frequenter tùm publico, tùm priuato sermone illud omnibus aperiamus, palmare scilicet esse flagitium, puellas à Deo non vocatas religiosæ vitæ obstringere, diras etiam & horrendum anathema identidem commemoremus, quo Tridentina Synodus eos percellit, qui vel, vt aiunt, *indirectè* ad id eas cogunt, vel scientes, quòd earum aliqua non spontè vel sacram vestem assumit, vel solemnia vota emittit, sua tamen præsentiâ, authoritate, suffragio opus tantùm approbare videntur. Illud etiam repræsentent, quód in eos indignatus Deus, qui necessitatem aliquatenus vel filiabus, vel sororibus imponunt religiosam vitam coactè suscipiendi, fulmina suæ vltionis in eos intorquet (satis ad hoc ni fallor esset, quæ de nobili illâ fœminâ superius memoraui) nec raró permittit, vt diuitiæ, ad quas congerendas, & seruandas violenta hæc Religiosæ vitæ susceptio dirigitur, inopinatis quibusdam euentibus decoquantur; & quas inter nuptiales solemnitates, & connubia ineunda effundere recusarunt, inter simultates, & rixas eas deperdant, vel morte immaturâ ijsdem spolientur, omnique virili prole extinctâ, ad quam confirmandam, & augendam fœminas filias tàm duro iugo coarctarunt, illud è Diuinis oraculis experiantur, *quod non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*. An non funesta hæc euenta frequentissimè in orbis theatro repræsen- D

Conc. Tri. sess. 25. de regul. c. 18.

Prou. 21. 30.

præsentantur, & serò nimis à plerisque defleantur? sanè nobilis quidam vir extin-
A ctam excisamque suæ domus felicitatem, vt ipse idem testatus mihi fuit, vni tantùm tribuit sorori suæ, quam, Deo non vocante, ad religiosam capessendam vitam violenter obstrinxerat: omitto, quòd, dum Iudæorum instar Cyræneum Simonem puellam ad Crucem perferendam cogunt, æternum sibimet ipsis interitum, vt Iudæi, moliuntur.

Religiosis etiā fœminis, quæ tùm repetitis petitionibus, tùm blanditijs & illecebris ad religiosam vitam puellas impellunt, tanti iugi duritiem asperitatemque eis abscondentes, vt suæ vtilitati consulant, suamque factionem augeant, & senectutis tempore aliquas habeant, quarum auxilio suæ necessitati prospiciant, significandum etiam est, finistrè illis cuncta contingere, quandoquidem earum ratione sexcentis potius molestijs cruciantur, animi tranquillitatem exuant, & simultates cum alijs contrahunt; diuini furoris vis ostendenda eis est, æternique Iudicis acerbitas, quam in reddendâ suorum operum ratione experientur; ex-
B perta quidem satis illam fuit mea quædam Monialis integerrimis cæteroquin moribus illustris; hæc enim è nimijs & importunis precibus, quibus neptem suam ad sæculi pompam exuendam, & religiosam vestem induendam incitauerat, grauissimo primùm morbo laborans, ad extremum inde vitæ adducta, Stygios innumeros Spiritus spectauit, quorum vi vndique obsessa eò agebatur, vt de diuinâ pietate desperaret; ex hoc ipsa se discrimine subduxit, sanctæ cuiusdam fœminæ, quam eximiè colebat, opem implorans, & optimè de præteritis malis erudita, nulla in posterum arte ad puellarum animos religioni cogendos vsa fuit.

Episcopi etiam est, puellis illis, quæ religiosam vitam induere postulant, leges & statuta frequenter legenda eis obijcere, difficultates, quibus religiosum nomen scatet, explicare, votorum, quibus obstringendæ erunt, rationes explorare, quarum virtute ad id faciendum excitantur, tempus expendere, quo
C tantum opus recogitarunt, an spiritalis magistri suffragium, an corporis habitudo, an rectâ indoles ad hoc ipsum conspirent. Quòd si comprehenderit, earum voluntatem non esse omninò propensam, vel aliquid ex ijs deesse, quod necessariò ad id postulatur, ad Episcopi probitatem spectat earum animum ab instituto religioso amouere, nullâ habitâ ratione vel nobilitatis vel opulentiæ. Proficuum valdè esset, si Synodali lege statueretur, vt puellæ antequam Moniales fiant, aliquorum mensium interuallo Confessarium illum adeant, qui Monialium confessiones excipit, vt ab eo tùm instruantur, tùm etiam examinentur.

Iam verò quo ad alterum, quo religiosam paupertatem euertere Dœmon intentat, si posteaquam iuxtà Tridentinæ Synodi leges certus Monialium numerus designatus fuerit, fieri non poterit, vt ad necessaria subministranda Monasterij vires perueniant, maximè euigilandum erit, vt à proprietatis crimine arceantur, ad quam rem quatuor illis erunt tum ab Episcopo & Confessario, tùm à Concionatoribus significanda, ne morte æterna plectantur.

D Primum est, vt paratissimæ sint ad communem viuendi modum assumendum, si quando facultas ad hoc fuerit. Secundò vt quælibet pecuniæ suæ depositum ita Abbatissæ committat, vt ad Cœnobij commodum eo possit vti si necessitas postulauerit; nec enim audiendæ vllatenus illæ sunt, quæ depositis huiusmodi tanquam leuissimâ & inani prorsus re vtuntur, & Abbatissam tantùm adhibent ad numerandam sibi pecuniam: sanè cùm necessitate aliquâ vrgente suam illæ pecuniam sint impensuræ, obsequenti & humili animo accedere ad eam tanquam ad matrem debent, cuius charitate suæ indigentiæ prospiciatur.

Tertiò caueant, ne de rebus sibi Abbatissæ indulgentia impertitis aliquid sine eius facultate alteri communicent, nisi extremà ad id necessitate adigantur, quod perrarum est. Quartò demum pariter caueant (quo tamen malo ferè omnes laborant) ne pecunias congerant, superflua sectentur, delicata perquirant, & anxietate nimia necessaria affectent, sed temperato animo fluxis hisce rebus adhæreant iuxtà illud Apostoli, *Qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur*, quod iuxtà 1. Cor: 31.
Diui Augustini mentem, in eo versatur, vt eo tantùm animo sæcularibus mun- D. Aug. ep. ad Onif.

danis bonis vtamur, ac si mutuò nobis data fuerint, vel commodata. Quin proprietatis vitium illis Aluarus Pelagius inurit, qui claui cellam obstruxerint, & A in eâ sententia D. Vincentius Ferretius est, quòd scilicet paupertatis merito Religiosi illi viri spoliantur, qui eam exeuntium, & hilari, erectoque animo eius incommoda non amplectuntur.

Aluar. de planct eccl. D. Vincen. Fer. tract. vit. spir c. 1

§ I.

AD tertium iam accedo, quòd ad immodicam sermocinandi licentiam spectat; hac sanè in re maximè peruigil Argum imitatus Antistes sit, suamq; semper moderationem seruans opportunis legibus id assequi contendat.

Pet. Abaib. Tàm religiosus hac in re Petrus Abailardus erat, vt inter Monialium leges eam etiam statueret, vt in quolibet Asceterio Monialis aliqua esset, quæ sanguinem scirei è venis detrahere, ne vllam corporis partem nudam Chirurgo ostendere cogerentur; *Oportet aliquam phlebotomiæ peritam esse, ne virum propter hoc ad mulieres ingredi necesse sit*; quod vtique honestati accommodatissimum esset: atque vtinam ex eis etiam essent, quæ medicâ facultate callerent; facilè etiam fit, vt paulatim medicis beneuolentiâ adhærescant, & ad gratum posteà animum ostendendum, familiaritatem cum ipsis habeant, non sine ingenti molestiâ, & religione Episcoporum: Panormitanum sane Præsulem arguit, & damnat Diuus Gregorius Magnus, eò quod medicum quendam Athanasium nomine licentiùs quàm par esset, cum Monialibus degere pateretur, eique præcepit, vt ab ingressu Monasterij eum in posterum amoueret. B

D. Gregor. l. 4. ep 41.

Sed multò acerbius Vitalianum Sipontinum Præsulem, & Marianum Rauennatem Antistitem Sanctus idem Pontifex reprehendit è negligentia, quâ vterq; permisit, vt monialis quædam transfuga è suo Ascæterio abiret, cum eam retinere, & monasterio tanquam carcere eam claudere debuisset. C

D Gre l. 7. ep. 9. ind. & l. 8. ep. 9.

D. Hier. in Reg. Monach. In regulâ, quam monialibus Diuus Hieronymus præscripsit, asserit monasterium loco sepulchri habendum, quo vnà cum Christi sponso tumulum suum sortiantur moniales, quoad vsque spiritum exhalantes vnà cum Christo Domino rediuiuæ consurgant; *sed timendum plurimùm ne quis ingrediatur ad furandum thesaurum qui latet in tumulo*: hinc ad Antistitum diligentiam explicandam progreditur, quâ Antistes aditum omnem vitiosæ libertati præcludat. *Custoditur ergò sepulchrum hoc per Episcopum, & per Præpositum Presbyterum murorum munitionibus circumcingatur locus, quo vix præbeatur aditus: sic tendant muri in altum, vt nec oculis liceat, quæ intus sunt, agnoscere: ostia ferantur fortiter clauibus*: Quorsum ergò aperiatur, & pateat sermoni designatus locus? *fenestellæ virgis ferreis sint cribratæ, vt vix digito pateat aditus, per quas cum necesse est sanctis sermonibus cum Sanctis Viduis, & alijs, quas vestium habitus, & facies tenues, ac pudica reddunt venerabiles, licet loqui*. Vtinam ad has Hieronymi voces quicumque alius è monialium sermone arceatur! in Paradisum sanè cederet monasterium.

Tertull. l. de velam. Atque vtinam moniales ad ea verba Tertulliani se componerent, quibus mulieres illas inuadit, quæ libertatem amantes struthioni ab eo comparantur, qui cùm validè stolidus sit, si caput contexerit, putat nulla alia parte corporis aspiciendum: caput frustrà velamine sacro contegitur, si humanis oculis se vultus exhibet frequenter inspectandum. Velum ipse sacrum perbelle appellat *Armaturam pudoris, velum verecundiæ, morum sexus, qui facit, vt nec tuos emittas oculos nec admittas alienos*: Nullus, ò sacra Virgo tàm effrons sit, vt tuam frontem, tuum vultum contempletur. Arabum fœminarum exemplo hæc ipse confirmat, quæ licet Ethnicâ superstitione imbutæ, vnius tantùm oculi lucem vultus prostituerent. *Arabæ quoque fœminæ Ethnicæ, quæ non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato, contentæ sint dimidiâ frui luce, quàm faciem prostituere*. D

Verùm si hæc fieri nequeant, aliquæ saltem designentur, quæ ad sermones omnes

omnes audiendos inseruiant, iisque semper adsint, donec cum aliis confabulentur, exceptis tamen consanguineis, quos in primo gradu vocant. Hoc profectò, ni fallor, sacra Cabillonensis Synodus significauit, cùm præcepit, vt sæculares viros Moniales alloqui nullatenus possent, præterquàm si necessitas aliqua postularet, & loquenti testes adessent. Quin cùm ipsismet genitoribus hoc in vsu fuisse testatur Trithemius. *Ad fenestram locutoriam nulla sororum permittatur accedere sola, nec sine prouido, idoneoque testimonio cum aliquo homine; siue pater is, siue frater, siue mater, siue soror, siue qualibet occasione à quolibet destinatus.* Conc. Cabal. 2. can. 56. Trithem. ep. 21.

Maximi igitur momenti erit, vt à locis colloquio destinatis illi omninò arceantur, qui famæ aliquâ suspicione laborant; quapropter Diuus Carolus cum Pio Quarto Pontifici suo Patruo proximus Romæ adstaret, VicariumMediolanum mittens, inter alia, quæ fidei eius commisit, illud fuit, vt Monialium libertati, præsertim in commiscendis cum sæcularibus alloquiis enixè prospiceretur, & ab iis Monasteriis correctio inchoaret, quæ fuæ tùm Sorores, tùm Amitæ incolebant, sed præ omnibus amoueantur ab illis tùm Clerici, tùm Religiosi, Diaconus enim is fuit, qui ne Betleemicum quidem Monasterium obseruauit; vt eum ab impudicâ cogitatione retraheret: ne valida quidem fuere Virginis Augustæ vestigia, quibus adhuc sedes illa splendescit; nec adorandum Christi Præsepe effrenatam eius libidinem valuit coercere, quin Deo initiatam Virginem violaret. *Proh nefas, non possunt vltra progredi: repertum est facinus quod nec Momus fingeret, nec scurra luderet.* Sic Diuus Hieronymus. D. Hieron. ep. 48. ad Sabin.

Hinc innumera statuta & leges, tum è Conciliis, tùm è Pontificibus effluxere, quibus Clericis & Religiosis quæcumque cum Monialibus consuetudo prohibetur, adeò vt, cum eorum aliquis Monialem consanguineam suam alloqui voluerit, præscriptam ab Oecumenico Concilio Septimo legem habeat. *Porrò si contigerit, vt aliquam propinquam suam videre voluerit Monachus, in præsentia Abbatissæ huic confabuletur per modica & compendiosa verba, & breui ab ea discedat* quam etiam legem distinctius explicauit & roborauit sacra Episcoporum Congregatio Paulo Quinto, aliisque supremis Pontificibus approbantibus. Quanti hoc idem olim haberetur, ab ipsa Constantini Cæsaris ætate satis constat è gestis Diui Pachomii. Suâ etiam ætate testatur Diuus Augustinus, ne spectatissimis quidem & longo annorum ductu piissimis senibus aditum ad Moniales patuisse; inter enim diuersi sexus religiosos perniciosissima familiaritas est; pietatis enim prætextu blandè ingeritur, & prauas affectiones velamine sanctitatis obuelat. Quamobrem in Hispalensi Synodo, cui Diuus Isidorus eius Vrbis Episcopus præfuit, vetitum fuit, ne amicitiam vllam cum Monialibus Religiosi excolerent; in Romano etiam Conuentu Alexandro Tertio Pontifice imperante & præsidente, de Clericis & sæcularibus hac lege consultum fuit inter Canones sacros immixtâ. *Monasteria Sanctimonialium si quisquam Clericus sine manifestâ & rationabili causa frequentare præsumpserit, per Episcopum arceatur, & si non destiterit, ab officio Ecclesiastico reddatur immunis, si laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni.* Presbyterum suum Diuus Augustinus sacerdotio spoliauit, eò quod ad Monialium alloquium ei vetitum audacter accesserit, quod ille tàm iniquo & peracerbo animo tulit, vt à Christianâ fide desciscens turpissimâ fugâ ad Donatistarum partes accesserit. Vestales Virgines tanto pretio Ethnica Roma habebat, vt Prætores, Consules, Reges, ipsique ii, qui de populis subactis triumphum clarissimè in Capitolio egerant, earum aliquam offendentes, illis de viâ decedebant, ac si humanitatem omnem exutæ diuinitatem ipsam referrent: an igitur sacri viri fuerint, qui cum Virginibus Deo desponsatis prophanos sermones immisceant, vt earum candorem obscurent? In 7. Syn. c. 21. distinct. mus 21. 13. q. 2. In vita S. Pacon. c. 18. c Monast 8 de vit. & honest. Cleri. D. Aug. ep. 169. D Hieron. l. 1. aduers. Iouin.

Cum Constantii exercitu deleto Persarum Rex Vrbes & arces aliquas occupasset, cum in iis dicatæ Deo Virgines adessent, illæsas seruauit, vltròque permisit, vt inceptum pietatis studium prosequerentur. cum verò inopinatâ aggressione anno sexcentesimo vigesimo primo suprà millesimum Manfredoniæ in Apuliâ Vrbem potiti Turcæ fuerint, & conuentione factâ eorum potestati se red- Baron. ann. 359.

diderit aix, integerrimam fidem Barbari Monialibus feruarunt, quæ primùm egreſſæ obſequentiſſimè ab eis exceptæ fuerun,tviamque illia ne leui quidem moleſtiâ illatâ reſerarunt; Ità ne igitur, quas Barbari obſeruant & feruant, Chriſtiani, & quod deterius eſt, *ſacri viri prophanent & vitient?* A

D.Gregor. Nazian. in præcep. ad virg. D.Ambr.l. 2. de virg.

Inſitam ſæuitiem exuti leones in virginitatis obſequium, vt è Gregorij Nazianzeni carmine, & Diui Ambroſij calamo habemus, virgineum Teclæ corpus tangere formidarunt, & qui ſacroſanctam hoſtiam Deo litant, nefandâ remeritate earum virginitatem impurent?

D.Hier. in reg.Monar. tom.9.

Quàm meritò igitur à Diuo Hieronymo prohibetur, ne frequentes à ſuis Monialibus cum ſæcularibus viris ſermones miſceantur, licet ſanctitate Diuum Baptiſtam æmulentur; facillimè enim paleis flamma adhæret, eiuſque vi abſumuntur. *Viri cuiuſcumque, etiam ſi eum ſanctitas exornet, etiamſi Baptiſta aquetur meritis, quærant fugere faciem, nec liceat ſecum dilectione feruenti adſtringi per diem: vterque palea, vterque ignis.* quæ etiam robuſtiori ratione confirmans ad impenſam vigilantiam habendam Epiſcopos accendit. *Dicam audacter: proh dolor! Dei templa, Spiritus Sancti vaſa, Deo dicata, niſi diligenti ſeruentur cuſtodia, poſtribula fiunt.* B

Sur. inc ius vit.11. Decemb.

Tranſitum per quandam Vrbem Diuus Martinus toto orbe ſpectatiſſimus faciens, & Monialem ibi immorari audiens, ſuæ ſanctitatis famâ clatiſſimam,eam inuiſere & agnoſcere impensè peroptabat; deprecata tamen eum validiſſimè ſancta fœmina eſt, ne ad eam accederet, cum conſtantiſſimè deliberaſſet nullum vnquam hominem vel ſpectare vel alloqui. Sanctiſſimum illum Præſulem á ſe Virgo illa reiecit, quem totus terrarum orbis cupiebat inſpicere; verba illa excipere recuſauit, quæ ſanctiſſimo & propè cæleſti è fonte depluebant; nec ſuæ, nec tanti Præſulis ſanctitati confidit: quàm ergò audacter ſimul & inſanè cum quocumque indiſcriminatim Moniales verſantur, & colloquia frequenter intexunt?

in c.præced.

Quià verò non raró huiuſmodi amicitias monaſterij paupertas fouet, quâ Moniales coguntur ad operam ſuam ſacris viris in re alienâ impendere, idcircò C Carthaginenſis Concilij lege admonentur Antiſtites, vt neceſſaria illis ad victum quæcumque ſuppeditent. *Ad reatum Epiſcopi pertinet, vel presbyteri, qui Parochia praeſt, ſi ſubſtentanda vita præſentis cauſa,adoleſcentiores viduæ,vel ſanctimoniales Clericorum familiaritatibus ſubyciantur.*

Cõc.Cart. 4.c.1.2 c. ad reatum 33.81.uiſt.

D.Aug.l.1. de morib Eccl.tom.1

Verum quidem eſt,ſuæ ætatis morem à Diuo Auguſtino non leuiter commendari, quà è ſuarum manuum laboribus Apoſtolum imitatæ ſibi victum, & neceſſaria Moniales comparabant; quod idem nunc etiam temporis faciendum ab ijs eſſet, nec tamen idcircò exterorum amicitias colere ipſæ deberent, & multò minus ſacrorum virorum beneuolentiam aucupari.

Ad quartum iam incommodum explicandum accedo, quod in eo verſatur, quòd Confeſſarijs aptis deſtituatur Antiſtes,quorum prudentię, & pietati Chriſti ſponſas ſuaſque filias committat; vt enim in ſecundo Hiſpalenſi Concilio, quod Gratianus recitat, ſcribitur. *Tunc enim ſalubria Chriſto dicatis virginibus præbemus, quandò eis Patres ſpirituales eligimus, quorum non ſolùm gubernaculis tueri; ſed etiam doctrinis ædificari poſſint*: hac quidem in re multos ego Antiſtites commiſeror, qui hâc penuriâ laborant, & illud Virgilianæ Didonis vſurpare D licet.

Conc. Hiſpal... c.21. c.undecima 24.18. q 2.

Virgil.1. Eneid.

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.

Cùm enim ad mearum monialium inſtitutionem quatuordecim Confeſſarij pro totidem monaſterijs exigantur, difficile dictu eſt, quám crucier, & angar animo in illis inueniendis, & approbandis. Quòd ſi Philoſophiam, id eſt virtutum amorem profiteri arduum adeò, & excelſum opus eſt, vt ad paucos refe-ratur; qua propter Nazianzenus ait, *philoſophari, vt maximùm, ita difficillimum eſt, nec id aggredi multorum eſt*: quantò difficilius erit, vt quis cæleſtem philoſophiam edoceat, & mulierum cętum ad virtutum culmen adducat? qui fieri poteſt, vt imbecillis & rudis fęmina vitium à virtute ſecernat, eamque ei perſonam detrahat, quàm frequentiſſimè induit, vt hominum mentes decipiat, niſi

D.Gregor. Nazian.

ſapien-

sapienti simul, & pio magistro ducatur? quî fieri poterit, vt virtutem ipsam
A cæteroquin incognitam, & humanis ab oculis longè alienam, assequatur & attingat, nisi experto, & solerti Rectore gubernetur? quàm eim verè illud Senecæ pronunciauit? *virtus difficilis, rectorem, ducemque desiderat: Etiam sine magistro vitia discuntur.* Senec. l. 2. nat.qq.c.30

Verùm quos habemus lapides ad molem construendam, aptemus oportet; architecti est eos, quicumque sint, expolire, & ad perfectam amussim conformare. Vt Monialibus Confessarius præficeretur, optabat Diuus Hieronymus, *quem sanctitas prædicet, quem talem reddat & ætas, & vita, de quo etiam apud improbos, sinistra opinio haberi non possit.* Qui huiusmodi non habuerit, suo sibi labore tales adstruat, instructionibus, monitis, exemplis, librorum lectione, doctorum virorum collatione, alijsque in aptam & idoneam formam eos adduxerit: hoc sanè indicasse videtur ea Quarti Carthaginensis Concilij lex: *Qui religiosis fœminis præponendus est, ab Episcopo loci comprobetur.* D.Hier. in reg.monar. ch.10.7. Conc. 4. Carth.c.97 c.qui religiosis 11.18 q.2.

B Quiddam hic significare cogor, quo non semel molestissimè fui cruciatus. Si Confessarius ex imprudentiâ nimiùm familiariter cum Moniali aliquâ & præsertim iuniori versaretur, & cæteroquin aptissimus omnium esset, & ei par nullus vel difficulter admodum reperiretur, qui eius loco suffici & præfici posset, an reijciendus hac de causa ab Episcopo sit? quis hoc negauerit, ait Diuus Hieronymus, præsertim si de suo errore commonefactus ab eo non resipuerit do eius verba. *Si Sacerdos erga aliquam sororum ineptâ familiaritate videatur adstringi, nec emendari velit, remoueatur, etiam si vtilissimus, etiamsi necessarius loco sit. Nulla enim prævalet vtilitas, ex qua formidatur animarum periculum.* Delicatissimè tamen & leuiter, ne vel ad exteros, vel ad Moniales ipsas rei fama perueniat, & aliqua opportunitas detur, quâ tùm Confessarij, tùm Monialis bonum nomen denigretur. Mihi sanè quoties id euenit, curæ in primis fuit, vt occultissimè res tota procederet, & sponte, nullo tamen immixto mendacio, abeundi facultatem Confessarius ipse tanquam è re natâ postularet. D.Hier. in reg.monarch.

C

§ II.

Quatuor hisce capitibus pertractatis, adhuc alia ab Antistite peragenda supersunt, quibus suum ministerium expleat, & pulcherrimas hasce pupillas oculatus custodiat: eius igitur erit, frequenter eas inuisere, de laxitate aliquâ eas admonere, & quod potissimum est, totis viribus eniti, ne prauus aliquis mos, vel corruptela aliqua, qua religiosa lex & sacra vota obscurentur, inualescat; si namque quâcumque aliâ in re obstandum malorum principijs est, & serpentum capita elidenda, cùm adhuc tenerescunt & vagiunt, maximè hoc idem in hac causâ postulatur vbi difficillimum est fœminas, quæ tenacissimæ sunt, à semel susceptâ erroris labe remouere. c. Visitandi 18.&seq.18 q.2. Cant 2.15.

Sicut autem rigore & duritie non tantum Moniales non iuuantur, sed potiùs obdurescunt & exasperantur, sic etiam perniciosa ipsamet lenitas & benignitas erit, si fuerit immoderata: vt enim Diuus Ambrosius docet. *Nihil molliculum,*
D *nihil fractum ad laudem peruenit: Regnum Calorum cogitur, & cogentes diripiunt illud.* Religiosam Monialium disciplinam corrumpit, qui nimirùm illis indulget: Itá cum illis agendum nobis est, vt simul nostrum amore & timore corripiantur: ad nonnullas suas Moniales, de quibus inferius agetur, scribens Diuus Augustinus, de earum Abbatissâ monuit ea, quæ nos de Antistite ipso monemur. *Quamuis vtrumque sit necessarium, tamen plus à vobis amari appetat.* Expertus ego didici potissimam ad earum voluntatem flectendam vim haberi in sacris alloquijs & frequentibus concionibus, quibus Dei verbum in earum mentibus instillatur: validior etiam hec vis erit, si non Concionatorum tantùm opera adhoc Episcopus vtetur, sed suammet ipse ad hoc manum & vocem impenderit; in eo enim, quòd inspiciunt Episcopum tantum ad earum bonum & commodùm laboris suscipere, & paterni virtute amoris quamcumque molestiam superare, facilè D. Ambr. epist 82. ad Vercellen. Eccl. 9. D.Aug ep. 109.tom.2.

cilè eorum arbitrio indulgent, & leges, & præcepta licet duriuscula non rigori sed amori tribuentes, suos illis asportandis fallè humeros supponunt; Verùm A si contumacem, & refractarium animum in nostris legibus excipiendis præbuerint, experientiâ eâdem mihi constat, ad eam contumaciam perfringendam, validissimam rationem esse, si se indignatum Præsul ostendat, & alijs Monialibus (nec enim in omnes simul irritandum aliquid esse sapienter docemur) suam præsentiam liberaliter elargietus, ab ijs inuisendis abstineat; ipsam enim odij speciem in bonum, & amorem conuertere Charitas potest, & pati modo se matrem exhibet inter blandimenta, ac inter supplicia. Quàm bellè ad hæc

D Bern. ep.2. Diuus Bernardus. *Bona mater, charitas in Pastore, cum arguit mitis est, cum blanditur simplex est: piè solet sæuire, sine dolo mulcere, patienter irasci, humiliter indignari.*

His sanè artibus cum ingenti suarum Monialium vtilitate Diuus Augustinus se vsum enarrat: cùm enim in quodam è suis Asceterio tumultus ingentes exar-

D. Aug. ep. 109. tom. 2. sissent, & periculosis dissensionibus ex Abbatissæ cuiusdam electione monialium B animi scinderentur, ad ipsum repetitis Epistolis scripserunt, vt eas inuisere dignaretur, Abbatissam aliam magis acceptam præficeret; tam obsequiosas preces Diuus Antistes reiecit, illud asserens, quo simul vrebantur, & curabantur, ne scilicet suis ipse oculis seditionem illam inspectans, cogeretur ad seueritatem in illas exerendam, quibus paternam tantùm lenitatem exhibere statuerat; nec tantùm validissimam epistolam ad eas scripsit, vt pristinæ quieti illas redderet, sed alia insuper addidit ad religiosam disciplinam perfectè confirmandam, præcipiens insuper, vt semel in singulas hebdomadas ea epistola publicè recitaretur, vt in eâ tanquam in nitidissimo speculo suos vnaquæque mores, suam mentem posset agnoscere, & ad exactæ virtutis normam componere. Diuum ergo Augustinum semel imitatus, simili epistola Monialium animos non leuiter laborantes Deo adiuuante tam vtiliter, & fœliciter ad meliorem frugem excitaui, vt facillimum illis fuerit quædam amplecti, quæ permolesta & aspera prius ijsdem videbantur. C

Verùm si animi duritiem ad tam pias paternæ charitatis artes adhuc aliquæ souere statuerint, nullius sibi culpæ conscius illud vsurpare poterit, quod olim

D. Amb. ad virg. lapsam. Diuus Ambrosius ad Monialem suam scripsit. *Et certè non habes quod de nostrâ negligentiâ conquæraris: quodcumque enim ad officium Pastoris pertinet, & tibi, & omnibus non negatum est: dilectio spiritualis adhibita, commonitio sancta non defuit &c.*

In Eleemosinis erogandis munificum Episcopum fore.
Cap. LVII.

D

OCVLORVM quidem lumine cœcutiebat Homerus, & re verâ è tota Græciâ vnus fuit, qui superstitionum tenebris obsessus suæ perspicaciam intelligentiæ quàm longe porrigeret; hic igitur humanam vitam agnoscens, tùm aduersis, tùm prosperis rebus immixtam, & discolori quodam opere intertextam, non hæc vel fortuito euentui, vel astrorum virtuti tribuebat, sed supremæ omnium menti, quam Iouis nomine obuelabant, idcòque ad huius fores duas vrnas appositas fuisse commentus est, quarum vna fœlicitate exundans, aduersitate altera, nunc miseros, nunc fœlices homines efficiebat, in quos depluebant. In huiusmodi figmentum indignatus Themistius Homerum peracerbè castigans

Themi. or. 18. ait. *Neque enim vllum est in Cœlo malorum penu, sed potius cœlestium bonorum fontes, qui assiduè suppeditantur.*

Cœli profectò instar Episcopi domus fit oportet, è quâ ad populorum vtilitatem beneficia tantum eriuentur. Quòcumque terrarum Cœli beneficia se porrigunt,

A gunt, astrorum benignitas permeat, & lucis virtus irradiat; nec vlla tam sepofita specus est, quam non Cæli risus impleat, & commoda stellarum irriguo semper imbre fęcundent. Hoc planè modo munifica omnibus fit Antistitis domus, nullusque ferè sit, quem amantissima Episcopi manus effugiat; de sacris idem Principibus dicatur, quod de prophani: egregiè Symmachus ait, *Vt in hac vitâ positis, ac locatis, communis est cæli Spiritus, lux diei, ita clementiam maximi Principis sentiant vota, & facta cunctorum.* Simmach. l. 9 ep. 1.

Prætérquàmquòd ex ipso Pastoris titulo, quem in se ipso Maximus Dei Filius consecrauit, non vigil tantum suique gregis custodiendi sollicitus esse debet, sed opulenta etiam pascua cuicumque hominum generi accommodata subministrare beneficâ charitate tenetur.

Quid sanè aliud triplex mandatum, quo Petrum & omnes Episcopos in Petro ad suum gregem pascendum Christus obstrinxit, significat, *Pasce oues meas, pasce oues, pasce agnos*, nisi quòd triplici pascuo gregem suum enutrire & saginare B tenetur Antistes, iuxtà illud Diui Bernardi, *pasce verbo, pasce exemplo, pasce Sanctarum fructu orationum.* Pascua alia addenda his sunt, quæ in opibus ad egenorum subsidium erogandis consistunt; postponenda quidem cæteris alijs ista videantur, vtpote caduca & corpori tantum vtilia, sed cæteris illa præhabuit diuina luce illustratus Gregorius. *Primum nobis est, exteriora nostra misericorditer ouibus eius impendere.* De his igitur pascuis facturi sermonem ab eleemosynâ primùm ordiamur. D. Bern. ep. 201. D. Gregor. hom. 14. in Euang.

Haud quidem me fugit, ad animæ vtilitatem & commodum Episcopis potissimùm laborandum; haud tamen deserendi sunt ab eo pauperes, quorum cùm pater sit, eos filiorum loco fouere & custodire tenetur.

Animarum quidem Pastor ipse est, sed quæ adhuc corpori coniunguntur; vt enim solutæ ab eius vinculo fuerint, ab Episcopi etiam potestate absoluuntur; vtrique igitur subueniendum est, vt corpus simul & anima eius experiatur charitatem. Sanè vt Prætorij Præfecturam Cassiodorus attigit, ad Ioannem supre- C mum Pontificē hoc idem significauit his verbis. *Pascitis quidem spiritualiter commissum vobis gregem: tamen nec ista potestis negligere; quæ corporis videntur substantiam continere: nā sicut homo constat ex dualitate, ita boni patris est vtraque refouere.* Cassiodor. l. 11. ep. 2.

Potissima egenorum spes in Episcopi charitate statuitur, ex eius manibus vita pauperum pendet, ex eius largitate laborantium familiarum egestas recreatur, ex eius redditibus sibi beatitatem reddendam pauperes sperant.

Satis quidem in superiori huius operis parte docuimus, è sacris redditibus iuxtà primigeniæ Religionis morem, post ad victum necessaria sibi subministrata, pauperum egestati subuenisse Antistites, aliaque postmodum ad suæ Ecclesiæ vtilitatem impendisse. Id designasse videtur Isaias in eo sermone. *Vade ad Sobnam Præpositum Templi* loco harum vocum, *Præpositum Templi*, Septuaginta apud Diuum Hieronymum legunt. *Quæstorem, & dispensatorem thesaurorum domus Dei*; docuimus insuper, quatuor in partes sacros redditus distinguendos, quorum prima Episcopi ipsi inseruiat, Clero secunda, Vrbis & Diœceseos pauperibus tertia, sacrisque Templis vel ornandis vel construendis quarta, dummodò etiam è suâ parte aliquid peregrinis Antistes impertiat. Ad Lucaniæ, D Siciliæ, & Calabriæ Antistites hoc idem scripsit Diuus Gelasius Pontifex, & ad Neapolitanum Antistitem Paschasium, & ad Augustinum ipso imperante in Angliam profectum Diuus Gregorius Magnus. Isai. 22. 15. Baron. ann. 404. D. Gregor. l. 9. ep. 29. & l. 12. ep. 3.

Ex hoc ritu iam ferè penitus exoleto, censuit Cardinalis Baronius tot Orthodoxæ Religionis ærumnas & incommoda oriuari: in sacro enim codice habetur *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus*, quod idem etiam Regius Psaltes suâmet experientiâ comprobauit: *Cognoui, quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum*; Sacram opulentiam sæcularium diuitijs excreuisse insuper docui, quorum pietas in pauperum subsidium eas designauit, qui tamen Diui Bernardi ore de Episcopis meritò conqueruntur, quorum luxu superbiâque in delicias inanesq; apparatus pauperum patrimonium temerè dilapidatur. Psal. 13. Psal. 139. Baron. ann. 585. in fin. sup. p. 2. c. 31.

Illud

c. 3. 82. dist. Illud addo, quod in Aurelianensi Synodo, anno vigesimo supra quingentesimo exactâ, & inter sacros Canones relatâ, Episcopo impositum onus fuit pauperes A & ægros pro sua facultate subueniendi. *Episcopus pauperibus, vel infirmis, qui debilitate faciente non possunt suis manibus laborare, victum & vestitum (in quantum sibi possibile fuerit) largiatur.*

Conc. Gangren. c. vlt. Quin Gangrensis Concilij Patres ad nostras hâc in re vires exuperandas nos summoperè excitarunt his verbis. *Bona opera, quæ supra vires in fratres pauperes exercentur, secundum Ecclesiasticas traditiones beatificamus*, quibus Diuus Gregorius, vt è Canonibus sacris habetur, consonat, *Necessitatibus aliorum quantum possumus innuemus, & plus interdum quàm possumus.*

D. Amb. l. 2. offic. c. 21. c. plura 18. 86. dist. Concil. Aquisgr. Conc. Tri. sess. 25. de reform. c. 8. Conc. Rhe. & Turon. apud Baro. ann. 813. D. Pet. Da. l. 4. ep. 1.

Sanè in Concilio tùm Mansionensi, tùm Aquisgranensi, & demum in Tridentino hospitalitas Episcopali dignitati contexta fuit: in Rhemensi autem & Turonensi decretum fuit, vt conuiuas simul pauperes habeat & peregrinos Episcopos. *Meritò namque decet* (vt ad Albertum Antistitem egregiè Diuus Damianus scripsit) *vt exteri nostris pauperes præferantur, dummodo tamen non deserantur omninò peregrini.* Concordi demùm suffragio tùm plurium Conciliorum, tùm Canonum, tùm illustrium sanctitate & doctrinâ virorum, satis liquet, ea quæ ad B honestum Episcopi statum supersunt, in pauperum opem ab Episcopo sacrisque viris aliaque pia opera eroganda.

Giussan. in vita l. 7. c. 1 in fin. Splendido nimis apparatu cùm Diuus Carolus à Senensi Antistite fuisset exceptus, tam molestè eum habuit, vt licet ingenti imbre cælum scateret, eodem ipso vespertino tempore illinc abire voluerit, licet enixè ab Antistite Senensi rogaretur, vt aeris incommoda euitans, immorari ibi dignaretur; ipsi autem roganti respondit Sanctissimus Carolus, longiori se morâ nolle perniciem tam ingentem inferre pauperibus, quorum subsidio opes illæ essent vtilius, & honestius impendendæ: quàm benè perpendit hæc Magnus simul, & magnanimus Gregorius Pontifex, qui largitatem, quâ pauperum egestatem suis bonis erigebat, commendari audiens respondit. *Minimè mea: nam bona sunt Iesu Christi.* C

D. Gregor.

Prou. 16. D. Amb. or. de excess. Satyri. Quin in Episcopis non misericordiæ, sed iustitiæ liberalitas ista tribuenda videtur iuxtà ea sacri Codicis verba. *Initium viæ bonæ facere iustitiam*; quo etiam eam nomine Diuus Ambrosius Satyri sui fratris gesta scribens eam appellauit, cui etiam Diuus Basilius suffragari videtur, dum furti loco ea habet, quæ sibi sacri viri renaciter seruant, vel relictis pauperibus in superflua inutiliaque dilapidant. *At tu non ne spoliator es, quæ dispensanda suscepisti propria reputando? est panis famelici, quem tu tenes, nudi tunica, quam in conclaui conseruas, discalceati calceus, qui penes te marcescit, indigentis argentum, quod possides inhumatum: quò circà tot iniuriaris, quot dare valeres*: quod idem Diuus Augustinus edocuit, & Archiepiscopo Senonensi Diuus Bernardus validissimè significauit.

D. Basil. in Luc. 12. 18. D. Aug. ser. de temp. D. Bernar. ep. 42.

Quocumque tandem id modo fuerit, & vel iustitiæ, vel misericordiæ tribuatur, sanè iustitiæ inseparabili quodam nexu liberalitas est annexa, iuxtà illud Romani Oratoris acroama, qui de iustitia sermonem habens subdit. *Et huic coniuncta est beneficentia.* D

Cic. de off. tit. de iustit. init.

§. I.

Quin satis illud sit, misericordiæ hoc opus iucundissimum Deo esse, adeò vt in ipsâ pauperis persona se ipse idem agnoscat. *Esuriui, & non dedidistis mihi manducare.* Quæ verba, vt Diuus Chrysostomus offendit, illud expendit dignissimum, quod omnium animis indelebili nota insculpatur, hæc scilicet verba eodem fere tempore Christi ab ore fuisse prolata, quo in panem corpus suum conuertit. *Qui enim dixit, hoc est corpus meum, & simul cum verbo confecit, idem dixit, esurientem me vidistis, & non cibastis, & in quantum non fecistis uni illorum minimorum, nec mihi fecistis*: è quibus ipse arguit, gratius Deo opus esse pauperibus subuenire, qui templa quædam animata Dei

Matth 25. 42. D. Chrisost. hom. 5. in Matth.

sunt

sunt, quàm templa hæc lapidea exornare, & pretiosissimo cultu aras ipsas
A inducere.

Vlteriùs etiam Diuus Ambrosius progreditur; si namque opportunitas detur, D.Ambr.
sic ille docet, vel pauperes alendi, vel captiuos redimendi, vel iusta mortuis l.2.off.c.28.
persoluendi, si aliunde facultas non detur, sacri calices vendendi & prophanan- c.aurum 70
di sunt; Quod ipse idem exercuit, fateturque, odio idcircò se à multis affectum. 12. q 2.
Melius est enim pro misericordia causas præstare, vel inuidiam perpeti; quàm præ- D.Ambr.
tendere inclementiam: vt nos aliquando in inuidiam incidimus, qui confregimus va- d.l.off c.28
sa mistica, vt captiuos redimeremus. Hoc idem Diuus Augustinus exercuit, & ex c. pulchra
tam illustrium duorũ Antistitum exemplo se Iustinus Cęsar excitauit ad legem de 28.26.
hac re condendam, licet suæ Cæsareæ potestatis limites hoc faciens egrederetur. dist.
l. sancimus
27.G.de sa-
crosf.Eccl.

Illud etiam addo, magis hanc ergà pauperes pietatem, quàm vetera Prou.16.6.
sacrificia à Deo non tantùm diligi, sed pluris etiam æstimari; quod licet admi- Osee 6. 6.
randum videatur, suffragante tamen Nazianzeno apertè pronuncio. *Nullus om-* Matth.12.
B *nino cultus Deo perinde gratus est, vt misericordia.* Sic ille. 13.
D.Gregor.

Hinc habetur, quòd si ad Antistitem diuinus cultus potissimum spectat, eum- Naz or.16.
que pro viribus suis amplificare tenetur, tantundem etiam in pauperes beneficen- 1.Timo. 3.
tiam ostendat oportet: Aquinatis Magistri sententiam de hac re accipe, verba D. Th.2.2.
illa ex Apostolo explicantis, *Qui Episcopatum desiderat: Episcopalis operatio,* q.185.ar.1.
per quam vtilitati proximorum intenditur, principale & finale est illius status.

Hinc etiam oleo, quod misericordiæ symbolum est, Reges & Episcopos inun-
gi Deus statuit, quod idem designasse videtur Deus in Sanctuarij ianuis ex oleæ
ligno contextis, & aureis cardinibus innixis.

Eandem etiam ergà pauperes largitatem Dalmatica ea significat, qua inter Aemar.
sacra solemnia Episcopus ad ornamentum se induit, nec aliud indicat, quòd ante Henr q. de
altare sacrosanctam hostiam Deo litaturus se induat & exuat Antistes, nisi quod Cęrem sa-
sacros sicuti redditus ab Ecclesia Antistes accipit, sic eidem Ecclesiæ eiusque cr mys.
maximè pauperibus reddat oportet, eos non imitantes, qui ad altare se vestien-
C tes, se domi expoliant, in suos consanguineos collectas opes deuoluentes.

Hac certè de causa Diuinus Spiritus, cuius arbitrio sacra Respublica compo-
nitur, cælibes sacros viros instituit, vt nempè filijs destituti, pro filijs pauperes Sup. par. 2.
alant; eisque, vt superiùs diximus, victui necessaria subministrent. Libani ce- c.45.
drotum instar Episcopos esse dixeris, quorum ramis volucres incumbant, nidos- Ps.113, 18.
que suos intexant, hoc est pauperes fulciantur, & nutriantur. Matth.6.
30.

Quapropter licet viris eleemosinæ deditis Diuinus Magister præceperit, vt ad
meriti iacturam euitandam secreto eleemosynas erogent, hoc tamen, vt post
Diuum Gregorium Gerson etiam egregiè adnotauit, tribuere sibi non licet Epi- Gerson.p.2
scopis, qui ad populis exemplum pietatis suæ præstandum, non licite solùm pu- opusc.de
blicè impertiti eas possunt, sed ad suæ dignitatis decus, suumque munus explen- reper.&mo
dum tenentur id facere; ad ipsos enim conuersus Christus Dominus pronun- dest.Prę|.
ciauit. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, &* Matth.5.16
D *glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est:* dummodo tamen piâ mente ad Deum
dirigantur, & inani gloriolâ irretiri se non permittant, quâ se Bonifacius Rhe-
giensis Antistes infęliciter implicauit, quem iure merito è largitate in pauperes
luculenter commendat Diuus Gregorius, & simul etiam impensè damnat ex D.Gregor.
huiusmodi gloriæ aucupio, quam perbreui perituram acquirens indefectaram l.2.epist.4.
cæli mercedem amittebat. indi.25.

Ad hoc validè Episcopos teneri Christus idem Dominus lucidè indicauit, cùm Ioa. 6.5. &
ad gentes in solitudine nutriendas à Philippo petijt, vnde nam panis esset haben- infra.
dus. Apostolorum enim manu voluit, vt illis victui necessaria suppeditarentur,
vt ostenderet, Apostolorum esse eiusque Successorum, pauperum egestati con-
sulere; hoc sanè tam egregiè Apostoli omnes percepere, vt Paulum & Barnabam
ad Ethnicos diuino verbo erudiendos & illustrandos mittentes, eis præceperint,
ne pauperum susceptam gubernationem omitterent, quod Paulus idem enar-
rans, se fideliter executum pronunciauit: *Tantùm vt pauperum memores essemus,* Galat.2:10
quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. Præcepto sanè huic tàm sollicitè & re-

1. Corin. c. vlt. 1. 1. Act. Ap. c. 16. Tertull. in apo., c. 39 ligiosè satis Apostoli fecerunt, vt licet ad fidem Catholicam disseminandam elaborantes, tantoque in opere perficiendo distracti, opes tamen quas collectas vocabant, & Tertullianus appellat *Deposita pietatis*, egenorum paupertati subleuandæ destinatas, congerebant, congestasque pauperibus erogabant. Hæc autem non tantùm pietati submouendæ nō perniciosa, sed salutaria erant, tum quia in tam benefica charitate cognoscenda, Catholicæ Religionis amori se arctiùs Christiani obstringebant, eiusq; magistros impensius diligebant, tum etiam quia Ethnici optimum hac exemplum inspectantes, ad nostram fidem amplexandam promptiorem animum exhibebant; hac sanè ratione ingentem eorum numerum, Baron ann. 348. qui Donati erroribus adhærebant Constantius Cæsar ad Orthodoxā Religionem reuocauit, eò quòd perpenderent, omnimodam ibi esse sanctitatem, vbi tam liberalis beneficentia enitebar. Merito igitur Diuus Gregorius Episcopos admonuit, D.Greg. 2. Past. c. 7. vt si è sacris, quibus populos instruunt, sermonibus, optatum percipere fructum voluerint, eorum animos opibus erogatis disponant oportet, ne illis præsertim pauperes obsurdescant. *Quorum nimirum prædicatio plerumque despicitur; quia dum delinquentium facta corripiunt; sed tamen eis necessaria vitæ præsentis non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur, &c.* quod ipsemet Pastorum 1. Pet. 5. 2. Princeps edocuisse videtur ijs verbis, *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.*

D.Greg. l. 12. Ind. 7. ep. 17. c. 1. de donat. De Asclepiodoro Patritio Gallici Imperij primario administro pergratè D. Gregorius accepit, ad pauperum defensionem propensum maxime esse, ijsque adiuuandis suam operam alacriter dare; ad eum igitur scribens, & de tantâ pietate ipsi gratulatus, aureum illud acroama exarauit, sacros inter Canones posteritati mandatum. *Hanc sibi quodammodo nobilitas legem imponit, vt debere se quod sponte tribuit existimet: & nisi in beneficijs suis creuerit, nihil præstitisse se reputet:* quantò igitur arctiùs hanc sibi legem præscribere tenetur Antistes tùm è dignitatis præstantia, tùm è paterno amore alijsque suprà memoratis nominibus? quantò alacriùs in opere tàm excelso suam collocaturus est operam?

Maximum hoc præ alijs opus est, quo pietatem suam exercere potest Antistes: gemma est, cuius radijs Episcopalis ipsa thiara splendescit, ipsamque dignitatem exornat, & coronat. Quid aliud est, ad pauperum ærumnas subleuandas opes impendere, quàm triumphus quidam, quo se animi excelsi suprà calcatas opes deuictasque diuitias gloriosissimè ad æternitatem vsque se extollunt? Quàpropter D. Bernar. ep. 100. Diuus Bernardus ad Episcopum scribens ait: *Hoc planè decet Episcopum, hoc sacerdotium vestrum commendat, ornat coronam, nobilitat dignitatem, si quem ministerium prohibet esse pauperem, administratio probet pauperum amatorem:* adeò vt, si dignitates affectare liceret, non alio animo exoptandæ, amplexandæque essent, quàm ad beneficentiæ materiem habendam, viamque subueniendi alijs conferendam; nihil sanè aliud excelsius, nihil felicius in Alexandri Magni felicitate potentiaque Demosthenis eloquentia æstimauit quàm alijs opitulari; Demost. orat. *Nihil in fortunâ tuâ maius habes, quam vt possis, nihil melius, quàm vt seruare, & benefacere velis.* sic ipse.

1. Reg 12. 5 Tunc se Regali diademate dignissimum Saul comprobauit, cum rure rediens, populique Gabaan mæstitiem inspectans, rationem inuestigans ait. *Quid habes populus, quid ploras*; vt autem eam accepit, mestitiæ nubes deleuit, ærumnasque beneficijs profligauit: tùm maximè infularum diademate dignum se Præsul ostendit, cùm populorum incommoda, egestatem, calamitates exquirit & erigit. Quàm venustè hæc ad Episcopos instruendos explicans Diuus Gre- D.Greg. in 1. Reg. 11. gorius, ait. *Bonus igitur Doctor manè de agro venit, quia oriente sibi splendore veri luminis, subditorum causas inquirit.*

Vt aliorum necessitates Antistes agnoscit, ad eas expellendas excitatur, ex auribus ad cor magisterio charitatis facilè calamitas progreditur, & è cordè ad manum, & è sua manu ad pauperis manum cum pecunia transit, vt simul cum Traiano commendari Antistes de eo possit, quod splendido præconio de tanto Cæsare pronunciauit Orator florentissimus. *Tam velox Cæsar potentia tua est, tamq;* Plin. in panegir. *in omnia pariter intenta bonitas, & accincta, vt tristius aliquid sæculo tuo passis, ad remedium salutemque sufficiat, vt scias.*

§. II.

A

§. II.

EX aduerso autem, tunc se sacris infulis maximè indignum præstat Episcopus, cùm ad pauperum necessitates repellendas lento vanoque gressu procedit; eam certè satis dehonorat,& à se excutere videtur dignitatis sanctitatem, quæ cum beneficentiâ ergà pauperes inseparabili quodam nexu coniungitur. Quàpropter, cùm idoneorum Antistitum normam Timotheo, Titoque Paulus designarct, vtrumque admonuit, vt de Antistite eligendo potissimùm perquireretur, an in opibus impertiendis facili largàue manu, vel arctâ & tenaui vteretur, adeoque, ni eum inuenissent, *hospitalem non cupidum* omninò reijcerent, & adulterinum veluti fœtum reprobarent. Hæc Landulphus expendens, magnum quid ex hoc arguit, quód scilicet ni liberales viri ad tantum sacerdotium efferantur, timendum valdè sit, quòd non volente sed permittente Deo cupidi auarique in Antistites eligantur, facilique rerum terrenarum cupiditate ad sacra ipsa cum auaritiæ fœditate gubernanda adducantur. 1. Tim. 3. 23. Tit. 1.7. Landulf. de vita Christi p.2.c.15. in fin.

B

Hinc, cùm Diuus Gregorius solerter, & anxiè de suo more peregrinos Romam accedentes examinaret de opibus in eorum subsidium ab Episcopis erogatis, vt audiuit Marianum quendam Episcopum, sua paupertate ostentata, nihi eis penitus impertisse, non leuiter perturbatus ait. *Miror si is, qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare non habet*. Itaque ad Secundinum scribens, vt sacra lectione saluti suæ prospiceret, vt precum studio opum etiam vires sociaret, & Episcopi titulum piâ beneficentiâ comprobaret. *Dic ergo ei, vt cum loco mutet & mentem: non sibi eredat solam lectionem, & orationem sufficere, vt remotus studeat sedere, & de manu minimè fructiferare: sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat: quia si hæc non habet, vacuum Episcopi nomen tenet*. Loquentem tantum Pontificem audisti.

C

Quin ne nomine quidem Episcopi decorandum, eum esse, Sanctissimus idem docuit Pontifex, ea perpendens, è quibus cælestis Magister voluit, vt à vero Pastore mercenarius distingueretur. Pastoris enim est, vt opes suas ad ouium primò vtilitatem impendat, & si necessitas postulauerit, vitam ipsam effundat; è quibus philosophatus *ad hominem* cùm longè vita viliores quæcumque diuitiæ sint, ait. *Qui non dat pro ouibus substantiam suam, quomodo pro his daturus est animam suam?* An maiora dederit, qui minora deneget? qui diuitias tenaciter seruat, an vitam largus effundat? qui Christi ouibus ipsasmet Christi diuitias subtrahit, quinam sanguinem suum vltrò concesserit? huiusmodi, si dentur, Præsules, tanto Pontifice docente, *merito nomen Pastoris deperdunt*. D.Gregor. hom. 14. in Euang.

Alia longè maiora Diuus Chrysostomus addens ait, quòd sicut pretiosissimum quid, & maximè splendidum misericors homo est, sic ex aduerso, si virtute hac destituatur, ipsummet humanitatis censum videtur exuere, & speciem belluinam induere. *Magnum enim homo & pretiosum, vir misericors; itaque nisi hoc habeat, desijt esse homo*. An non indignum se præbet capitis honore, qui, vt egestatis lue tabescant membra, permittit? Sanctum Malachiam Antistitem pro suâ dicendi vi Diuus Bernardus commendans, grauiter conqueritur, eò quòd ab eius vestigijs longè suæ ętatis Antistites distare conspiceret: ille enim ne quidem de suis erogatis opibus contentus, è diuitum penu ad pauperum solatium opes alias hauriebat, cùm iam ad diuitum luxum fouendum, & beneuolentiam aucupandam è pauperum marsupijs diuitiæ extorqueantur. D.Chrisost. hom. 33. ad pop. D.Bern. in vita S. Malachiæ.

D

Ex Asylo, quod in vrbibus Leuiticæ Tribus ad transfugas excipiendos aperiebatur, Episcopos instrui sacrosque viros, ad pauperes sacris prouentibus subueniendos, Stephanus Cantuariensis Episcopus docet. Quapropter, vt ex Architę sententiâ idem omninò erat Iudex ac Arca, cum æquè ad vtrumque necessitate impellente confugiamus, aptius dicendum mihi videtur, pari quoque mensurâ habendam Ecclesiam & Episcopi domum, cum eâdem facilitate pauperum egestatem vtraque erigere teneatur. Apud Titelman in allegor. ad Num. c. 33. 3.

Lac suis in vberibus sibi seruare, eaque ad filiorum alimentum obstruere, vel ad alia inutilia euoluere, vberrimas lachrymas ab oculis Hieremyæ Vatis extorsit, cùm proferret, *sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos; filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto*. Lamia, Philostrato referente, sæuissimum animal est, sed eò vsque cum catulis suis lene ac humanum, vt illis ad omnem saturitatem lac subministret; ex aduerso quis crudelem struthionem inficietur, qui suamet oua fouere recusans, Solis ardore coquenda ea obijcit, pullosque suos veluti adulterinos repellit. An non *quasi struthio* Episcopus ille fuerit, qui cum pauperum pater è suo munere sit, sacrorum censuum alimenta eis denegans, lamiâ ipsâ se crudeliorem præstat. Quid Episcopalis nominis sanctitati perniciosius, quid Orthodoxæ Religionis candori magis infestum, dum non Ethnicorum tantùm & Hæreticorum probris & obtrectationibus, sed nostris ipsis populis nos obiectant turpissimè lacerandos. A

Tren. 4. 3. Philost. l. 4. de vita Apollonij.

Quam ad rem accommodata ea mihi videntur, quæ ad Mainardum Vrbinatem Præsulem scribens Diuus Petrus Damianus refert; cum enim Saxonum exercitu deleto, eorumque Rege capto, Carolus Magnus inter victoriæ gaudia conuiuam secum Regem captiuum irâ excepisset, vt excelsâ sibi mensâ se collocans, captiuum Regem in minori aliâ mensâ apponeret, & aliquot pauperes humi assidentes haberet, Saxonum Rex Proceri cuidam præcepit, vt Carolo significaret, quòd si pauperes Christi speciem gerentes tam abiecto, vilique loco ab eo habebantur, quânam confidentiâ auderet, vt nos met ipsos ei subijciamus. Erubuit ad hæc Carolus & ingenti ad hæc hortore perculsus, habuit quæ ab Ethnico, tanquam ab Apostolo, in sui documentum hauriret. B

D. Pet. Da. l. ... epist.

Verùm, si prophanum & triumphantem Principem, quique singulari suæ pietatis specimine pauperes secum conuiuas haberet, tam acriter Princeps ille increpauit, eo solùm titulo, quod humi assidentes suæ paupertati, non Christi quem præferebant sanctitati se accommodarent; quid nam, rogo vos, de Episcopo eo dixisset, qui sacros sibi census retinens, pauperes ab eis repellat? quod si ad Saxonis verba tanto pudore suffusus Carolus fuit, quanto nam rubore, in extremæ vitæ articulo illi obtegentur, quos de tàm palmari duritie Dœmonis furor castigauerit? si bellici Ducis fama denigrata aliquatenus eo titulo est, an non Episcopi fama sordescet ad pauperum ærumnas immisericordis & duri? C

Verùm sileat fama sic ad Theobaldum Episcopum Diuus Bernardus scribit, pauperum fames ipsa loquetur, quorum lachrymis & questubus Cælum & Diuinum Tribunal vltionem poscentibus personabit.

D. Ber. ep. 42. ad Archiep. Simonem.

Senedrin Senatores, licet omnium flagitiosissimi, statuerunt, quòd triginta argentei, quos restituit Iudas, eò quòd è pretio Christi sanguinis essent, non in ærario seruarentur, sed ad peregrinorum subsidium adscriberentur. An non his nequiores illi essent Antistites, qui è sacris opibus, quæ pretium Christi sanguinis sunt, & à Diuo Bernardo *Patrimonium Christi* vocabatur, quod ideò *non licet mittere in Corbonam*, vel vt suũ ærarium, vel suos consanguineos pauperibus omissis locupletarent? Quin ijs ipsis comparandus hic Antistes est, qui Christum Dominum, proh scelus! affligentes, eius vestes sibi mutuò diuiserunt. E Beati Laurentij Iustiniani calamo hæc habes, sic ex eiusdem Seruatoris ore alloquentis. *Scito Crucifixores meos hoc in loco Pastores, animarumque Rectores, & Ecclesiæ significare ministros, sua non mea quærentes: isti thesauros meos, quos in Cruce confixus acquisiui, membris meis pauperibus irrogandos, consumunt, & deuorant: tanquam patrimonio proprio meis abutuntur diuitijs, inter se vestimenta mea diuidentes, &c.* D

Matth 27. 6

D Bern. l. 4 de consid. ep. vlt. D. Lauren. Iust. de triumph Christ agon. c. 17.

Sicut igitur ex eodem Nilo, è quo chrystallinas vndas Dei populus, & sanguineas fœdissimasque gens Aegyptia hauriebat, sic propè ex eodem sacrorum prouentuum flumine, quo populi commoda, gentiumque sibi subiectarum beneficia probati Antistites colligunt, auari cupidique Pastores ne dicam, an mercenarij, sanguinem potius exprimunt; sibi etenim ipsis, vel consanguineis suis sanguinem pauperum retinent, quibus illum debent, vt Christi sanguinis pretium.

Ne

Ne igitur mirere, si ad tantæ impietatis vltionem fulmina sua Cælum intorqueat? Miserrimus hæc Antistes Voltirus nomine euulget, qui cum quinquennij spatio ingentem frumenti vim, ad maius inde pretium postea colligendum, pauperum egestatem oblitus, coacervasset, horrea reserantibus administris, tam immanis horrendaque serpentum ex illis copia exundare visa est, vt exterriti omnes fugæ se dederint: cùm autem alij præstantiores animo viri illuc mitterentur, tam abominandum ex eis cruciantem fœtorem percepere, tamque horrendas minas Antistitis nomen ferientis exceperunt, vt primos imitati fugam & ipsi arripere coacti fuerint, donec ne fœdissimâ graueolentiâ vitiaretur aer, congestum omne frumentum flammis absumendum dederint, & vna cum eo insanientis Episcopi spes ignis gestiens deuorauerit.

In addi. ad Baron. ann. 1234.

Longè etiam acerbius supplicium fuit, quo Moguntinus Antistes Otho mulctatus fuit; hic enim, cùm pauperes auersaretur, eosque vt alienarum opum consumptores mures appellans reijceret, exundanti murium colluuie aggressus illicò fuit, quorum vim euitare nullatenus in suo palatio valens, cum Pharaonis ranarum instar vndique enascerentur, & ebullirent, cubile, mensas, sedes, atria, occupantes, ad Turrim confugit, quam in medio Rheno statuerat, penitus à continenti diuulsam, militibus munitam, firmissimisque firmatam obstructamque repagulis; quæ tamen omnia diuina indignatio superauit, muribus etiam illuc vndique irrumpentibus, adeò vt miserrimo horrendoque interitu eorum morsu laceratus obierit, anno Christiani imperij quarto decimo supra nongentesimum.

Munster. l. 3. Cosmog.

Ne igitur Domini mei Collegæ, nostrum nomen, dignitatem nostram Dei beneuolentiâ nobis commissam obscuremus. Episcopi vocamur & sumus: ne igitur ad pauperum egestatem torpeamus & caligemus. Patres sumus; nostros ergò filios diligamus: Pastores sumus: ergò greges nostræ beneficentiæ pabulo nutriamus; quantum in nobis crimen esset, si thesauris congerendis, & ad inutilia opibus expendendis nostris dediti, pauperes desereremus, quibus non rarò necessaria victui desunt, & præ rubore non alibi conquirenda videntur; deforme & monstruosum esset, vt alijs deficeret quo nos abundamus. *Grandis culpa, si sciente te fidelis egeat; si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti: qui præsertim egere erubescat*, sic Diuus Gregorius inter sacros Canones relatus. Hanc autem rationem, quâ cæteris pauperibus præferendi sunt ij, quibus à sui gradus conditione mendicare non licet, satis probauit, teste Cardinali Baronio, Atticus Constantinopolitanus Antistes, cuius vestigia prosequi omnes deberent.

D. Ambro. l. 1. de offic. c. 30. c. non satis 14. 86. dist. Baron. ann. 425.

Quòd si tenues fuerint sacri prouentus, & pauperum numerus ingens, non ideò deserendi nobis essent; si plura impertire non licet, dare pauca liceat, & beneficij tenuitas animi charitate compensetur; hæc enim apud Deum in pretio est, Deumque ipsum nobis obstringit; elegantissimè enim Arelatensis Antistes Cæsarius pronunciauit, *Non copia largitatis pascitur Dominus, sed beneuolentia largientis*. Diui certè Ambrosij sententia est, Theologorum suffragio roborata, satius esse pauca pluribus, quàm plura paucis impertiri, vt charitatis dona plures percipiant, & in multos data munera effundantur. Nullus à nobis indonatus omninò abeat, cum prophanis ipsis viris hoc faciendum Diuus Gregorius significet: *Ne omnino nihil eis præbeant, quibus conferre aliquid paruum debent*. In solemnioribus etiam festis largiorem nostram pietatem pauperes experiantur, eâ planè mensurâ, quâ liberaliorem se Deus eo tempore nobis impertit. E Diui Augustini mente hoc habes sic alloquentis. *Natalis Christi imminet, pascendos compauperes nostros habemus, & cum eis communicanda est humanitas*.

D. Cæs ho. de quadrag. tom. 5. D. Ambr. l. 2. off. c. 21. D. Th. 2. 2. q. 32. art. 10. D. Greg. 3. pastor c. 2. D. August. hom. 25. to. 10. 474. c.

Addere his illud mihi liceat, quo acutissimo veluti stimulo liberalitatem in pauperes assequi deberemus, quòd scilicet, Turcæ ipsi, dum superstitiosis ieiunijs vacant, opiparas & splendidas mensas pauperibus exhibent, quibus optima quæque subministrant, eò quòd ad Dei conspectum afferri credant, & doceant.

Guil. Postel. in rel. cor. quæ vidit apud Turcas.

Ad

Ad hæc confirmanda, exempla afferuntur, Cap. LVIII. A

COmpertum satis Episcopis omnibus arbitror, quàm arctè ad subsidium pauperibus præstandum non vt Christiani tantùm, sed vt Pastores obstringantur, animoque illis adhærere debeat, in populorum charitate excellentiam suæ virtutis inniti; quia tamen maximi momenti hoc est, alia ad id confirmanda tùm præsenti, tùm proximè instituendo capite proponamus. Nunc autem velut in christallino speculo exempla nobis inspicienda obijciam, quibus viri sanctissimi benificentiæ viam nobis calcandam aperuere: egregiè enim, vt asso- let Seneca ait: *Longum iter per præcepta, breue, & efficax per exempla.*

Senec ep.6

Gabriel. Sáctuar.77.

Cælum esse sanctos viros Diuus Chrysostomus arbitrabatur, eò mundano hoc Cælo illustriores, quó syderibus, quibus hoc scintillat, virtutes, quibus illi efflorescunt, antecellunt: hoc tantùm sibi discrepant, quòd cum ad Cæli conspectum oculos erigo, lætitiâ totus affluo, cum verò Sancti viri sub aspectum cadunt, lachrymas cohibere non possum, cùm recogitem longissimè me ab eorum virtute recedere. Sic ille: hæc autem quæ præ piæ humilitatis vbertate de se ille exaggerabat, veritate compellente, fateri ego vtique teneor, si præsertim de amore & beneuolentiâ, quâ nostrum gregem prosequi tenemur, sermo agatur, cùm tenuis & frigida satis ea in me sit, nec comparari ne leuiter possit illi, quâ tot Antistites sanctissimè exarserunt; sanè nullus vnquam fuit, qui vel mediocrem gradum sanctitatis attigerit, quem liberalitas in pauperes non exornaret. B

L. r. de Ep. scop. audien.

Hinc Iustinianus Cæsar virtutem hanc in quolibet Præsule statuendam agnoscens de omnibus indiscriminatim ait, *Quorum verus cultus est adiuuare pauperes, & positos in necessitate.* C

Prolixissimus tamen & morosus videar, si vel omnes, vel plerosque enumerare hic vellem. Diuum omitto Basilium, qui sibi tám auarus, pauperibus tàm largus erat, & tàm amans paupertatis cultor, vt Modesto Valentis Cæsaris Præfecto minitanti se eum facultatibus omnibus spoliaturum, inuictè responderit, nullâ se spoliari re posse, qui sibi nihil haberet, nisi fortè laceras eas vestes, quibus necessitati consulens tegebatur tenuesque libellos aliquos ei surripere vellet, quibus tantùm suæ diuitiæ nitebantur.

D.Gregor. Naz. orat. de laud. Basil.

Diuus verò Nazianzenus hæc referens Basilium suum tùm in cæteris, tùm in hac virtute adamussim expressit; suis enim cunctis opibus largissimè in pauperum sinum deuolutis, se ipsum vocare germanè potuit *volucrem in sublime volantem*, suamque sanctissimam parentem Nonnam egregiè fuit imitatus, de quâ ipse idem refert, *Ducebatur immodico amore largiendi: cui ne Atlanticum quidem pelagus, aut si quid aliud maximum est, ad exhauriendum sufficere potuisset.* Adeò autem eius erga pauperes amor se porrigebat, vt non suas tantum opes, at suammet vitam suosque ipsos filios in eorum auxilium venales habuisset, vt eorum pretium in egenorũ opem posset erogare: felicissimam enim verò dominam, quę ingeniosè & piè suas opes negotiari sciebat! matris etiam & fratris exemplum imitata etiam Gorgonia soror, eodem Gregorio narrante, *Nihil terræ præter corpus reliquit, omnia cum alterius vitæ spe commutauit: has vnas liberis suis opes reliquit, nempe sui imitationem, & eiusdem laudis studium.* D

D.Gregor. Naz carm. de vita sua. D. Gregor. Naz.or.19.

D Gregor. Naz.or.10.

Nolanum Præsulem Paulinum prætereo vbique terrarum, & gentium pauperum amore commendarissimum; vt enim de eo loquens Diuus Augustinus ait, *fuit ex opulento diuite, voluntate pauperrimus, & copiosissimè sanctus:* & ad maiora progressus, ad redimendum è barbarorum potestate captiuum quendam, se ipsum captiuum dedit fecitque venalem.

Ipsum etiam Augustinum præterire licet, qui moriturus è testamenti molestiâ fuit immunis, suis omnibus bonis in pauperum commodum iam deuolutis.

A uolutis. Augustini Magistrum Ambrosium hic quoque prætercam, qui eò vsque eximiæ charitatis ardore succensus deuenit, vt reluctante licet Clero sacra ipsa vasa, sacros calices ad Christianos captiuos redimendos vendiderit, & sanctissimâ largitate diffuderit.

Possidon. in eius vita.

Quid de Diuo Chrysostomo dicendum? vnum illud dixisse sufficiat, quòd ad detractorum aculeos retundendos, & effringendam audaciam maleuolorum, qui eum tanquam sacrorum bonorum decoctorem in eleemosinis faciendis obiurgagant, modestè simul, & intrepidè pronunciauit: verba eius accipe. *Hæc Ecclesia vnius diuitis non valdè locupletis fructus colligit: at cogita tecum quot viduis, quot pauperibus quotidiè succurrit: iam enim numerus eorum in catalogo adscriptus ad tria millia ascendit.* Quem profectò tanta pauperum turba non terruisset? illud etiam adde, *sed præterea multis, qui carceres habitant, auxiliatur; multis in hospitali laborantibus, multis leprosis, multis aduenis, multis qui quotidiè ad petendum accedunt, & omnibus, qui altari assistunt, cibaria & indumenta præbet.* Quinam autem fieri B poterat, vt tam exigui reditus tam multiplici opere diuiderentur? profectò multiplicanda hæc eo modo essent, quo panes olim ad gentium alimentum Christi Seruatoris prodigiosâ charitate succreuerunt: *Et tamen Ecclesiæ opes non sunt imminutæ*: tanta sacrorum censuum profusio perniciosa nullatenus sacræ substantiæ fuit, siquidem pauperum amatori maiora danda Deus ipse suppeditat.

D. Chrisost. ho. 67. in Matth.

c. Pulcharum 86. dist.

Rhotomagensis etiam Præsul Diuus Ansbertus hoc idem prodigiosè expertus fuit; nec enim suos tantùm pauperes vestibus, & cibis abundè fouebat, sed in exteros etiam alios suæ largitatis famâ ad eum affluentes, suam pietatem eriuabat; hospitio peregrinos omnes excipiens splendidè eos habebat, & nunc vel ad mensam socios eos habere, vel ad mensam eis inseruire promptissimè dignabatur.

Sur. 9. Feb.

An non prodigii loco videtur esse, quòd Niuernensis Antistes Guglielmus C duo pauperum millia in singulos dies, hoc est Christi exercitum enutriret.

Ber. chron. Rom Pont. an. 1117.

Indefinito vndique mari me immitterem, si Diui Gregorij Magni largissimam pietatem hîc ego explicandam aggrederer. In Bibliothecæ Vaticanæ pluteis adhuc ingens pauperum numerus seruatur, quorum egestati non è Romanâ tantùm vrbe eiusque Diœcesi, sed ex omnibus ferè sibi subiectis vrbibus subueniebat; in immensum propè excedunt sacræ opes, quas ille quotidiè, & solemnioribus præsertim diebus impertiebat; dapem eam quis nesciat, quam ante mensam ad omnes Romanę vrbis ægrotos pauperes mittebat; pauperes rursus eos quis nesciat, quos vel conuiuas secum habebat, vel quibus inseruiebat; e quibus semel cælestem spiritum habuit, & alias ipsummet seruatorem Christum, qui se illi præbens inspiciendum, ait *Cæteris diebus me in membris meis, hesternò autem die me in memetipso suscepisti.* Profectò tanquam ærarij Pontificij decoctorem Sabinianus Pontifex eius successor eum omnibus representauit, sed breui suæ temeritatis pęnas luit.

Vide eius homil. in Euang

Baron. ann. 603.

Sanctissima Pontificis huius charitas proximo inde sæculo in Diui Ioannis Alexandrini Antistitis animum videtur immigrasse, cuius liberalitas tanta D fuit, vt Eleemosinarij cognomento celebretur. Vrbis suæ pauperes omnes, quos suos Dominos appellabat, enumerari ipse curauit, & cum ad septem millia, & quingenta capita peruenirent, in singulos dies eis necessaria suppeditabat, largasque alijs etiam opes secreto munere corrogabat: calamitosissimum inde sæculum nactus fuit, nominique Christiano lachrymandum, quo Cosroæ Regis Persarum armis Palestinâ subactâ, & Hyerosolimæ vrbe occupata, miserrima vbique egestas grassabatur: quàpropter eius charitatis opus fuit, Christianis innumeris ex omni gradu, sexuque delectis, Clericis, Monacis, Monialibus, Episcopis, Proceribus opitulari, captiuosque multos redimere; ad extremam redactus semel egestatem mille auri libras mutuò accepit, quas statim ad indigentiam populorum erigendam impendit, eòque deuenit, vt vestem dono ipsi datam venalem haberet; finis nunquam dicendi daretur, si singula omnia tanti Præsulis explicare mens esset; satis illud fuerit, eas eleemosinas ad octoginta

Ex Sur. 23. Ianuar.

ginta octo auri librarum millia peruenisse, vt è suomet testamento quod referre placet satis patet. *Ioannes humilis quidem seruus seruorum Dei, propter autem mihi impositam Pontificatus dignitatem, gratia Christi liber. Ago tibi gratias Domine Deus meus, quod me dignum censueris, qui tibi tua offerrem, & quod ex mundi bonis nihil aliud sit mihi reliquum, nisi tertia pars nummi, quam ipsam iubeo quoque dari pauperibus, qui sunt mihi fratres in Christo. Quandò enim Dei permissione creatus fui Episcopus Alexandriæ, inueni in meo Episcopatu circiter octo millia librarum auri; ex oblatione autem piorum, collegi denis millibus plures his pecunias, quas cum cognouissem esse Christi, Christo etiam dare volui, cui nunc quoque trado animam meam.* A

D.Gregor. l.o. ep.9. In suę Syracusanę Vrbis &[Diœcesis pauperes largissimum se Ioannes Antistes præbebat, & ad Diuum etiam Gregorium Pontificem vim pecuniæ ingentem identidem mittebat, vt Romanis egenis impertiretur.

Sur. 2. Iulij. In peregrinos & pauperes beneficus adeò erat Diuus Cæsarius Bambergensis Præsul, vt ex ingenti sacrorum prouentuum copiâ, id tantùm sibi seruaret, quod B rudibus & vulgaribus cibis sibi victum subministraret, adeò vt semel religioni duxerit lucciũ sibi exhibitum edere, & pręceperit, vt ad ęgrotum deferretur pronuncians suæ corporis habitudini seruandæ aptiorem panem solum fore; ex eius itaque domo pauperes, viduæ, peregrini, orphani tanquam è suæ beatitatis emporio continuo quodam fluctu egrediebantur.

Nulli pariter cedit Diuus Exuperantius Tolosas Episcopus, qui totam auri argentique, qua præstabat molem, in pauperum beneficium eriuans, eò vsque deuenit, vt sacrosanctam Domini hostiam in viminea quâdam cistula deferret, quocumque aureo & gemmeo calice pretiosiori; gaudebat ni fallor, Christus Dominus iterum in pij Præsulis manu paupertatem pati, vt laborantes egestate filios adiuuaret. Quàm meritò igitur Diuus eum Hieronymus hoc stylo commendauit. *Hic vidua Sareptensis imitator esuriens pascit alias, & ore pallente ieiunijs, fame torquetur aliena; omnemque substantiam Christi visceribus erogauit: nihil illo ditius, qui corpus Domini in canistro vimineo, sanguinem portat in vitro, qui auaritiam eiecit è templo.* C

D.Hieron. ep. ad Rust. Monac.

Baron. ann. 508. In egenorum commodum non tantùm Episcopalis mensæ thesaurum Diuus Cæsarius Arelatensis Antistes gloriosè diffudit, sed è Gothorum captiuitate ad quàmplurimos redimendos sacra omnia vasa diuendidit; cùm autem tanquam proditor ab Italiæ Rege Theodorico postulatus ad aulam accederet, suæ tantùm maiestate præsentiæ Regis animum non tantùm à supplicio inferendo dimouit, sed ad sui venerationem attraxit, vt præter alia honorificè illi gesta argenteum sexaginta librarum pollubrum cum trecentis aureis ei ad hostium dono mittens eum rogauerit, vt præ suâ beneuolentiâ sibi illud seruare dignaretur: ad hæc Diuus Antistes, qui argenteâ tantùm fulcinula & cocleari pro mensæ Episcopalis dignitate vtebatur, publicè illud vendi iussit, eiusque pretio captiuos quàmplures redemit, egregiè id commendante & admirante cum reliquis Proceribus Rege. D

Londinensis Præsulis Gulielmi pietatem quis nesciat; eam eximiè Diuus Bernardus celebrat, eique summopere gratulatur, quòd ipsomet sui Episcopatus initio totum patrimonium pauperibus erogasset, pauperibus posteà annumerandus; sed accipe verba Bernardi. *Extincta est auaritia cui non suaue redoleat? charitas regnat, cui dulce non sapiat? tali testimonio oportebat tuam philosophiam clarescere, & hoc fine tua præclara studia compleri. Non fuit magnum, quod magister Gilbertus fieret Episcopus, sed Episcopum Londinensem pauperem viuere, id planè magnificum: non enim tanto nomini aliquid augere potuit sublimitas dignitatis, auxit autem plurimum humilitas paupertatis.*

D.Bern. ep. ad Guliel.

Cum sæuissimâ egestate Hierosolymæ Vrbs laboraret, *in Cyrillum tanquam in Episcopum necessitate ciborum turba respiciebat*, sic de eò Damianus; cunctis igitur iam consumptis, ad eorum penuriam eleuandam, vasa omnia sacra, sacras omnes & pretiosas vestes vendit, vt Tripartita etiam narrat historia.

D.Pet.Da. ep.8.l.1.

§. I.

A

§. I.

TAM beneficus in pauperes Carnotensis Episcopi amor fuit, vt elegantissimum illud de eo Petrus Blesensis scriberet, *Munificentia à tenerâ primitauit infantiâ; misericordia cum ipso coaluit.* Petr. Bless. ep. 20.

Commendatissimus etiam nobis præ omnibus sit Fernandus Talauera Primus Granatensis Antistes, qui suo conuiuio quadraginta viros excipiebat, aliosque ferè centum quinquaginta ad secundam, & tertiam mensam ex ijs habebat, qui mendicitatis onere pressi miserrimam vitam agebant; quòd si per viam incedenti stips à mendicis fortè rogaretur, nec secum esset, qui eleemosinis impertiendis præfectus pauperem eum solaretur, quodcumque præ manibus occurreret roganti dabat, & pileum fortè ipsum, quoad vsque redimeretur. Nosocomia pti- Plat Florit. par. 2. c. 32.
B uatasque ædes inuisebat, necessaria cuique corrogans. Domesticam supellectilem bis grassante fame vendidit, & inter alia duas mulas, quibus lecticâ vehendus vtebatur, ex quo postea pedes incedere cogebatur; cum autem argenteum sui sacelli cultum eàdem de causa vendidisset, Marchio quidam eum redimens ad Archiepiscopum denuò eum misit, qui denuò venalem eum habuit; rursus autem ab eodem Marchione redemptus eique missus, rursus venditus ab Episcopo fuit, qui etiam pronunciauit, quod si centies ad eum remitteretur, totidem iterum venderetur, è rubore quo premebatur, quod penuriæ tempore argentum domi suæ otiosum torpesceret; cum autem charitatis ingenio ad alios inueniendos thesauros, quibus pauperum necessitatibus consulens suum animum locupletaret, festis diebus, quis credat, ad templi fores adstabat, arculam manu gerens, quâ pro pauperum subsidio stipem transeuntibus postulabat.

Singulari admiratione dignum illud est, quod ad eundem agendi finem
C conspirantes sancti viri, dispari tamen, imò contrariâ viâ procederent. Pijssimus hîc Præsul, quò ardentiùs destitutos pauperes diligebat, eò ab illis vehementiùs animum auerrebat, qui otio dediti, & capti desidia per vrbem ineptissimè vagantes, ab eâ eius imperio, licet cecutirent, expellebantur, dum oblatam eis laboris operam recusarent; quam eandem in rem tùm D. Ambrosius, tùm D. Damascenus conspirarunt. D. Ambr. l. 2 off c. 16. Damasc. La Paralell c. 16. ad fin.

E contrà verò Valentinus Episcopus Diuus Thomas Villanouensis, nullâ conditionis, & personæ ratione habitâ, indiscriminatim iusserat, vt cuicumque qui domum Episcopalem mendicus accederet, disignata panis, & vini portio, pulmentum è carne, vel è pisce aliquod, & denarius donaretur; illis autem, qui aliquos ex illis, vt flagitiosos, & perditæ famæ arguebant, respondebat, ad politicos hoc magistratus referendum, sibique tantùm alienæ necessitati consulendum: nolebat insuper, vt repelleretur, qui ad nouam ciborum portionem Mich. Solone in vit.
D habendam fraudolenter ex alia ianua, diuersaque via iterum rediret, pronuncians, Angelum fortè esse, qui deceptoris loco habitus illuc rediret. Honestis familijs egestate laborantibus benignâ satis manu prospiciebat, suique Episcopatus exordio duodecim millia aureorum in huiusmodi pietatis opera expendebat: cùm verò sacri prouentus ad triginta aureorum millia peruenissent, viginti quatuor millia ex eis in singulos annos in pauperum auxilium erogabat, atque, vt liberalior esse posset, suâmet manu laceras sibi vestes reficiebat; illud enim persuasum sibi animo habebat, sacros omnes viros, qui Ecclesiasticis facultatibus gaudent, arctissimam de eis rationem Deo reddituros, illudque etiam semel aliquibus pronunciauit, quòd si suæ mortis articulo penes se aureum inuenissent, à sacro tumulo eum excluderent, eò quod religiosus esset Episcopus.

De Alexandro Quinto Maximo Pontifice fertur, tam beneficum, & largum ad pauperum fuisse subsidium, vt vix sibi illud seruaret, quod sui gradus maiestati sufficeret; quâ de causâ dicere interdum assueuerat, diuitem se fuisse Epi- Ciaccon. in Alex. V.

ſcopum, Cardinalem pauperem, mendicum Pontificem: re vera ditiſſimus ipſe fuit, dum Tagi munificentiam imitatus, aureas opum vndas non ſuo fonte A ſeruabat, ſed ad omnium commoda vberrimo curſu deriuabat. Iuxtà enim Ambroſij ſententiam, *ille diues, qui pauperi, non ſibi diues eſt*.

D. Ambr. ep. 82.

Quale, verò & quàm illuſtre ſpectaculum Deo Cæloque toti exhibuit Diuus Germanus Pariſienſis Antiſtes, & Galliarum Rex, dum piâ quadam contentione inter ſe decertabant de primatu, quem in pauperum amore & beneficentiâ quilibet affectabat.

Sur. in vita S. Germ. 14 Maij.

Plurima hîc locus eſſet afferendi in Dublinenſis Præſulis liberalitate commendanda; ſingulis enim diebus triginta, vel quadraginta egenis coram ſe alimenta miniſtrari iubebat, & ferè octingentos, vrgente penuriâ, ſemel educabat: quia verò inopiæ vi filiolos ſuos ad ſui palatij fores nocturno tempore deferebant, patris ipſe loco, eos excipiens ſuis ſumptibus nutriebat.

Sur. 4. Nouemb.

Diuum etiam Bernardum Ildefenſem Antiſtitem afferre hîc ego poſſem, qui centum pauperes in dies ſingulos nutriebat; Colonienſem Epiſcopum Diuum Annonem, qui viginti quatuor pauperes quotidianè alebat, pedeſque eis B abluebat; Diuum Antoninum Florentinum Epiſcopum quò ſibi tenaciorem, eò in pauperes largiorem; ne tamen faſtidio ſim, omitto libens reliquos, & recentiſſimum ſæculum inuiſenti ſe mihi inſpectandum exhibet Diuus Carolus Romanæ Purpuræ Sydus ornatiſſimum. Quàm ſanè in pauperum amore prodigioſus hic fuit? Præter ingentes opes, quas ipſe in excipiendis pauperibus effundebat, cum ingenti munificentia cenſus ſuos in publicos pauperes, in egenas familias, in nobiles viros inopes, in ſacrarum ædium cultum eriuabat, vt paupertate non tenui nõ ratò ipſe laboraret, pronuncians, quód ſicut in immenſum ſe charitas porrigit, ſic pariter in immenſum ſe debent fructus porrigere charitatis. Die vnâ, quis credat, quadraginta aureorum millia, quæ ex Orienſi Principatu vendito collegerat, impertijt, aliàs etiam pijs locis legatum adſcripſit, quod viginti aureorum millia attingens Lucretia Roborea fratria ſua ei dono dederat; ſuprà ſexaginta pauperum millia, peſtilentia Mediolani graſſante, ſibi alenda ampla charitate ſuſceperat; ad quæ præſtanda domeſtica omnia diuendidit, nec ipſum ſibi cubile, quò quieſceret, ſeruans: charitatem hanc admirandam ne quidem moriens terminaturus pauperes ſuos inſcripſit hæredes, Mediolani Noſocomium locupletans. C

Sur. 20 Nouemb.
Sur. 4. Decembr.
in eius vit.
Giuſſan. in vita l. 8. c. 28.

Caroli veſtigia Cardinalis alter, Robertus ſcilicet Bellarminus imitatus exiguo eo tempore, quo Capuanas infulas induit, amantiſſimus adeò pauperum fuit, vt pauperes omnes ad ſe fugientes exciperet, eoſque, qui vel præ neceſſitate, vel præ rubore ad eum accedere non valebant, beneficijs ipſe occurreret; qui ære alieno obſtricti carcere detinebantur largè ſubueniebat, Monaſteria, piaque alia loca adiuuabat; vt verò Capuanis ſe infulis exuit, penſionis, quâ fruebatur titulo, Capuam non tenues eleemoſynas mittere non deſtitit, ſuæque domi pauperes omnes libens & hilaris excipiebat, nullo prorſus reiecto; hinc pijſſimo illi viro tam viuida æſtuabat cupiditas cæleſtis patriæ poſſidendæ: teſtari ſatis hoc ego idem valeo: eadem namque die, quâ obijt, Angelus Cæſius tunc temporis Referendarius, & Ariminenſis poſteà Antiſtes, & ſimul ego ad eius cubiculum acceſſimus, & lecto proximi, quo in Quirinali Societatis Ieſu Tyrocinio decumbebat, interrogati ab eo fuimus, quantum nam adhuc è ſuâ vitâ ſupereſſet; reſpondentibus autem nobis, quod iuxtà medicorum ſententiam, ad ſequentem vſque diem obitus differretur, in pijſſimas & ſanctas querelas erupit, ac ſi longè adhuc nimis à diuini fruitione aſpectus detineretur. D

Fuligat. in vita c. 23.

Ingruentium exemplorum copia obrutus coronidem huic ſermoni imponere ſtatueram, ſed religioni duxi eximios duos Antiſtites præterire, qui ætate ſimul & amore coniuncti commendandi meritò omnibus ſunt. Sydonius Apollinaris Aluernenſis Epiſcopus primum ex his obtinet locum, ſanguine nobiliſſimus & Auiti Cæſaris gener, Patritiatus dignitate, & excellentiâ, quâ Poeſim & Oratoriam Romæ profeſſus, ſtatuam in Traiano foro ſibi erigendam à Senatu meruerat, ſed longè illuſtrior virtutibus illis, quibus in Epiſcopali munere exercendo,

do, spectandum se omnibus dedit. Beneficentissimam viri huius in pauperes largitatem luculenter Mamertus Claudianus describit; sæuissimam enim penuriam nactus, cuius vi exules plurimi se dabant, & necessitatis iniuriâ mori cogebantur, vnà cum Eudiuo suo fratre quatuor pauperum millia non generosè tantùm, sed hilariter, & voluptuosè nutriebat, quâ in re generosum adeò se præstitit, vt argentum omne ad eorum sumptus impenderit. Apud eundem Sidon. l. 4. ep. 2.

Lugdunensi iam Episcopo Patienti suus locus pateat, qui angustum nimis suæ charitati theatrum vrbem Diœcesemque Lugdunensem habens anxiùs potissimùm erat de ijs omnibus ex totâ Galliâ agnoscendis, qui omnibus destituti, subsidium ab eo perciperent, eò illis gratius, quò magis inopinatum; de tàm insigni charitate ei memoratus Sydonius gratulatus ex epistolâ ad eum scriptâ hęc habet. *Præuenis manibus illum, qui non valuerit ad te pedibus peruenire: transit in alienas prouincias vigilantia tua, & in hoc curæ tuæ latitudo diffunditur, vt longè positorum consoletur angustias, & hinc fuerit, vt sæpe terseris eorum lachrymas quorum oculos non vidisti &c.* Addit inde, quòd in vastitate Gothorum Hunorumque ferocia Galliarum campis illatâ, magnus hic Episcopus frumenta vndique colligens, consternatas, afflictasque Gallias optatissimo munere recreauerit. Sidon. Apolinar l. 6. ep. vlt.

Ad Episcoporum liberalitatem in pauperes excitandam rationes aliæ afferuntur. Cap. LIX.

VTILITAS, voluptas, gloria tria illa sunt, quibus potentissimâ quâdam vi homines capiuntur: vnoquoque horum satis humani cordis amor rapitur: quid simul facient, & quanam tirannide illud obruent, si iunctis copijs ad eius victoriam ferantur? Quià verò solida bona nobis danda mundus non habet, & inania tantùm, & euanida vel voluptatis, vel gloriæ, vel vtilitatis phantasmata nobis amplectenda exhibet, hinc est, vt inter voluptatis æstus, gloriæ lenocinia, & vtilitatis illecebras, cor humanum ferueat, & fluctuet, & sursumdeque actum in transuersum ruat, præcipitemque se vitijs inuoluat, calamitatibus obruat, suæque sibi infęlicitatis author sit & origo. Diuinum audi interpretem hæc indicantem: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex parte, sed ex mundo est.* 1. Ioa. 2. 16.

Humanæ huic propensioni Deus indulgens, illamque simul consecrans, opus eleemosinæ nobis exhibet faciendum, in quo tria illa bona simulque inueniamus, simulque voluptati, vtilitati, & nostræ gloriæ velificemus. Eleemosinam, sæculi charitati componens Diuus Clemens Alexandrinus hæc nobis significat his verbis. *Quantò est gloriosius multis benefacere, quàm magnificè habitare? & quantò prudentius in homines quàm in lapides, aurum impendere? & quantò vtilius ornatos habere amicos, quàm ornamenta inania.*

Profectò, si de gloria sermo habeatur; nulla infulatis, & sacris viris gloriosior virtus est in pauperes largitate: quàpropter diuino consilio factum crediderim, vt quos ad populorum salutem, & suæ Religionis ornamentum tanto sacerdotio Deus designauerat, Martinos, Nicolaos, Basilios, Paulinos, Ioannes, aliosque, tantâ virtute illustrauerit, & ab ipsis incunabulis pauperum amore succenderit: vt quandò priuatâ conditione gaudentes tam propensi ad eorum auxilium fuerint, multò propensiores ad eorundem bonum assurgerent, cùm sacris infulis radiarent. Diuo sanè Gregorio Angelus significauit, quòd ipse idem pauperis è naufragio delapsi speciem præferens, se illi spectandum in suo monasterio dederit, eumq; rogauerit, vt suis calamitatibus opitularetur; quibus ille commotus duodecim aureos ei impertijt, & argenteam patinam à suâ parente Syluiâ Sur. in vita l. 2. c. 25.

Syluiâ ei dono datam, è quo munere tàm alacriter impertito ad Vaticani culmen Imperij eum Deus elegit. A

D.Chrisost. in Genes.

Eorum insania damnatâ, qui ad ingentem sibi famam comparandam Gigantum temeritatem imitati substructiones immanes, ingentiaque ædificia moliuntur, viam eis Diuus Chrysostomus aperit, qua solidum, nec periturum honorem sibi concilient; hæc autem via eleemosina est: *si enim singuli dicturi sunt, hunc misericordem, hunc benignum, hunc mansuetum, hunc suauem, hunc tam largum dispensatorem: Dispersit, dedit pauperibus; sed audi quod sequitur; Iustitia eius manet in sæculum sæculi, scilicet vno die diuitias dispersit, & iustitia eius manet in sæculum, & memoriam eius fecit immortalem*: sic ille. Probi ergò nominis fama, quam Episcopis impensè necessariam esse diximus, abundè ab eo colligi potest, è suis opibus in pauperum solatium erogatis. Nihil adeò populorum amorem Episcopo deuincit, nihil excelsiorem eius virtutem colorat, quàm largitas in egenos.

Ad hanc veluti ad lydium lapidem animaduerti satis potest, an fucata sit eius virtus, an solida; quæ namque ea virtus Episcopi dici possit, quæ populorum necessitate neglectâ suæ tantùm vtilitati inseruit, suæ auaritiæ indulget? insita nobis animo liberalitas est, & è fonte baptismatis illam etiam haurimus; ideò enim sacrâ nos ablui vndâ docet Veronensis Antistes Diuus Zeno, *vt cælestes effecti terram non desiderent*: hinc autem vera gloria velut è corpore vmbra enascitur. *Victoriam, & honorem accipiet, qui dat munera.* Eò illustrior nostra virtus effulget, quò difficiliora discrimina exuperat; illustrissimus ergò sit oportet, qui opum auiditatem nobis adeò facilem & iucundam euincens, ad aliorum bonum eas euoluit: optimè enim Seneca; *errat si quis existimat facilem rem esse donare.* B

D. Zeno ser.10. in Exod. Sen. de beata vita. c.23 Isaia 32. 8.

Hæc fortè Isaias Vates indicauit eo sermone, *Princeps ea, quæ sunt digna Principe cogitabit, & ipse super duces stabit*: Vatablus vertit, *liberalis liberalia consultat, per quæ liberalia facta clarus surgit.* Principem seu sacrum, seu prophanum mirifico quodam splendore beneficentia coronat. Mortalitatem ferè exuit, & diuinitatis quiddam refert vir liberalis; hinc ea Gregorij Nysseni verba, *Insignitum propria nota deitatis*, quæ fortè hausit ex ijs quæ suus peramicus Nazianzenus Gregorius pronunciauit. *Nihil tam diuinum homo habet, quàm de alijs benè mereri. Fac calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.* C

D.Gregor. Nissi l. de beatitud. D.Gregor. Naz. orat. de paup.

De Templo quod in beneficentiæ honorem Marcus Pius Cæsar erexit, nulla me admiratio subit; nullo enim alio de fonte superstitiosus idolorum cultus effluxit, quàm ex ineptâ Græcorum leuitate, qui diuinitatis nomen, & cultum facile ijs tribuebant, qui singulari aliquo beneficio mundi vniuersitatem exornassent; præ cæteris tamen beneficentia Diuini quiddam præfert, ostenditque Sanctuarij loco liberalis viri animum habendum; hinc ea Sydonij Apollinaris verba magnifica; *Ego illum præcipuè puto suo viuere bono, qui viuit alieno: quique fidelium calamitates, indigentiumque miseratus, fecit in terris opera Cælorum.*

Sidon. Apoll. l.6. ep 12.

Tanquam callidus virtutis simulator Diuus Carolus à pluribus habebatur; cùm verò tantâ largitate suas opes in egenos deuolutas ab eo inspexerunt, sanctitatis vbique cultu fuit exceptus; Cælo adesse videtur, qui terrena calcat: quapropter eadem voce ex Hebræo sermone sancti & benefici appellantur; quin ipsemet Diuus Carolus pronunciabat, in hospitalitate potissimùm Episcopi dignitatem versari, seque speciosissimo diademate eum spoliare, qui huiusmodi virtutem à se reijcit & contemnit. D

Episcopi gloria non in eo innititur, vt magnâ cum vestium, famulorum, obsequentium pompâ incedat, et vel pretiosa peripetasmata, vel argentea vasa dinumeret, sed in amore pauperum, eisque impertito subsidio: *Gloria Episcopi est pauperum inopiæ prouidere: ignominia Sacerdotis est proprijs studere diuitijs*: sic ad Nepotianum Hieronymus; illustrem eleemosyna reddit Antistitem, imò nobilitat dignitatem authore Diuo Bernardo. Ministerium hoc, quo Christiana Religio tanquam gemmato monili exornatur, eleemosyna ipsa illustrat, & ornat.

D.Hieron. ep ad Nepotian c. gloria 1. 2. q.1 D Bern. ep.150.

Vt

A Vt è subactis deletisque hostibus gloriam suo nomini parerent antiqui Duces, quosnam labores exantlabant, quæ incommoda, quæ certamina, quæ mortis aperta discrimina deuotabant? facilius, breuius, iucundius, illustrius iter habes, Episcope, ad tibi veram gloriam comparandam: ipsimet Xenophonti, licet superstitionis tenebris inuoluto hoc innotuit, teste Stobæo, *multò præclarius, ac laudabilius esse beneficiorum, quam trophæorum multitudinem post se relinquere*. In Diuo Cæsareo Arelatensi Antistite compertum satis hoc fuit; hic enim Rauennam à Theodorico Rege, tanquam reus accersitus, è largitate, quâ pauperum afflictas fortunas erexit, non in eâ tantùm Vrbe, Regis aulæque totius Regiæ venerationem sibi vindicauit, sed in Vaticano ipso sui maiestatem nominis amplificauit; ibi namque totius Senatus & Cleri, ipsiusque Pontificis ingenti admiratione plausuque exceptus, mirum quantum sui famam nominis quocumque terrarum extulit. Quæ porrò gloria, quodnam vnquam trophæum comparari illi possit ornamento, quo Tetrici Lingonienfis Antistitis nomen ex epigraphe illius tumulo adscripta coronatur? ea autem hæc erat. Stob.ser.46 Baron.ann. 508.

B *Esca inopum, Tutor Viduarum, cura minorum,*
Omnibus officijs, omnia Pastor erat.

Non hæc ego ità dicta velim, vt ad auram popularem, inanemque gloriolam aucupandam, diuitiarum suarum pretio vtatur Episcopus: hoc enim si ipse præstaret, in plumbum aurum, in vitra adamantes ipsos inuerteret: ad populorum vtilitatem referenda instituendaque ab eo diuitiarum effusio est; vt enim D. Gregorius fidem facit, *Sancti viri non iam de opinione suâ, sed de proximorum gaudent vtilitate*. Mirum enim quantum, vt in superiori huius operis parte descriptum satis est, ad populorum salutem & pietatem, ad Dei quem repræsentamus gloriam amplificandam nostri nominis probata fama conducit; hanc autem è nostrarum opum in pauperes largitate singulariter assequi possumus, Deusque ipse nobis impertit; vbi namque in nostrâ vulgatâ illud regij Vatis habemus. *Scitote quoniam mirificauit Deus sanctum suum*; Ex Hebræo legitur, *Misericordem* C *suum*. D.Gregor. l.22.moral. c.9. Psal.4.

§. I.

EAdem quoquè mensurâ, quâ Episcopo ex eleemosinis gloria paritur, iucunditas etiam hauritur; ipsi etiam fidem de hoc abundè faciant, qui superstitionum tenebris inuoluti, aliquam virtutis speciem prænoscebant: sanè Plutarcho teste, *ipsi Epicuræi dicunt suauius esse afficere quam affici beneficio*; quod planè idem ac illud est, quod Seruatore Christo pronunciatum olim refert Apostolus, *Beatius est magis dare, quàm accipere*. E beneficentiæ iucunditate tàm arctè Simonis Atheniensis animus rapiebatur, vt eodem Plutarcho referente, vineas, agrosque suos cuicumque reseraret, cuiuscumque necessitatibus ex eorum fructibus prospecturus: totius vrbis pauperes secreta suorum censuum effusione D recreabat, suisque seruis præceperat, vt si quem malè compositum, & laceris indutum vestibus offendissent, obsoletis illis eum exueret, & recentet compositis exornarent. Plut.l.contra decret. Epicuræ. Act. 20.35.

Eò autem maior Episcoporum hac in re iucunditas est, quò ad eorum nomen, tanquam ad Parentis sinum pauperes suos filiorum loco spectant accurrere, eisq; vitam non rarò seruant, & frequentissimè simul cum vitâ, fęminis, & virginibus chariorem vitâ pudicitiam.

Hinc etiam iucunditas ea emanat, quæ suæ ab amore prolis enascitur; maximè enim verum illud est, quod Iulius Firmicus ait, quòd nempè illi, qui beneficii in alios sunt, *munerantur honoribus, & amoribus*. Quin misericordiam inter, & iustitiam comparationem Diuus Ambrosius instituens, licet fateatur hanc illâ esse excellentiorem, ex publico bono, ad quod ipsa refertur, asserit tamen hâc illam esse omnibus gratiorem: optimè sanè dictum: nam necessaria quidem virtus iustitia est, sed è sui vultus asperitate & horrore, longè benefi- Firmic: de Err.Proph. D Amb. l. de off c.

centiæ

ee ntiæ cedit, voluptatem vndique afflanti, & gratijs ipsis circumcinctæ.

A

D.Tho. 2.2. q.27. ar.2. ad 3.

Nulla quidem aliâ re, Aquinate referente, hominum amor adeò conciliatur, quàm liberalitate; nil quærere, parum accipere, largè donare, quæ tria breui hoc ipso Disthico definiuit.

Si quis in hoc mundo vult multis gratus haberi,
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

Simmach. l.10. ep.22.

Quænam ergo Episcopi voluptas, quæ iucunditas, cùm populi totius beneuolentia in eius nomen, in eius vultum collimauerit? quale gaudium, tot folia sui amoris habere, quot corda? immensâ sanè gestiere lætitiâ Constans, & Constantinus Cæsares, cum è beneficentia, quâ Senatum totum sibi obstrinxerunt, Symmachi Senatoris epistolam receperunt, hoc stylo exaratam. *Meritò vos Senatus, ac Populus ore celebrat, deuotione veneratur, amore complectitur; Mihi credite, arcana omnium pectora possidetis: illa bonarum necessitudinis loca, quibus liberorum, quibus parentum immoratur affectio*: quæ animi exultatio ea fuit. quâ Patiens Lugdunensis Antistes delibutus fuit, cum è Sydonij litteris comprehendit, amore, & gratijs populorum suam liberalitatem à Deo affluentissimè compensari? *Per omnem fertur Aquitaniam gloria tua, amaris, laudaris, desideraris, excoleris omnium pectoribus, omnium votis.*

B

Sidon.l.6. ep.2.

Vlteriùs tamen liberalis Episcopi voluptas se porrigit: si enim è populorum beneuolentiâ, cui gratificatur, tam iucunda dulcisque ipsi liberalitas est, quantò iucundior, & dulcior è Dei amore fuerit, cui beneficentia sua tàm grato dulciq; ore probatur? An non Deus in paupere viuere, & latere fatetur? Quale ergò mihi gaudium meritò inerit, dum cùm puluis, & cinis sim, eò me dignitatis efferam, vt Deum ipsum nutrire, Deum possim induere.

Matth.25. 40.

D.Chrisost.

Pretium, quo pauperes Deus habet, Diuus Chrysostomus expendens, & amorem, quo ipsis arctissimo, vt ita dicam, glutine conectitur, in hæc erumpit. *Proh quanta paupertatis est dignitas? Dei personam induit, in paupertate absconditur Deus, pauper manum extendit, & accipit Deus*: cum pauperis manu, Dei manus protenditur, stipemque excipit elargitam.

C

DValeran. hom. 7. de misericord. to.5. bibli.

Quantâ animi dulcedine perfundebatur Martha, cum Christo Domino mensam & dapes instrueret? Nos certè, nisi fide laboremus, eidem Christo in pauperibus suis dapes paramus, vestes componimus: vix sui ipsius capax ille animus est, qui domi suæ Regium Principem exceperit, suæque dignitati & excellentiæ tribuit, eum vel hospitio, vel conuiuio detinere: longè maior nostra fœlicitas est; audi Diuum Valerianum. *Hoc vnum est, in quo possit homo gloriari, iustè in hac vita, nempè defectio pauperum, & quod Christum vestire quotidie possit, & portiuncula panis saturare.* Hanc Cæli sapientiam, quàm optimè Diuus Ludouicus Gallorum Princeps addidicit: hic etenim non tantùm Nosocomij pauperibus suismet manibus inseruiebat, sed genibus identidem flexis, multoque lachrymarum dulcissimarum imbre perfusus, de tam ingenti beneficio, quo Deus illum obsequio pauperibus præstito coronabat, plusquam de Gallico diademate tot titulis tot viribus maximo superbiebat; an non sanctè superbire possit homo, cum ab eius ope pendeat quodammodò Deus, & in pauperis petitione se viro subijciat, in pauperis manu suam manum porrigat, in pauperi datâ stipe, stipem recipiat, seque illi debitorem inscribat? quàm igitur meritò D.Gregorius ait. *Hoc quod iacenti in terra porrigitis, sedenti in Cælo datis*, & Diuus Chrysologus. *Manus pauperis gazophilacium est Christi; quia quicquid pauper accipit, Christus accipit*:

D

D.Greg. hom 4. in Euang. D. Chriso-log. ser. de eleem.

Hinc alia iucunditas maior emergit, quæ ex eo habetur, quòd opum in egenorum auxilium elargitarum, se nobis debitorem Deus ipse constituit, nobisque ingentes fructus in gloria cælesti persoluet. Terram à nobis exposcit, vt Cælum largiatur, leuissima recipit, vt omnia donet. An non dulcissimam nobis voluptatem insinuat, quòd indigentibus erogata pecunia, pennas induens validissimas Cælum omne perrumpit, & non aquilas tantùm, sed Seraphim ipsos exuperans, in sinu ipso Dei quiescens, regiam nobis domum ad æternam ibi gloriæ mercedem recipiendam, elaborat, Quàm benè Chrysostomus. *Huic*

portæ

A *portæ Cæli aperiuntur & veluti Regina intrante, nullus ianitorum, nullus custodum, qui portis assistunt, audet dicere, quis es tu? vel vnde? sed omnes eam è regione suscipiunt: Regina namque est, verè Regina, similes faciens homines Deo.* D.Chriso. hom. 32. in adHebr.

Compertum satis hoc fuit Episcopo Troilo non erogandis, sed congerendis opibus intento; cum enim semel ab eius dexterâ ad egenorum opem triginta auri libras Diuus Ioannes Alexandrinus Patriarcha ab eo accepisset, cum eam pecuniarum vim non spontè & charitatis impulsu, sed humanâ potius ratione ductus tanto Præsuli concessisset, tam graui mœstitiâ affectus ex eius iacturâ fuit, vt morbo captus ægrotaret. Comprehensâ eius morbi origine inuisit eum Sanctus Antistes, eique ad solatium dixit, se datam olim pecuniam redditurum, si præmium illud quod sibi ex beneficentia in cælesti sede parauerat, cedere voluisset; annuit promptissimè auarus Antistes, & in oblatâ schedulâ scripsit, *Deus mercedem triginta librarum da Domino meo Ioanni Patriarchæ*; auro recepto statim conualuit, sed sopore postea captus hæc suis oculis obiecta inspectauit. D.Leonz in in vita S. Ioa.Eleem.

B Auream in Cælo constructam domum inspexit, & diuino quodam opere fulgentissimam, in cuius epystilio è christallino lapide confecto vncialibus characteribus hæc epigraphe inscribebatur, *Mansio æterna Troili Episcopi*; vt hæc inspexit, sibi ipsi de tanti proximâ fruitione thesauri gratulatus, insanâ quadam voluptate æstuabat; hæc autem nebulæ instar ad Solis aspectum celerrimè euanuit; vir namque apparuit, qui subirato aspectu duroque sermone adstantibus quibusdam præcepit, vt inscriptio illa superliminari domus insculpta deleretur; paruere illicò: tum rursus ille; eius loco hanc recentem Dei voce prolatam apponite. *Mansio æterna Archiepiscopi Alexandriæ empta libris triginta*. Ad hæc ingenti terrore concussus Episcopus expergefactus rescindere initum contractum statuit, & ad habendam è sancto viro peractam cessionem trigita auri libras reddendas obtulit, sed irritò; hoc solùm igitur illi supererat, vt domum aliam sibi alijs elargitis opibus compararet.

C Plinij ingenium frequentissimè sum admiratus, quo Dei naturam per omnes philosophorum sectas inuestigans, nullibique inuenia, tandem hoc tanto dignum scriptore acroama pronunciauit, *Deus est mortali iuuare mortalem, & hac ad æternam gloriam via*; è superstitionis nocte hoc ei lumen emersit, quòd scilicet nulla diuinitatis speciosior & splendidior nota est, quàm egenis opitulari, pauperes muneribus recreare. Quid tamen est, vt hoc è terrena philosophia addiscamus, cum satis hæc Cælestis sapientia nos edoceat? ex hac igitur spe, quam meritò Philo vocat *gaudium ante gaudium*, quam magnâ voluptate noster animus perfundetur? Plin.l.2. c.7. Philo.

Ad Apostolorum animos, in labores, ærumnas, certamina, & cruciatus, obarmandos, hoc vnum illis obijcitur, *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cælis*. Vnius spei robore, ad cædes, ad vulnera, ad flammas & sæuissima omnia perferenda excitantur Christiani pugiles: quam illi sperabant immortalis beatitatis mercedem, toi cruciatum pretio coemendam, nos exigui argenti pretio pari fęlicitate possidemus. Matth.5.12

D Ducibus & militibus suis bellicas exuuias, Vrbium, Prouinciarumque Principatus munifica largitione impertiebat Alexander, spem sibi seruans, quâ futuris victorijs maiora alia conquirenda confidebat: an nos æternæ gloriæ spe succensi, vilia hæc & euanida bona elargiri recusemus?

Cum iam Tyrannico furori & Carnificum ferociæ immolanda Diua Sophia esset vna cum tribus virgineis filiabus, tota animo gestiens ait, *Est omnium negotiorum hoc longe præstantissimum pauco sanguine emere Regnum Calorum*. Ad vulnera velut ad nuptias hilaris Diua Agatha properabat, suo sanguine sibi Cælum emptura; Quid plura, ait Diuus Augustinus, ipsimet Ethnici ad inanem gloriolam, euanidamque auram captandam, per calcatas opes sibi viam ad paupertatem construxere, ipsamque vitam, suosque filios mactarunt. Quàm igitur ingens futura nostra voluptas est, cùm veram, solidam, indefecturam Dei gloriam, exiguo opum elargitarum semine, colligere nobis è pauperum manibus valeamus? Sur. in vita S.August. D. Aug. de ciuit l.5. c.18.

§.II.

 A

§. II.

MAiorem etiam in molem voluptas ista se porrigit, cùm ad tremendum maximè acerbumque mortis articulum accedemus; ingens profectò nostra lætitia erit, cùm diuitias nostras extrà omnem fortunæ iactum collocatas in Dei manu spectabimus, ab aliorum auiditate & furto securas, tantùmque ad diademata nobis efformanda repositas: illud de nobis ipsis vsurpabimus, quod de suis genitoribus Diuus Nazianzenus pronunciabat, quòd scilicet tam liberali opum effusione, plura tineis, plura furibus, plura Principibus eripuerant; tunc nobis innotescet, non alijs, at nobis ipsis ea bona dedisse, nostrosque omnes thesauros in ijs statui, quæ ad egenorum solatium erogauimus. *Homo dando pauperi, das tibi: quia quod pauperi non dederis, habebit alter, tu solum quod pauperi dederis, hoc habebis*. Hæc Chrysologus? B

D.Gregor. Naz.or.10.

D.Chrisol. serm 41. ad fin.

Inter antiquæ Romæ rudera, marmorea Vrna condebatur, has voces habens ambiguo sermone conscriptas, *Expendi, donaui, seruaui; habui, habeo, perdidi*. Ad ænigma hoc explicandum Aedipus aduocandus non erat: præstò enim perdocti viri fuerunt, qui scribentis mentē attigere; ea autem alicuius fuit, qui moriens ea tantùm à se bona possideri cognouit, quæ pauperibus impertisset, *referendo igitur singula singulis*, hoc pacto verba illa legenda dixerunt, quod expendi habui, quod seruaui perdidi, quod donaui habeo. Consonant hæc illis, quibus Rabirius Vates morientem Marcum Antonium describens, sic eum alloquentem exprimit. *Hoc habeo quodcumque dedi*. E tot thesauris, quos veluti aureos riuulos suæ manus canalium instar habuerunt, è tot gemmis quibus æraria scintillabant, è tot sericis aulæis, quibus tam ampla domus superbiebat, è tot Principatibus, ditionibus, quibus dimidiam ferè vniuersi partem occupauerat, illud tantum suum appellabat, suum vocabat quod erogauerat, *Hoc habeo quodcumque dedi*. Verba hæc Seneca ostendens sapientissimè, ait. *O quantum habere potuit si voluisset? Hæ sunt diuitiæ certæ in quacumque sortis humanæ leuitate, vno loco permansuræ, quæ quò maiores fuerint, hoc minorem habebunt inuidiam*: hinc sacro potius quàm prophano stylo subdit. *Quæris quomodo tua illa facias? donando. Consule ergo rebus tuis, & certam tibi earum atque inexpugnabilem possessionem para*. Viam hic hebes, quâ possis innocenter auaritiem exercere, & laudabiliter aceruare diuitias: Quantum ille erubesceret, si vel ad cupiditatis suæ famem explendam, vel ad suorum affinium animum saturandum diuitias collegisset? è contrà verò quantâ delectatione perfundetur suas opes agnoscens pauperum manibus in Cælum asportatas & in Dei thesauris ad nostræ beatitatis incrementum recensitas, in se ipso experietur, quod olim de se ipso Diuus Hieronymus ait, & Diuus etiam Augustinus confirmauit. *Nunquam legisse me memini, mala morte defunctum, qui libenter charitatis opera exhibuit*. C

Senec.l. 6. de benef. c. 3.

D Hieron. ad Nepot. D Aug. ser. 44. ad Fratres de hæred.

Licet autem in eo extremi temporis articulo validissimas omnes vires exerat suas Stygius hostis, ad terroribus nostrum animum quatiendum eique sua flagitia repræsentanda, pauperum tamen amator Deum defensorem sortietur, iuxtà ea, quæ è cælesti oraculo habentur, *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius*, vel iuxtà Diui Hieronymi lectionem, *Dominus confortabit eum in lecto infirmitatis*: quin è Paraphraste Chaldęo etiam habetur. *Deum appariturum super lectum infirmitatis eius*; quo sanè nihil iucundius, nihil gloriosius valet animo cogitari. D

Psal.40.4.

In ipsâ quidem decretoriâ mundi totius die, vt ait Diuus Hieronymus, *Adducetur cum suis stultus Plato discipulis, Aristotelis argumenta non proderunt*; inter ingentia hæc horrendaq; discrimina misericordes & benefici viri lætabuntur, eorumq; causam apud Dei Iudicis tribunal erogatæ pauperibus opes agent, & victoriam feliciter impetrabunt; longissimè enim à suspicione mendacij est qui ait, *Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus*.

D.Hieron. ep. ad Heliod.

Ps. 40.1.

O quan-

O quantum, ò quale spectaculum erit, Diuo Ephren testante, diuinum inspe-
A ctare iudicem, post euersos, profligatosque suæ vocis fulmine improbos viros,
blando vultu, amicisque oculis ad misericordes viros conuerti, eosque dulciter D.Ephrem. ser. de pauper.
amplexari! *Tenebit illum Christus coram Angelis & Sanctis, statuensque in medio prædicabit illum, ostendet, ac dicet: hic homo esurientem me pauit, recreauit & cooperuit; propterea ego dico ipsi. Euge serue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini, & in vitam æternam.* Quid tum de mundi Principibus? quid de terrarum sapientibus? ad hanc dulcissimam, infinitamque iucunditatem hauriendam, an non satis expediret, non tenues tantùm opes, sed omnes, si in nostrâ potestate essent, vniuersi diuitias, ipsasque Cæli stellas erogare?

§. III.

B HINC etiam inæstimabilis ea vtilitas emergit, quæ in eo sita est, vt pauperum amatores de beatitatis æternitate certiores agat, hoc est ad eum finem eos adducat, qui vtilitatibus & voluptatibus quibuscumque est præhabendus. Non ideò tamen alia etiam commoda desunt, quibus piorum hominum beneficentiam Deus in præsenti vitâ remuneratur. Nec enim satis Deo est, vt in futuro sæculo immensam propè reddat illis mercedem, sed alia etiam præsenter fruenda eis parat, iuxtà ea, quæ Salomonis ore promisit. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* Prou 19. 17. Quàm fœlix mercatura hæc est, ad cuius securitatem Deus ipse vadem se præstat, & quandam nobis Cæli terræque possessionem tradit: *Beatus homo qui habet Deum debitorem, & pignus pro paupere, & hypothecam & sponsorem*, sic Chrysostomus. D.Chrisost. Vides, quàm imbecillis humana sit cogitatio, & quàm infirma fides Christiana? totis viribus in sæcularium fluxarumque rerum mercaturâ, tot periculis, tot laboribus obsitâ adhæremus, cum fœlicius & securius mercimonium cum Deo initum haberi
C possit à nobis: in huiusmodi amorem meritò iratus inuehitur Chrysologus. D.Chrisol. ser.25.
Vsura mundi centum ad vnum, Deus vnum accipit ad centum: & tamen homines cum Deo nolunt habere contractum.

Quià autem Ecclesiasticum regimen, vt superiùs docuimus, molestiarum, & sollicitudinum labyrintus quædam est, quâ miserè irretimur, quis non agnoscat, quàm validè in huiusmodi aculeos eleemosina nostram roboret imbecillitatem, nostram mentem illustret, & gressus nostros in viâ assequendâ erudiat; oculatissimum præ reliquis Vatem habes hæc promittentem. *Cùm effuderis esurienti* Isai. 98.10. *animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam.* D.August. ep.100.

Quàm facilè ad Dei aures eorum preces perueniunt, qui pauperum preces misericordi aure recipiunt! quàm paratum Dei habet auxilium, qui pauperibus
D opitulatur! hac certè ratione ductus Anthemium subdiaconum monuit D. Gregorius Pontifex, vt illustri fęminæ grauiter laboranti subsidium aliquod pro suâ D.Greg.l.1 ep.57. facultate præstaret. D.Cæsar. hom.9. Quin Diuus Cæsarius expendit, quód ex ingenti propensione, quâ Deus ad nostrorum veniam nobis criminum largiendam afficitur, facilem hanc eleemosinæ viam aperuit, adeò vt ipsa non in dando, sed potius in recipiendo beneficio posita esse videatur. Vnus mihi instar omnium sit Cornelius Centurio Romanus, qui licet ethnicus, eò quod eleemosinis suæ preces Act.10. adiungerentur, facilè impetrauit, vt pronum suis precibus annueret Numen, & ad eius solatium è cęlesti sede, ęthereus spiritus aduolaret, & ad eius animum de Christi lege instruendum ipsemet Apostolorum Princeps à Deo mitteretur. Proh Deus! quot in vno beneficio beneficia glomerantur! *orationes tuæ, & eleemosinæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* D.Chrisost. hom.61. de eleem.to.6. Quę verba perlegens D. Chrysostomus ait, eleemosinæ ingenio validissimas nobis pennas aptari, quibus destitutis noctuarum instar ad suprema peruolare non liceret. *Quia orationis ala est eleemosina; quo vsque animæ tuæ alam hanc non addis, in cælum non volat.* Quot

eâ ætate Centuriones abundabant! nulli tamen horum vel cæleſtis ſpiritus ſe dedit inſpectandum, vel pro veræ fidei magiſtro Apoſtolorum Princeps Chriſtiq; A Vicarius fuit, Deo mandante, præſcriptus: ab vnâ eleemoſinâ tot beneficia collegit,

D.Chriſoſ. hom. 32. in ad Hebr.

Hanc beneficentiæ virtutem iám, vt ita loquar, deperit Deus, vt nihil quod ab ipſo poſtulet, reijcere poſſit: *Eleemoſina ſui operatores intra thronum Dei conſtituit. Amat illam Deus, pro quibuſcumque gratiam poſtulauerit, ſtatim impetrabit.* Dedi Chryſoſtomum. Pulcherrimæ ſanè virginis imaginem præferens ſe Diuo Ioanni Alexandrino Patriarchæ inſpectandam dedit, quæ diuinitatis ſolio proxima, ab eius ſinu quæcumque poſtulaſſet exciperet: hinc tanto amore illi Ioannes adhæſit, vt illi ferè ſe deſponſans, pauperes in poſterùm loco filiorum habens, ſua omnia ad eorum commodum largiretur.

Leonius in eius vit. Surius ibid. 23. Iun. Baron ann.

Quis autem crederet, quòd iàm Deo proxima eleemoſina cælique incola, ſedes ſimul infernas occuparet? cæli regiam aperit, Erebi carcerem obſtuit; Amazonis inſtar armata hìc aſſidet, ſupplex & humilis illìc effulget; pios viros ad B cælum vocat, ab inferis arcet, vbique triumphatrix: accipe iam Auguſtinum. *In horreis noſtris habemus abundanter, quæ flammas noſtras oblatione vnius panis extinguant: ante fores gehennæ ſtat miſericordia, & neminem patitur immitti.*

D. Auguſt. hom. 39. tom. 10.

Ad temporaneas iam vtilitates accedamus; cum tutelari noſtro Angelo ſe eleemoſina ſęderat, vt nos ab imminentibus vndique periculis præſtet immunes: ad morborum omnium venena vincenda, alexipharmacis omnibus, & balſamo ipſo potentior ipſa eſt: audi Diuum Cyrillum. *Non paruum eleemoſina cataplaſma, cum valeat omnibus apponi vulneribus.* Cùm pauperibus opem adminiſtraturus Diuus Philippus Nerius hiantem delapſus fuerit in foueam, è quâ ſine magno corporis detrimento euadere nefas erat, cæleſtem hanc virginem videre mihi videor ſimul cum Angelo è foueâ illum educentem. In pericula omnia clypei loco ſe obijcit, vt ea retundat, & arceat. *Nihil nobis nocebit in terrà, ſi nobis in Cælo miſericordia ſit patrona*: in Zenone Cæſare probatum hoc habes; C cum enim pia quædam mulier ardentiſſimis ſemel precibus vberrimo cum fletu effuſis ad virginem Deiparam acceſſiſſet, ab eâ rogatura, vt virgineum ſuæ filiæ florem, quem Princeps ille luxurie inſaniens vecordi potentiâ ipſi rapuerat, cælitùs vlciſceretur, precanti fœminæ reſpondit Auguſta Virgo, iam pœnas de tanto flagitio à Cæſare illo fuiſſe luendas, niſi Dei voluntatem ab intentâ vltione amouiſſent tot erogatæ indigentibus opes. O inuictam eleemoſinæ vim! diuinum furorem extinguit, Auguſtæque Virginis virginitatis amantiſſimæ dexteram obſtringit. Mutuò ſibi certabant in cæli theatro feminæ preces, & Zenonis eleemoſinæ: ſed victoria penes Cæſarem liberalem ſtetit. Quàm verè igitur docemur, *quòd ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſina reſiſtit peccatis*!

D.Cirill. in Catena.

D.Chriſol. ſerm.

Eccl 3. 33.

Diœceſim domumque noſtram ipſa cuſtodit, eaſque omnes moleſtias, quibus noſtrum regimen vexaretur, auertit. Expertus id ſatis fuit Diuus Ludouicus Galliarum Rex, qui cum ſimel ſub armigeri ſpecie ingentem auri vim egenis D tradidiſſet, Religioſo cuidam viro id curioſè inſpectanti ait, in egenis illis ſuas acies bellicas eſſe, quibus Regni ſecuritas ſtabat, & populorum fęlicitas efflorebat. Hinc Carolus magnus, Luſitaniæ Regina Diua Elizabeth, & Diuus Amadeus Sabaudiæ Dux, cum ſæuioribus procellis iactarentur, & bellorum turbine quaterentur, ad pauperes confugiebant, quorum precibus maximarum rerum euentus, totamque belli aleam commendabant. An non ex opibus Diuo Brunoni impertitis Rugerius Calabriæ Dux conſpirationem euaſit, quâ in eius vitam proceres quidam in Capuanâ obſidione aſſurgebant?

In eius vit.

In vita D. Brunonis.

D. Aug. ep. 138. tom. 2.

Hæc aliaque cæleſtia ſubſidia congruè, & neceſſariò Epiſcopi exigunt, vt ſui regiminis curſum fęliciter ad portum adducant. In morbis verò noſtris nullum validius & ſalutarius alexipharmacum adhibere ad eos profligandos licet, quàm eleemoſinam, quæ ſuam vim, & potentiam ex ijs manibus haurit, quæ vitæ ſimul, & morti dominantur: hinc ea verba Hieronymi, *ſi quod in medicis expendiſti, in pauperes effudiſſes, iam pridem ſanata eſſes.*

D. Hieron ep.

Fidem

A Fidem de hoc Tricensis Antistes Aitho faciat, qui læthalis febris vi extremum vitæ articulum attingens, sua vt omnia bona pauperibus impertirentur præcepit. Vix hoc fuit exequutioni mandatum, vt morbi veneno extincto statim conualuerit: rem totam commendauit ad eum scribens Diuus Bernardus, eo præsertim titulo, quòd cum alij suas opes post mortem paupeṙibus elargiendas eo testamento relinquant, viuens ipse prudentissimè, pijssimèque reliquerit. D. Bernar. ep 23.

Nec mirandum, si valetudinem alijs reddat, quæ vitam ipsam Tabitæ iam extinctæ reddiderit. Act 9.40.

§. IV.

PERGE: alia enim adhuc prodigia in eleemosinæ potentiâ perpendenda latent; An non prodigij loco est, quòd opum effusione pauperibus factâ,
B non minuantur opes, at augescant? Benefici viri domum puteo Diuus Clemens Alexandrinus confert, è quo quò maior aquarum copia hauritur, eò vberior fluit, vt in vberibus etiam experimur, quo maiorem lactis copiam præstant, eò pleniorem excipiunt. Hinc Diuus Ambrosius censet eorum auaritiam omninò damnari, qui eleemosynæ aduersantur; ijs enim artibus, quibus suas sibi seruare diuitias credunt, eas perdunt; & ex aduerso, *tibi proficit quidquid inopi contuleris: tibi crescit, quidquid in pauperes erogaueris.* Cle. Alex. l.3. Pedag. c.7. D.Ambr.l. de Nabot. c.6. ibid. c.12.

Non absque prodigio fieri, ait Plinius, quod in Salentino agro fons Mandulij, *neque exhaustis aquis minuitur, neque infusis augetur:* eâdem semper aquarum mensurâ consistit, & licet exuberans in eum Nilus efflueret, nullum aquarum ostenderet incrementum. Prodigio quodam maiori eleemosyna diuitias minuens auget, & amittens acquirit: do Chrysologum. *Vendendo comparat, recondit erogando, dum amittit, acquirit:* & ad Maximum Pontificem Stephanum scribens Ennodius, ait: *Nulla sunt potiora, quàm quæ vobis eueniunt de largitate*
C *compendia.* Plin.l 3. c.103. D.Chrisol. serm 25. Ennod. l.4. ep.8. In vita S. Ioan Eleemos.

Profectò Zaccharias Alexandrini Patriarchæ Ioannis discipulus, tantique Magistri in faciendis eleemosinis pijssimus imitator, commendandâ simplicitate non semel Deum alloquens in ista erupit: *habes tu quidem, mi bone Iesu, multa donanda, sed plura etiam pauperibus eroganda mihi sunt, tibi donanti vnquam ego non cedam.* Quàm morosus hic ego videar, si exempla omnia ad hanc rem accommodata velim recensere; vbique enim satis patet feracissimam eleemosynam esse, soloque illo fęcundiorem, quod pinguibus suis aquis Nilus enutrit: quàm benè Augustinus! *fęcundus est ager pauperum, & citò reddit donantibus fructum;* hanc si fœcunditatem homines expenderent, ad lucra ex opibus suis habenda, eleemosynæ cuncti studerent; do Chrysostomum. *Ars omnium artium quæstuosissima misericordia est.* D Aug. ser. 25. de verb. Dom. to. 10 D Chrisos. ho. 26. a 25 33. ad popul.

In Episcopis tamen, vtpote qui maiori quâdam lege ad faciendas eleemosy-
D nas obstringuntur, frequentissimum hoc prodigium fuit, vt in sacris monumentis licet agnoscere, & in ijs potissimum Diui Germani Antisiodorensis Antistitis: quis etiam illud Diui Ambrosij ignoret? *scio plerosque Sacerdotes, quò plus obtulerunt, plus abundasse.* Sur 31. Iulij. D.Amb. l. 2. de offic. c. 16.

Verùm quid de Tiberio Christiano Cæsare pronunciandum? Regij ærarij decoctorem Proceres & Aulici omnes eum appellabant & damnabant, nimiâque facilitate Imperij opibus effusis pauperum fouere desidiam; & quamuis querulas eorum voces compesceret dicens, *Nihil deerit Fisco nostro; tantùm pauperes accipiant. Per pauperes congregemus in Cælum, vt Dominus nobis dignetur dare in hoc sæculo:* adhuc tamen ineptæ eius probitati id ipsi tribuebant, ab eo carpendo non desistentes; contigit, vt insculptam in cubiculi pauimento Crucem Cæsar obseruans, ne prætereuntium pedibus calcaretur, vt ea illinc amoueretur præcepit, & digniori loco statueretur; Opulentissimus, quis credat, & inexhaustus thesaurus ibi latens emersit. Admirabundi ad hæc aulici fœlicitatem agnouerunt, quâ cum Deo per pauperum manus mercaturam suam Cæsar liberalis Greg. l.1. 5. c.9 Baron. ann. 582.

exercuit: Hinc cùm ad liberaliorem rerum vsum Cæsar erigeretur, rursus aulici timuere, ne inexhaustus ille thesaurus tandem deficeret; at rursus alibi Narsetis A maximos thasauros regalibus thesauris pares inuenit. Argue iam, si liceat, Tiberij largitatem.

Baron.ann. 457. Hist. Eccl Thesauros ex hoc fonte Tiberium educentem dedi, dabo iam Leonem Cæsarem Cęsareum diadema educentem; cùm enim priuatè adhuc conditionis vir cœcum, quem tortè offenderat, commiseratus, manus ei præstans, ad fontem eum adduceret, quem ad sitim recreandam ipse petebat, Cęlitum Regina se illi videndam exhibuit, eique præcepit, vt cœci oculos apposito luto illiniret; paruit ille, & reddita protinus fronti lux est; è tàm illustri pietatis opere Cæsareum diadema Virgo Deipara capiti Leonis imposuit. Viden, quàm Deo grata erga pauperes misericordia sit, & quàm prona diuinitas ad ea remuneranda, quæ licet beneficia

D Aug.ep. 105.c.2. nostra videantur, eius tamen dona sunt? egregiè nanque Augustinus. *Cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, nisi dona sua.*

De pià per conciones institutione ab Episcopis tradendà. Cap. LX. B

PASCE VERBO. Secundum hoc pascuum est, quo gregem suum enutrire Pastor optimus debet. Quià ad hunc finem collimare ipse potissimum tenetur, cùm ad suum Sacerdotium maximè referatur. Hoc primum

Luc.19. nobis Christianæ disciplinæ Magister significauit, cùm de talentis eorumque ha-

DGreg.l.2 ep 39. in dist.10, bendo mercimonio parabolam instruxit: & hoc Carthaginensi Præsuli Dominico Diuus Gregorius Pontifex indicauit, Episcopalis dignitatis ei onus amplificans, cui vt satis abundè faciat, debere vt, *de Prædicationis semper ministerio cogitet: intentissimo timore considerans, quòd recessurus ad percipiendum Regnum Domini, & talenta seruis distribuens, dicat, Negotiamini dum venio: quod profectò negotium tunc verè nos agimus, si viuendo, & loquendo proximorum animas lucramur, si infirmos quosque, cælestis Regni gaudia prædicando, in superno amore roboramus, si proteruos ac tumidos, gehennæ supplicia terribiliter insonando, flectimus, &c.* C

Magistri sui exemplum imitatus etiam Paulus Apostolus, cùm proximus ei triumpho esset, quem in cælesti Capitolio cruenta mors ei construebat, Timo-

1.Tim. 4.1. theum Ephesinum Antistitem admonuit, vt populi animos concionibus repetitis accenderet, & cicini instar suaues has voces moriturus emisit, ni potius leonis instar hæc dicens rugijt, dum minas & obtestationes superaddit. *Testificor coram Deo & Iesu Christo, qui iudicaturus est viuos & mortuos, per aduentum ipsius, & Regnum eius.* Quis nam sonorum magis & validum duxit exordium? ex eo quæ D ipse colligat audi? *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra,*

D. August. contra Cresc.l.1.c.9 tom.7. 1.Tim. 11. &deinceps. *increpa in omni patientià & doctrinà.* Nec ad Timotheum tantùm instruendum hæc ab Apostolo pronunciari quis existimet, ait Diuus Augustinus; omnes enim Antistites in vno Timotheo ipse informat; illud etiam obtestatus, quòd in vniuersi decretorià die, seuera de hoc ratio reddenda nobis Deo erit. Aliâ quidem epistolà eundem Timotheum ad sacrarum paginarum lectionem habendam, & populos concionibus instituendos excitauerat Paulus, sed de ijs non contentus & languorem prænosceens, quo deuoluendis posteà sæculis, Episcopi hac in re pręstandâ torpuissent, validiori rursus epistolâ eundem excitat, nosque omnes extimulat.

Cum terrę salem Episcopos Magister cęlestis appellat, eos quodãmodò obstringit, vt non tantùm ad suos mores condiendos, sed ad populorum etiam animos

D Gregor. hom.19. Act. 6.2. à vitiorum putredine seruandos, elaborent; habes hac à Diuo Gregorio sic docente. *Debemus pensare, quod à Domino Sanctis Apostolis dicitur, & per Apostolos*

los nobis. Vos estis Sal terræ; Si igitur Sal sumus, condire mentes fidelium de-
A *bemus.*

Quamobrem, qui primi Christianæ Religionis Episcopi fuerunt, & ex ipso Christi fonte diuinæ fluenta sapientiæ hauserunt, vt concionibus disseminandis essent aptiores, ministerium aliud omiserunt, quo viduis & pauperibus victui necessaria suppeditabant. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis*: licet ad hæc charitatis opera præstanda impensè obstringantur Antistites. Hoc suffulti exemplo, Quartæ Carthaginensis Synodi Patres statuerunt, vt Archipresbyteri, vel Archidiaconi operâ ad viduarum pupillorumq; curam gerendam vterentur Antistites, vt omne studium in concionibus & precibus habendis apponerent.

Cõc. 4. Carthag. c. 20. c. Episcop. nullam 6. & c. seq. 88. dist.

Hinc Diuus Clemens *receptacula Verbi Dei, & præcones eius*, appellat Episcopos, & apud Theodoretum Valens & Valentinianus Cæsares *Verbi salutaris Præsides*. Zonaras verò Apostolorum Canones explicans ait, concionari esse
B *inexcusabile debitum Episcoporum*: quod apprimè consonat ijs, quæ similem in modum Sancti Cyprianus & Ambrosius hac de re pronunciarunt.

D. Clem. l. 2. const. Apostol. c. 25. Theod. hist. Eccl. l. 4. c. 7. Zonar. in can. 57. Apost.

Quos imitati, Patres venerandi, qui Lateranensi Concilio sub Innocentio Tertio, & Moguntino, & recentissimè Tridentino præfuerunt, vnanimes statuerunt, potissimam Episcopi opem in populis per conciones erudiendis impendendam; quæ satis illis accommodantur, quibus Moysem Ietro Socer informauit, quæque Deus ipse confirmauit. *Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, &c.*

D. Cipr. in proemio exhort. ad mart. D. Ambr. l. 1. off. c. 1. Conc. Lat. sub Inno. 3. c 10 c. inter cæt. de off. ord. Conc. Mogunt. c. 25. Conc. Tri. sess. 5. c. 2. de refor & sess. 24 c. 4. de refor Exod 18.

Non tantùm ad Isaiam directa ea verba fuere, *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam*, sed ad Christianos Episcopos, qui Diuini Spiritus aureæ tubæ sunt, quibus ad bellum vitijs inferendum excitamur. *Præconis quippè officium suscipit, quisquis ad Sacerdotium accedit, vt ante aduentum Iudicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur: Sacerdos ergò, si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus?* sic Gregorius.

16. Isai. 58. 1. D. Greg 2. past. c. 4.

C Hoc ipsum, vt lucidius significaret Deus, præcepit olim, vt Sanctuarium ingressurus Maximus Sacerdos, vestem indueret, euius in limbo sonoræ campanulæ alligarentur, quarum sonitus omnium aures attingeret. nec alia de causa ignearum linguarum speciem præferens Diuinus Spiritus Apostolorum capita occupauit, nisi *quia quos repleuerit de se, protinus loquentes facit*.

Exod. 2. 8. Act. 2.

Totus vox Episcopus sit; quòd si apud Terentium Demeæ Cyrus ait:

Tu quantus quantus, nihil nisi sapientia es.

Quis de Episcopo inficietur, totum oculum eum fore ad populorum commodo euigilandum, totum vocem, ad eosdem de verâ fælicitate instruendos.

Terent. in Adelph. act. 3. scæ. 4.

Ex his alijsque subijciendis patet, concionandi onus Episcopali Sacerdotio impositum esse *de Iure Diuino*; quod ni fallor, satis encielicâ epistolâ, quæ sacros inter Canones habetur, significatur, in qua Euaristus Pontifex, postquam edocuit, connubium, quod Ecclesiam inter sponsam & Episcopum initur, in
D Cælo simul confirmari, addit teneri Episcopum populos suos erudire, eiusque doctrinam à populis amplexandam.

Euarist ep. 2. c. sicut 11 7. q. 1.

Beatus item Villanouanus Thomas docet, quòd sicuti ad obseruantiam & obedientiam suum erga Præsulem tenentur populi, sic ad eos custodiendos & docendos tenentur Antistites. Quid plura? An non ipsâ consecrandi Episcopos formulâ habetur. *Vade & prædica Euangelium populo tibi commisso.*

D. Thom. à Villanou. Conc. dom. 4. post pascha. In Pontif.

Hine in secundâ Hispalensi Synodo statutum fuit, vt vbi Episcopus adesset, concionari nullus auderet; quin recentis adhuc Ecclesiæ ætate, vni tantùm Episcopo concionari licebat; quàpropter, cùm Diuus Valerius, eò quod è Græciâ veniens, latinum idioma, quo in Africâ tunc temporis vtebantur, vel nesciret, vel ineptè exprimeret, Diuum Augustinum in concionandi munere sibi subrogauit, insuetatum quid ferè & prodigiosum visum omnibus fuit, Possidonio referente. *Eidem Presbytero potestatem dedit coram se in Ecclesiâ Euangelium prædicandi, ac frequentissimè tractandi, contrà vsum Africanarum Ecclesiarum.*

Conc. Hispalen. 2. Possidon. in vita Aug. c. 5.

Et sanè congruum maximè fuit, vt ad solos Episcopos concionandi opus tantùm

tùm sectaret, vt scilicet superiorem Hyerarchiam aptius inferior hæc exprimeret, & simul imitaretur. Hinc Salonensem Antistitem meritò Diuus Gregorius damnauit, eò quòd reliquis studens, concionandi munus omisisset, & Neapolitanum Antistitem rursus admonuit, eâ sibi diligentiâ populos sacris concionibus excolendos, quâ vberes ex eis fructus, optatamque messem de eo exhiberet. A

D.Greg. l.2 ep.14. D.Gregor l.2 ep.7.

§. I.

EA Malachiæ verba clarissimus scriptor Diuus Hieronymus expendens, *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius*. Et ea simul Apostoli, quibus Cretensem Antistitem monuit, cum in Episcopum eligendum, qui *potens sit exhortari in doctrinâ sanâ*: hoc ex eis colligit, quòd scilicet, *frustrà iactat dignitatem, cuius opera non exercet*. De Episcopi maiestate erubescat potius, quàm superbiat, qui Episcopi munus explere recusat. B

Malach.2.7 & ibi D. Hieron. Tit.1.9.

Hinc ad Antistitem Cantuariensem Alcuinus scribens illud eleganter addit. *Memor esto semper, quòd guttur tuum tuba Dei debet esse; & lingua tua omnibus præco salutis.* Hinc vt Dominicâ quauis die concionibus populum Episcopus ageret, vsitatum olim fuit, Diuo Iustino referente; quod Diuus Augustinus de Diuo Ambrosio confirmat, & de se ipso Diuus Nazianzenus.

Aluin.ep.1 D. Iustin. apol 2. D. Aug. l.6 conf. c.3. D.Gregor. Naz. or. 9. Sur. in vita S.Gustani 49. Maii. Caluin.l.4. instit. c.7. ſ.24 & seq. Bellar. to.1 contr.l.3. c.2.

E Sanctissimis hisce legibus, impium quid & propè nefandum, hæreticorum more omnia per summam impudentiam destruentium, Caluinus collegit, quòd scilicet cum potissima Episcopi munera sint, vt sacramenta simul & sacras Conciones populis administrent, cum Summus Pontifex neutrum ex his præstet, non Episcoporum tantùm Princeps, sed ne quidem Episcopus dicendus sit. Deliramenta hæc ineptissima, & stolido tantùm è cerebro effluentia, satis superque diluit Cardinalis Bellarminus, qui optimè ostendit Episcopi nomen quod, *speculator* vel *superintendens*, significat, ne quidem ab eo intellectum; Episcopi namque munus non in concionandi ministerio, sacramentisque administrandis versatur, sed in sacrâ quadam Præfecturâ, quâ in rebus sacris atque Diuinis moderandis, & consequenter in pœnis irrogandis, & legibus statuendis, vti potest, adeòque cùm legitimè impeditur, potest alios sibi in hisce præstandis subrogare, vt infrà dicetur. C

Verum quidem est, quòd de Episcopis, non de supremo Episcopo sermonem habentes, qui vnius tantùm Diœcesis regiminis præficiuntur, satius pro illis arbitramur, si Episcopatus sacerdotium non haberent, quàm si illud habentes eius operibus non studerent. Relata superius ex Apostolo verba ad Timotheum scripta Theophilactus expendens, terrore non leui concussus, air. *Quid ergò nobiscum agetur, qui nunquam prædicamus?* ac si diceret, interroganti ac iudicanti Deo quid respondebimus, & si tàm vtile, validum, & salutare ministerium neglexerimus, quid de nobis à Deo Iudice agetur? D

Theop. in 2.ad Tit.4.

Nec enim leue quid, & tenue videndum est, si validissimam ad populorum salutem, ad beatitatis exquisitionem, ad Dei gloriam, & Christi voluntatem explendam nostri muneris viam omiserimus: quapropter, vt Diuus Gregorius air. *Quo reatu astringantur, aspiciant, qui dum peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus animabus vitæ remedia abscondunt?* Quid in promptu nobis erit, vt Dei interrogationem diluamus, Hieremyæ ore nos alloquentem. *Vbi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?* quid dices cùm visitauerit te? responsum ipsum horrendum quidem & formidandum ab Ezechiele habes; iam illud accipe; si Episcopus ad populorum vulnera curanda, eosque à vitiorum lue vindicandos, *cecinerit buccinâ & annunciauerit populo*, & populus suæ saluti non consuluerit, præstitaque remedia reiecerit, reus ipse mortis erit; si verò ad Pastoris conciones ad meliorem frugem respiciet, salutem sibi pariet æternam. *Quod si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccinâ, & populus se non custodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in ini-*

Greg. past. Hierem.13. 20. Ezech.33.3

qui-

quitate suâ captus est: sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Nisi igitur A tubarum cælestium instar classicum in vitia dederimus, & nisi agricolas imitati, praua germina è Christianâ Religione auellere studuerimus, virtutumque plantas excolere, in nostrum caput pœna tota irruet, in nostram calamitatem Diuina vltio obarmabitur, & populorum sanguis è manu nostrâ requiretur. Quid hoc grauius, quid validius excogitari hoc vnquam potest?

Sui pœnam interitus Deus maximo Sinagogæ Sacerdoti comminatus fuit, nisi campanularum sonitu suam præsentiam patefecisset: *audiatur sonitus Aaron, quandò ingreditur, & egreditur sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur.* Exod. 28. 35. Ad hæc explicanda Aedipus non est aduocandus; mors enim ijs Episcopis adesse indicatur, qui suæ vocis sonitu populos non informauerint; do mentem, & verba Gregorij. *Sacerdos nanque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur, quià iram contra se occulti Iudicis erigit, si sine sonitu prædicationis incedit.* D.Greg. 2. part. c. 4.

B Ipsemet Paulus Sanctitatis Idæa, & vas electionis, sibi ipsi minas, & metum incutiens aiebat. *Væ enim mihi est, si non euangelizauero.* Aeternus interitus hoc *Væ* indicatur, & in eos infertur Episcopos, qui Episcopi munus negligentes, in populo instruendo obmutescent; hoc sanè obtestatus fuit omnibus Nicolaus Primus Pontifex ad Michaelem Orientis Cæsarem scribens tali stylo. *Dispensatio calestis est nobis iniuncta; væ si non sparserimus, væ si tacuerimus: quòd cum vas electionis formidet, & clamet, væ mihi: quantò magis cuilibet exiguo formidandum erit?* 1. Cor. 9. 16. Nicol. 1. PP. to. 3. Conc.

Quibus etiam ea consonant, quibus Symmachus Maximus Pontifex in Sextâ Romanâ Synodo Episcopos omnes excitauit ad tàm excelsum, & tàm illustre ministerium explendum; *væ nobis qui ministerij opus suscepimus, si Domini veritatem, quam Apostoli prædicauerunt, prædicare neglexerimus. Quid in futuro Christi examine dicturi sumus, qui populum docere iubemur?* Tullius, Demosthenes accedant, Deoque Iudici quid responderint non habebunt. Simmac. in Synod. Ro.

C

Episcoporum à Concionibus sacris abstinentium tres excusationes diluuntur. Cap. LXI.

QVID tamen est, vt vel latinam, vel græcam hic ego eloquentiam aduocem, cum satis existiment nonnulli Præsules tribus allatis rationibus se expurgare. Primùm itaque rerum copiam obrendunt, & curarum acies, quibus Episcopi obsidentur, & simul impediuntur à Concionibus habendis, quæ vacuam curis mentem, nullisque distractam operibus manum exquirunt. D Hoc sanè agnoscentes, tùm Lateranensis, tùm Tridentinæ Synodi Patres, nostræ ætatis conditioni se accommodantes permiserunt, vt ad concionibus instruendos populos aliorum operam Præsules subrogarent. c. inter extera 15. de off ord. Conc. Trid. sess. 4. c. 4. de reform.

Verùm in re tàm graui, ne, quæso, ambiguo sermone nos implicemus: in Synodo enim Lateranensi supponitur, quòd non semper, at frequenter contingere possit, *quod Episcopi propter occupationes multiplices, vel inualetudines corporales, aut hostiles incursus, seu occasiones alias, per se ipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maximè per amplas Diœceses & effusas.* Tridentina verò Synodus non cuicumque impedimento acquiescit, sed Episcopos tantùm excusat, *si legitimè impediti fuerint*: E quibus duo magni momenti consequuntur; primum quòd rerum agendarum copia *ad tempus* quidem excusare nos valeat, non semper, cum perpetua non sit. Alterum quòd grauissima ea debeat esse res, quæ à tàm graui opere nos auertat, quo nostrum ministerium explentes, aliorum saluti, Deique honori prospicimus, & quod, vt ibi pronunciatur à Tridentinâ Sydo, *munus Episcoporum præcipuum est.* Quàm magnis curis, quantis olim operibus

bus distrahebantur Ambrosij, Augustini, Hilarij, Gregorij, alijque perquàm multi; recentiori verò ætate quantis sollicitudinibus premebantur Beatus Thomas Villanouanus, Carolus Borromæus, & Fraocilcus Salesius Gebennensis Episcopus, qui tamen, vt ex scriptis eorum monumentis constat, frequentissimi fuerunt in concionibus populo informando. A

Diuum Ioannem Chrysostomum Constantinopolitanum Præsulem videre mihi videor, in magnâ illâ Vrbe, maximâque suâ Diœcesi gubernandâ totum incumbentem, cum viris improbis, cum Hæreticis, cum Barbaris, cum aulicis, ipsâque cum Cæsarissâ Eudoxiâ acriter confligentem; his tamen, quibus vndique confligtabatur, impediri ipse non potuit, quin frequentissimus concionibus ad populi aures insonaret. Vix ille Constantinopolitanas Infulas induit, vt Cæsarem, Dynastas, aulam totam de sui muneris re obtestatur, quâ obstringebatur, ad prauos mores sonorè increpandos, & vitia omnia concionibus flagellanda. Indignatur quidem Eudoxia, & in se Chrysostomi vocis fulmina immitti credit, auaritiam insectantis: preces primò, tunc minas adhibet ad eius vocem compescendam: sed frustrà: respondentem audi. *Cum sim Episcopus & commissa mihi sit cura animarum, apertum scio esse periculum non arguere iniquitatem.* Quin non tantùm à concionibus habendis non abstinuit, eius indignationem metuens, cuius arbitrio tota aula ipseq; Cæsar flectebatur; sed validiori semper & vberiori eloquentiâ exundans, vitia, morum corruptelas tanto diuini ardoris robore agitabat, vt populi frequentiâ semper maiorem in morem confluente, è presbiterio medium in templum suggestus esset efferendus. Quid ad hæc nos respondebimus? An tot tantisque nos premimur, quibus Chrysostomus premebatur? an ijs nos adeò obruemur, vt otium dare non possint, quo vel semel, vel bis in singulos menses, vel Moniales, vel Clerum, vel populum sacrâ concione alloquamur? quàm vereor, ne ipsius Chrysostomi sententiâ damnati perdamur, cùm hoc potissimùm titulo plures Episcopos præcipites æternùm ruere Chrysostomus arbitretur. B

D.Chrisof. hom. 44. in act. Apost. Sur. in eius vita.

Surius. vbi sup.

Alterum, quo alij ab habendis concionibus animum auertunt, in vel ingenij, vel actionis defectu versatur, quo facillimè abundent ij, qui ex Astreæ potius quàm Theologiæ sedibus ad Episcopale solium aduocantur: Hanc tamen excusationem fęliciter tùm Apostolus, tùm Lateranense Concilium diluit. C

D Chrisof. hom. 2. in act Apost.

Apostolus inquam, qui dotes describens, quæ in Episcopo exiguntur, ad eum tanto ministerio dignum conficiendum, eam etiam apponit, *vt sit Doctor, & magister*; & ad Ephesios scribens, deque Episcopis loquens, doctoris simul, & pastoris muous inseparabili quodam nexu coniungit. *Alios Pastores, & Doctores*: Iam quærit Diuus Chysostomus, *vt quid dicit Apostolus, oportet Episcopum esse Doctorem, nisi vt doceat?* cui suffragatur etiam Diuus Thomas docens, Episcopi potissimum munus in fidei rebus edocendis consistere: rursus Diuus Hieronymus ait Apostolum illis verbis, *Pastores & Doctores*, satis ostendere, non duo distincta munera esse, sed ab infulis sacris omninò remouendum, qui sui gregi instruendo pares vires nequaquam sortiatur. *Vel certè aliter, vt vnus atque idem Præses Ecclesiæ sit Pastor, & doctor: Pastor ouium, magister hominum*: quâ etiam formâ eadem verba à Diuo Augustino explicantur; his etiam Diuus Anselmus adhærens ait. *Pastores enim, & Doctores vnum regentium ordinem intelligimus, quia gregem Dei ipse veraciter pascit, qui docet: & ideò non dicitur distinctè alios verò Doctores, sed dicitur coniunctè, alios autem Pastores & doctores, vt intelligerent suum officium esse suam doctrinam*. Quæ rursus ipse allatâ ratione confirmat, infirmam scilicet esse vitæ probitatem, si docendi virtute vacuetur. *Nihil prodest conscientia virtutum frui, nisi & creditum sibi populum possit instruere, & eos qui contra dicunt redarguere. Innocens ergo absque sermone conuersatio, quantùm exemplo prodest, tantùm silentio nocet: & latratu canum, & baculo Pastoris, luporum rabies deterrenda est.* Canum igitur instar latrare docendo debemus, ne illud probrum Isaiæ ore prolatum nobis adscribatur. *Canes muti non valentes latrare*. D

1.Tim 3.

D.Chrisof. hom. 15. in 1.Tim. 1. DThom. in ep. ad Ephe. 4. 11. D.Hier. in ad Ephes 4.

D.Aug. ep. 59. ad Pauli in solut. 4. quæst. DAnsel. in 1.Tim. 3.

D August. contra liter. Pesil. l. 3. c. 10. Isai. 56. 10. c. inter cætera 14 de offic. iud. ord.

Lateranensis etiam Synodus eandem rursus excusationem profligat; permittens

tens enim Episcopis, vt si curarum ingruentium pondere à concionum haben-
A darum munere distrahantur, subrogare alios ad eas habendas valeant, statim subdit: *Ne dicamus defectum scientiæ, quod in eis reprobandum est omninò, nec de cætero tolerandùm*. An non aperta adeò verba ista sunt, vt explicatione egeant? Sanè quis vnquam hebes & rudis adeò est, vt simplici planoque stylo, qualis Episcopum decet, sermonem suum nesciat aperire, & Dei leges exprimere? Diuus Augustinus ingeniorum cæteroquin apex, obtestatus omnibus est, se potius de sacris rebus suum populum alloquentem, mallè à Grammaticis de nimiâ dicendi humilitate, quàm de nimiâ sublimitate reprehendi. D. Aug. in ps. 138.

Sanctorum homilias peruoluenti clarè patebit quonam stylo sermonem ipsi suum debeant effingere: qua de re Nepotianum Diuus Hieronymus monuit, qua de causa voces illæ Ancyrani Concilij, quæ homilias sonant Dyonisius exiguus interpretatur, *allocutiones Episcoporum*, eædemque ipsæ sunt quas Diuus Augustinus vocauit, *exhortationes Ecclesiæ morales, id est ad corrigendos* B *mores*. Conc. Ancyran. c. 1. & 2. D. Aug. ser. de verb. Dom.

Quis vnquam è Iurisperitis est, qui Canones apprimè non calleat; in his autem an non Theologiæ quædam summa continetur, præterquàm quòd è tam diuite librorum vndique scaturientium copiâ, mirum quantum concionandi disciplina facilis omnibus euaserit? licet igitur hac in facultate rudis ipse sit, nec vt Chrysostomi sententia est, exercitatione vlla se excoluerit, adhuc tamen facili labore tùm se, tùm alios posset erudire. Chrisost. 5. l. de sacerd. Sup par. 2. c.

Præterquàm quòd, vt superiùs dictum est, in sua consecratione concionandi munus ipse subit, Deoque qui non *irridetur* sanctâ sponsione se obstringit: auertere potius animum ab huiusmodi sacerdotio debebat, qui pauper & ieiunus ingenio, panem suo populo subministrandum non habebat, ne Vatis illud verum fiat. *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*. Eum potius imitaturus ipse erat, qui apud Isaiam ait, *In domo mea non est panis, nolite constituere Principem*. Qualis sanè in Christiana religione error inualesceret, si cælesti pa- Thren. 4. 4. Isai. 3. 7. D. Basil. ibid.
C ne destitutus ad pascendos populos præficeretur? audiendus Basilius. *Absit, vt Præsul Ecclesiæ in domo sua, hoc est in arcano secessu cordis sui non habeat panem doctrinæ viuum, & viuificantem qui confirmare possit cor hominis*.

§ I.

AD Tertiam iam excusationem profligandam accedamus, quæ ex eo petitur, quòd è religiosis familijs quàmplurimi hac ætate scateant, qui *ex professo* concionandi munus exerceant, & in eo suum Deique nomen illustrent: eos igitur sui loco subrogantes Episcopi suo muneri deesse non videntur.

Hæc excusatio licet locum habeat in Diœcesi, cui adesse non potest Episcopus, & in eo tempore, quod iuxtà sacros ritus Aduentus & Quadragesimæ vo- Sur. 2. Maij
D catur, quibus ex aliarum rerum agendarum copia suæ mentis vires impendere non licet in concionibus tam frequenter habendis Episcopo; hæ enim vt verum fatear pluuiarum instar, nec perraró, nec quàm frequenter habendæ sunt, iuxtà illud Diui Hieronymi. *Prædicatio si rara non sufficit, si assidua vilescit*. Cæterùm duobus titulis infirma excusatio hæc est, & omninò reprobanda.

Primò etenim, quia Tridentina eadem Synodus, quæ, si legitima impedimenta fuerint, subrogare sibi alios permittit Episcopo, statuit etiam, vt illis non præpeditus personali sermone suum munus adimpleat. *Omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint*. Quin in eiusdem Concilij conuentibus Episcopi, & præsertim Hispani non leuiter laborarunt, vt concionandi munere religiosi viri omninò abstinerent, cum id ad solos Episcopos præcipuè referatur. Conc. Trid. sess. 5. c. 2. de refor.

Secundò, quià satis experientia habetur, quòd licet hac in re religiosis viris Episcopus, vtpotè tot alijs operibus implicatus, minor iudicetur, adhuc tamen

vtilior & magis populis subiectis gratus Episcopi sermo est, eo prorsus modo, quo è leui simplicique parentis admonitione magis proficit filius, quàm ex prolixo aptoque Pedagogi sermone: sanè cum Apostolo vsurpare illud Episcopus potest, *nam si decem millia pedagogorum habeatis in Christo; sed non multos* A
1 Corin 4. 15. *Patres*. Sic etiam longè puerulo salutarius est matris lac, quàm nutricis. Exterorum enim sermones quàm frequenter subtilissimis disputationibus immiscentur, æquè populo ignotis, ac sint Eccentrici, & Epicicli Astrologiæ; quâ in re, licet auræ populari studentes, perdocti videri velint, suam tamen inscitiam omnibus manifestant; cùm enim tunc optimus sermo habeatur, cùm aptè, & accommodatè populorum capacitati instituitur; qui sapientes eos dicant, qui tempus in lenocinijs, & phaleris sermoni aptandis impendentes, ea negligunt, quæ studenda ipsis maximè essent, vt Christianos auditores ad salutis viam capessendam vitiorumque fugiendam semitam excitarent? sanè quò doctiores
Sen. ep. 88. indoctis, eò doctis indoctiores videntur, iuxtà illud Senecæ. *Odibilius nihil est subtilitate, vbi est sola subtilitas*. Quod ille aptissimâ acutâque comparatione confirmans ait, *Quid est acutius arista? in quo vtilis est?* In grano fructum habes, in aristâ licet peracutâ nihil habes quod premas. B

Quin validè in eos Diuus Hieronymus inuehitur, Nepotianum, omnesque in eo sacros Oratores admonens, vt hanc concionandi formam auersentur, eamq; non commendandam censeant, sed damnent; quandòquidem, *nihil tam facilè,*
D Hieron. ep. ad Nepotian. *quàm vilem plebeculam, & indoctam concionem, linguæ volubilitate decipere; quæ quidquid non intelligit plus miratur.* Quin sui furoris fulmina in eos Dei manu vibranda satis docet Apostolus ijs verbis ad Ephesinum Præsulem scriptis: *si quis*
2. Tim. 6.3. *alter docet, nec acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & eius, quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus, & languens circa quæstiones, & pugnas verborum, huius graue est Iudicium*.

Prudentissimi tamen Concionatores sint: adhuc tamen non eam ipsi vtilitatem suis concionibus afferre possunt, quàm Episcopi sermo deriuabit. Cùm enim populi mores, idolum, affectiones, vitia, morbos, ipse vnus præ omnibus sciat, vnus ipse ad eorum necessitatem accommodatum potest instituere sermonem, Apostolum imitatus, qui Corinthios docens, ait, non difficillimas se disputationes instruxisse, ad Aristotelis Lycæum cum Platonis Academia componendum, sed genitricis instar lac illis dedisse, vt pote qui adhuc in Christi susceptâ fide tenerescerent, *Lac vobis potum dedi*. C
1. Cor. 3.2.

Quàm pariter genitricis formam imitatus videtur Diuus Augustinus, his verbis! *Me putate matrem animarum vestrarum esse, & ità vos velle componere, vt in*
D. Aug. in ad Galat. 3. 19. *vobis nec macula, nec ruga possit ante tribunal æterni Iudicis apparere &c.*

Præter quàm quòd iniuriosi nimis nobis essemus, si sublimi adeò cælestique munere nos expoliantes, aliorum opera in eo præstando vteremur, & quos nostri sacerdotij administros, & coadiutores accepimus, tam Apostolico & illustrissimo præ alijs ministerio decoraremus. In hoc certè nostræ thiaræ præcipuum
D. Brigitta l. 4. reuel. c. 126. decus irradiare, Diuæ Brigittæ Deipara Virgo significauit. An ne igitur dignitatem nostram dehonorare velimus, nos impares exhibentes in re tàm splendida, iàm salutari conficienda? cùm autem, *nihil volenti difficile*, tantùm hoc supetest, vt ingenij talentum nobis à Deo impertitum exercere valeamus, & in alienam vtilitatem impertitam nobis facultatem impendere. D

Con-

A

Concionum frequentiam non ommittendam ab Episcopo, licet inutilis videatur.

Cap.LXII

QVOAD vsque Pompeij arma tractauit ambitio, post hostium cædes, regnorumque subactorum trophæa, victoriâ Duce, Capitolium triumphaturus accessit: verùm vbi pro patriæ libertate seruandâ, Romanęque maiestatis labantis, & labentis nomine fulciendo, pro Cæsareâ tyrannide delendâ bellum inijt, miserrimâ fortunæ conuersione è victore victus erubuit, victricesque lauros in ferales cupressus immutatas inspexit, alienos triumphos suis cladibus fouens, alienam gloriam suomet funere enutriens. Ad hæc quis exprimat, quantâ tristitiâ obrueretur populorum omnium vniuersitas, cum perpenderet non virtuti, sed vitio fortunam bellicam militare, nec iustitiæ, sed tyrannidi Cæli arma fauere. Pari sanè modo grauissimo premuntur angore Episcopi, dum oculati inspiciunt, quàm facilè scurrilibus, & indecoris sermonibus, & loquendi licentiæ, qua Momi & Mimi cuncta deuastant, Christianorum animi, & aures adhæreant, triumphi materiem vitio exhibentes: cum è contrà sacras conciones nullo in pretio esse, & simul cum vocibus euanescere, nulli vtiles agnoscant. Quamobrem mæstitiâ non leui obsessus, suique fastidio captus Spartam, quam operosè colebat omittit, ea Hyeremiæ verba vsurpans, *Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam*; nec pauci sunt (Hierem. 51. 18.) illi qui hac excusatione à concionibus habendis animum amouent, operamque C auertunt.

De camporum feracitate exultant & ditescunt Agricolæ, cum è contrà ex eorumdem sterilitate in indignationem desperationemq; vertuntur; hinc oritur, vt eorum malignitatem agnoscentes, incultos eos omittentes, belluis tantùm peragrari patiantur. De Pauli concionibus eximiè proficientes Corinthios ciues vt Titus Episcopus vidit, eximio animi gaudio gestijt, ipseque Paulus continere se non valuit, quin gaudium suum eisdem exprimens diceret. *Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Titi: non solùm autem in aduentu eius, sed in consolatione qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, vt magis gauderem, &c.* (2. Cor. 7. 6. Liran. ibid.) Nam Lyrano explicante *reficiuntur Prælati de profectu subditorum*. E contrà verò quàm dolet, quàm tristatur, quàm angitur Præsul ille, qui proteruiores semper & vitio magis addictos populos suos experitur, nulloque planè fructu virtutum D suarum semini respondentes. Inconsolabilis planè is est, eo sanè modo, quo solatium omne ea mater excludit (sic philosophatur Diuus Bernardus) quæ post (D. Ber. ser. 4 sup. Can.) validissima medicamina ad ægri filij vitam seruandam adhibita, tandem eum spectat extinctum. Sui populi contumaciam semper duriorem Moyses idem expertus, Deum ardenter orabat, vt tandem vitam eius abscinderet tanto se onere (Num. 10. 15.) expediturus. Præsuli de suis operibus nullum prope fructum colligenti ea Psaltis Regij verba Diuus Augustinus accommodat: *Miserere mei Domine, quoniam tribulor, contristatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.* (D. Aug. sup. illud Psal. 101. quia defecerunt sicut fumus.)

Hinc tamen haud quaquam Episcopi mens auertenda est à sui gregis cura; quin quò eum magis à sacris pascuis auersum videt, eò operosior incumbere illi tenetur, & quò magis paratos ille cibos recusat excipere, eò exquisitiores & dulciores illi parer, oportet.

Haud me latet, quòd licet omnes nostri animi vires sint intendendæ ad populos in via salutis concionum stimulis excitandos, tantum opus, vbi potissimùm de reuocandis ad Deum improbis viris, ad Dei virtutem sit referendum; cùm

Dei sit hominum voluntatem ad sui nutum flectere, & quòcumque ei libet inuertere. A

Baron. ann. 865 & to. 3 concil. Ad Michaelis Tertij Orientis Cæsaris epistolam tantâ blasphemiarum nequitiâ & calumniarum proteruiâ scatentem, vt totâ Synodo approbante flammis absumenda fuerit data, responsionem Diuus Nicolaus Pontifex præbens, humillimas preces Deo porrigebat, vt quæ ipse calamo in paginâ exararet, ea ipse in Principis animo insculperet; frustrà enim linguæ vomere humani pectoris solum scinditur, ni cælesti è fonte diuinæ ros benignitatis in illud aspergatur.

Qualibet vel validissimâ & ad omne robur compositâ eloquentiâ præstet orator, inanis quicumque labor erit & irritus clamor, ni Dei prius voce audientium aures doceantur. Quàm bene Diuus Gregorius, *Nisi Spiritus Sanctus adsit cordi audientis, otiosus est sermo doctoris.* In partes secesserunt Corinthij ciues, nonnullis Paulo, alijs Apollo adhærentibus; vt omnes ab errore, quo implicabantur, auerteret Paulus, scripsit. *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.* Arborem serere, plantare, irrigare, excolere, agricolæ quidem opus est; nihil tamen vnquam speres collecturum, ni seminali virtuti benigna Dei manus inserat robur & vigorem infundat: *Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed incrementum dat Deus.* Diuinæ tantùm hoc virtuti tribuendum? Vox sola nos sumus Ioannis instar in deserto clamantes: hinc fit, vt ex omnibus, qui concioni sacræ adsunt, plures sint, qui nihil, & plures, qui magnoperè ex eâ proficiant; hi autem ij sunt, quos singulari quodam afflatu Deus instruit, ad morum studiorumque commutationem faciendam. Hoc ipsum è Diui Augustini mente illustrius accipe. *Ministeria forinsecùs adiutoria sunt, & admonitiones: Cathedram tamen in Cælo habet, qui corda docet: sic sunt hæc verba, quæ forinsecùs dicimus, quomodo est Agricola ad arborem.*

D. Greg. in hom. · 1. Cor. 3. 6. B · D Prosp. l. 2. de voca. gent. c. 6. & 8. · D Aug. tra. 7. in ep. 1. Ioan.

Cum è duri silicis sinu præcepit Deus, vt vberi aquarum cursu fluenta laberentur, voluit quidem, vt virgam Moyses manu præferret: *Virgam qua percussisti fluuium tolle in manu tua & vade:* sibi tamen ipsi facultatem seruauit, qua marmoris duritiem emolliret. *Ecce ego stabo ibi coram te super petram Horeb:* Diuini Spiritus virga quædam lingua nostra est, audientium aures percurere quidem illâ nos possumus, lachrymarum tamen fluenta è marmoreis eorum animis haurire non possumus. C

Exod. 17. 5

Nisi ferrum fornaci faber apponat, frustrà vento suos folles agitat administer. Ingens mulierum numerus Paulum & Barnabam extra Philippensem Vrbem audiebat, vna tantùm Lydia, quam diuinitùs prædicabant, religionem amplexara fuit, eò quod cælestis faber, alijs omissis, eius tantùm cor suæ flamma charitatis emollitum, ad sui arbitrium effinxerit. *Cuius Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo:* Deus ipse fuit, blandâ cuius virtute Lydiæ cor reseratum diuinam legem Pauli ore prolatam excepit.

Act. 16. 14.

Si Dei igitur est, pro suo arbitrio, vel isti adhærere, vel illi, quorsum nos ab explendo nostri laboris munere desistamus? Sol quidam Episcopus est, cuius luce ipsæ etiam sordes sunt illustrandæ; si autem Sol iste se subduxerit, quisnam alter tanto muneri subrogetur? D

Christallinas vndas effundit fons, blandoque murmure ad extinguendum suæ sitis æstum omnes inuitat, nec ideò ab vndarum liberali effusione abstinet, quòd ad eas hauriendas nullus accedat. Pari quoque modo licet ex vberi concionum exundantium magisterio, vel nullus, vel pauci proficiant, non tamen idcircò earum salutares imbres coerceat Antistes: habes hoc è Chrysostomo. *Sicut enim aquarum vena, & si nullus veniat aquatum, manant tamen; & fontes, quamuis hauriat nemo, scatebras emittunt: ità Episcopus & Concionator verbum Dei prædicare debet, etiamsi pauci illum audiant & conuertantur.*

D. Chrisost. hom. de Lazaro & diuite in cap. 16. Luc. to. 2.

Quanto nam labore ad præduram voluntatem Iudæ flectendam Christus ipse Dominus desudauit? Ad Apostolici culmen muneris eum extulir, prodigiorum patrandorum virtute exornauit, fordidos eius pedes abluit, blanditijs primùm eum excepit, mox admonitione obiurgauit, metum inde eidem incussit, demùm in

in ipsomet proditionis scelere, amicum eum appellans, osculatus est, vtque ei si-
A gnificaret paratissimum se fore ad eum suâ beneuolentiâ recipiendum, abscis-
sam autem coram ipso Malcho restituit: an fortè ignorabat Deus, irrita hæc omnia fore, & ad tot tantaque amoris inditia contumaci effrontique animo restiturum?

§. I.

E Philosopho in aulicum repentè Aristippus desciuit, cathedram, virtutis palæstram, in aulam conuertens, vitij plerumque magistram; eum de tam absona metamorphosi interrogantibus respondisse fertur. *Aegroti medicum spernunt, & medicus non curat de ægrotis.* Orig. Philosophi pallium exuit, eò quod inutili in hominum institutione Philosophia suum se laborem impendere animaduer-
B teret; meritò eum Origenes arguit, nec enim medici est ægros vel insanientes deserere; an non iustius arguendus Episcopus esset, qui populis curandis Dei lege addictus, hunc Pseudophilosophum ab ægroti curâ discedens imitaretur?

A diuina disseminanda lege ferè Hieremyas abstinuit, eò quòd ad eius verba Iudæi obsurdescerent, suumque magis animum obdurarent; hinc amicâ quâdam querimoniâ Deum alloquens ait. *Seduxisti me Domine & seductus sum, fortior me fuisti: factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me. Quia iam olim loquor, vociferans iniquitatem, & vastitatem clamito, & factus est mihi sermo Domini in opprobrium & in derisum tota die, & dixi non recordabor eius, neque loquar vltrà in nomine eius, &c.* Ierem 20.7 Adhuc tamen, Deo imperante, suum ille prosequutus ministerium fuit, nec enim arguendus obscuritatis Sol est, si ad eius lucem voluntaria se quis caligine obuoluens forte cœcutiat. Si igitur Chrysostomi philosophia hæc est, vt damnetur Hyeremias, eò quòd Hebræorum duritiem animaduertens, ab effundendis concionibus operam suam reuocare animo statuisset; an D Chrisost. ho. de Lazaro in 16. Luc. to. 2.
C non duriùs damnandi nos erimus, qui, eò quòd inutiliter nostram pietatem in concionibus habendis impendamus, tam illustre, tam debitum ministerium exuimus?

Ea ipse recogitans, quæ summoperè indignatus Deus Angelo, hoc est Ephesino Antistiti, Pastorum Princeps minatus fuit, totus horrore peruoluor; Timotheus is erat Apostoli Pauli per quàm familiaris. Minas intonantis Dei accipe. *Habeo aduersum te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti, memor esto itaque vnde excideris, & age penitentiam & prima opera fac; sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo.* Apoc. 2. 4. Longè etiam augetur horror, ex his, Hug. ibid. quæ memorata verba explicans affert Hugo Cardinalis; tam diras scilicet, minas in eum Cæli furore intentas, eo quòd concionandi munus omisisset, non quietis aucupandæ causa, vel ad laborem euitandum, vel ex animo in terrenis rebus conquirendis & coaceruandis nimis obtento, sed eò quòd suæ pietatis ar-
D dori populorum pietas, ea quâ ipse credebat sperabatq; mensurâ, non responderet: nisi ergò ad omissum concionum opus rursus animum reuocaret, tàm graue acerbumque supplicium minatus ipsi Deus est, eumque præcipitem è suæ dignitatis fastigio ferè deturbauit.

Tanto fanè fastidio excusationem hanc excipit, vel potius reijcit Deus, vt ad nos instruendos cum Ezechiele Hebræorum concionatore obtestatus fuerit, se perficiendum informandumque ei dare populum omnium maximè vitiosum & improbum, ipsumque etiam obstrinxit, vt enormia eius scelera libero apertoque sermone aperiret, eiusque nequissimum animum flagellaret. *Mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt à me, &c. Et filij dura facie, & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te, & dices ad eos, &c.* Ezech. 2. 3. Non tantùm oues, sed & hædos nostræ fidei amorique commisit Deus; vtrisque igitur diuini sermonis pascua sunt nobis subministranda.

Quàm durè, inurbanè, & ferè impudentèr Angelorum, quos custodiendis nobis Deus adscripsit, admonitiones excipimus? ad eorum voces obsurdescimus,

ad

ad eorum lucem caligamus, ad eorum tactum deperdito veluti sensu lapide-
scimus: non tamen idcircò nos ipsi despicantur, custodiam nostram omittunt, A
& à nostrâ, labore licet inutili, curandâ salute discedunt, & quamuis non sem-
Guliel. Gonfurt. Auctor Eluc in fin. In 2. dist. 1. resp. p. 1 113. art. Suar to. 2. 3 p. 5. & 3. Beca opusc. 14. c 10. Erasm, initio Chiliadum.
per nobis suâmet præsentiâ adsint, semper tamen, vt Elucidarij author D. An-
selmus existimatus docet, periclitantibus nobis prestò sunt semper, nobis custo-
diendis, & seruandis, vt Diuus Basilius docet, euigilant, adeò vt iuxtà Theo-
logorum omnium mentem, ne quidem Antichristum perditissimum omnium,
quos vlla ætas fuderit, nebulonem, Christianique nominis pessimum
hostem Angelus sit deserturus, sit quidem ille vitiorum omnium gurges, & quot-
quot vnquam scelera diaboli suggesserit iniquitas, in se vno colligat, sit *Pano
perfidior, Scyta asperior, Scythautauris inhospitalior, Parthis vanior, Thracibus bi-
bacior, Sybarita fastusior, Milesijs effaminatior, Arabe ditior, Arcade stolidior, Care
vilior, Cretensi mendacior*; semper tamen amici comitis, & custodis instar An-
gelus illi aderit, & nullum vnquam præsentiæ suæ subsidium inimicâ parsimo-
niâ denegabit. Hunc imitatus Episcopus populo semper euigilet, semper ad- B
sit, verbo, monitis, concionibus, & quò magis in Dei voces ille obsurdescit, eò
validiori sonitu eius aures quatiat & perstringat.

Effœminato, mendaci, ebrio, & lasciuienti populo Titus Cretæ Antistes præ-
sidebat; an idcircò ab eo admonendo, instruendoq; ipse defecit? quin ex Apo-
stoli præcepto conciones auget, obiurgationes exaggerat, & validiore in dies
reprehensione flagellat. *Quam ob causam increpa illos durè*: quia datâ operâ eius
Tit. 1. 13. insulæ Episcopatum gubernandum ei dedisse asseuerat, vt nepè deprauatos ibi,
aliàque adhærentes errores euelleret. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ
d. c 3. 5. desunt corrigas.*

Excellunt hac in re Arelatensis Episcopus Diuus Cæsarius, qui solemniori
Mart. V. in Conc. Lat. quâque die, *inter missarum solemnia*, populum instruere assueuerat; cum autem
ab Euangelij lectione animaduerteret, quàm plures è Templo discedere, Diui-
num verbum aspernantes, vt Templi ianuæ clauderentur mandauit, eosque vel
inuitos cogeret, ad diuini semen oraculi sterili quamuis solo recipiendum. Sic C
ille Apostoli legem implebat, quâ vt importunè etiam concionaremur mandat,
Timot. 3 ad 42. & ibi Plumas. iuxtà Diui Augustini sententiam: *Verbum opportunum est leniter audienti, impor-
tunum inuito.*

§. II.

Licet ad hoc præstandum vna Dei voluntas futura satis esset, quâ veluti per-
fectissimâ viuendi normâ nostra opera metiamur, aliæ tamen non desunt
rationes, quibus hoc idem validè suadetur. Harum priorem Ezechielis ore
nobis significauit Deus: *Dices ad eos, Hæc dicit Dominus Deus: si fortè vel ipsi
Ezech. 2. 4. audiant, & si fortè quiescant, quoniam domus exasperans est*; An fortè nobis inno-
tescit, quid Deus in obduratissimis animis sit effecturus? quod sexcentæ concio- D
nes haud impetrare valuerunt, vna tantum fortè extorquebit; qui præduri om-
nium sunt, fortè tandem emollescent.

Ad pias animas seducendas, ad labefactandam nostræ probitatis constantiam,
quot vires, quot artes stygius hostis absumit, licet centies rejectus, millies re-
pulsus? an igitur defatigetur Antistes, incœptumque deserat opus, eò quòd eos
sortitus fuerit, qui diuinæ vim vocis auersantur? an minus iste Diuini verbi virtuti
confidat, quàm stygijs artibus Dœmon innititur? Quàm frequenter è granulo,
quod è volucris rostro in lapidem delabatur, germen enascitur, quod lapidis ef-
fractâ duritie, in amirandam & frugiferam arborem explicetur? Quod semini
imbecilli concedis, hoc validissimo Diuinoque semini denegetur? an non
Luc. 8 11. *semen est verbum Dei?* humano si in animo illabatur, eius fortè exuperatà duritie,
in floridam, & auream messem excrescet; sed audi Apostolum. *Viuus est enim
Heb 4 12. sermo Dei; & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti; & pertingens vsque ad
diuisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque ac medullarum.*

Diui

Diui Ambrosij frequentissimè concionibus adfuisse, non vtilitatis, sed volupta- D Aug. 5. confess.c.13
A tis causâ, de se ipso fidem facit Diuus Augustinus; sed facilè in vtilitatem voluptas faustâ conuersione desciuit; paulatim enim diuina virtute se eius animo instillante, hæresis fœditates agnouit, & calcauit; Quapropter, Augustâ Deiparâ mandante, Diua Brigitta cuidam Episcopo sibi per quàm familiari significauit, non rarò Diuinâ beneuolentiâ tantam ardoris vim suo verbo impertiri, vt gelidissima licet pectora accendat, gelido licet administro prolatum; do eius verba. *Propterea noli turbari ad quos mittaris: Deus est enim mirabilis, qui sternit aurum sub pedibus, & lutum collocat inter radios solis.* D.Brigit. reuel.l.3.c. 13. in fin.

Nunquam infœcundum Dei verbum existit; pij viri eo veluti aculeo ad validiorem cursum incitantur, tanquam freno improbi coërcentur, nec rarò quos semel attigit, ineluctabiliter comprehendit, adeò *vt audientes verbum molestè, suscipiant fructuosè*; quin ea in sententia Diuus Chrysostomus est, nunquam prorsus inutilem Diuini verbi effusionem esse, & sterilissimo licet è solo, aliquem D Hieron. in 2 Ezech.
B semper tam diuini virtute sermonis fructum efflorescere. *Nunquam id fieri nunquam potest, nimirum vt sermo in tam multas aures disseminatus, vacet omni fructu.* hæc ipse. DChrisost. ho. de Lazaro inc.16 lin.tra 2.

Verùm penitùs obsurdescant; esto: quid tum? an idcircò obmutescat Antistes? sanè (alteram hic rationem habeo) vt diuinæ vis benignitatis innotescat, vt cuique tam validâ piæ conuersionis oblatâ opportunitate excusatio de Dei voce non auditâ denegetur, omnibus & frequenter diuina vox insonet, cuiusque aures impleat, feriat, flagellet; hinc enim non arguere Deum de suo interitu fas homini erit, sed se ipsum tantùm damnauerit, suamque tantæ vocis virtuti surditatem. Vide Bellar. l.1 de gratia,&lib. arbitr.c 5.

Diuinæ sapientiæ peroccultas ambages & plusquam labirynthæa consilia quis vnquam teneat, quis assequatur? spinas æque ac spicas vult ipse sui pluuiâ salutari sermonis irrigari; has quidem, vt ex illis adultis & onustis Cæli horrea impleantur, illas autem, vt ex earum fascibus Stygiæ flammæ nutriantur. Hac
C semper via Deus incessit; sapientissimè Augustinus: *Ab exordio propagationis humanæ vsque in finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad iudicium prædicatur.* D.Aug. de 50.quæst.

Tertia his addatur ratio nobis omnibus maximè voluptuosa, quam nobis Antistes spectatissimus Augustinus, admirandâ quâ pollet ingenij perspicaciâ submonstrat; cùm enim ipse non paucos à suis concionibus nullam ferè percipere vtilitatem animaduerteret, & adhuc ea vitia, in quæ validius insurgebat, inualescere, equidem mihi, sic ait, suauius, & tranquillius esset, inter sacrarum pascua litterarum deliciari; magnum etenim pondus infert concionari, corripere, salutique alienæ prospicere; sed vt è sacris litteris habetur, Rex ille, qui suis administris talenta distribuit, eius excusationem reprobauit, qui talentum ei impertitum, exercere nesciuit, vel noluit, eumque castigans ait, in fœnus illud ab eo dandum, seque reducem simul cum fructibus sortem exacturum. D Aug I 5. homil. 25. Math.25. 14.
D *Oportuit ergò te committere pecuniam meam nummularys, & veniens ego recepissem vtique quod meum est cum vsurâ.* Viden igitur, ait Augustinus, *Erogator sum, non exactor*: nisi ego vel obstinatos proteruosque instruam, Euangelij terrore concutior; cælestis enim pater familias diceret. *Erogatorem posueram te, non exactorem*: multò tamen magis formidandum ijs est, à quibus exigendi fructus fuerint. *Si ergò ego erogans timeo, qui accepit securus esse debet?* ad nos igitur tantùm spectabit talentum nobis impertitum exercere: cæterùm Dei erit, fructus sibi peroptatos ab eo colligere: nequaquam á nobis quæretur, an copiosam improborum turbam ad meliorem viuendi normam reuocauerimus, sed tantùm an ad eos reuocandos nostræ mentis vires impenderimus: in diuino verbo disseminando laborandum nobis est, vt posteà in spicas egerminet & flauescat in triticum Dei horrea impleturum, Dei est; sic pariter Eugenium Pontificem Diuus Bernardus admonuit Samaritani exemplum afferens, qui tabernario eum commendauit, quem latrones vulnerauerant; curam quidem ei commisit, non ei reddendam valetudinem præcepit: pari quoque modo Apostolus suo satis muneri D Bern. de consid. l. 4.

neri

neri fecisse arbitratus est, insanis, quos expenderat laboribus; licet suaues ad modum fructus collegerit. [Luc. 10. 15. 1 Corin. 15. 10.] *Si dicis, Romani proterui & durissimi sunt; attende, fac, quod tuum est: non dicitur tibi sana illum, sed curam illius habe, & Apostolus non dixit, plus omnibus fructificaui, sed plus omnibus laboraui.* Hæc Bernardus. Hinc Episcopo debita merces non recepto fructui, sed impenso labori respondebit; huius vi coronas & diademata ipsi sibi in Cęlo molitur; quod enim vel dexter, vel sinister euentus fuerit, ei non tribuendum. Docet hæc Apostolus, cuius hæc sunt. [1. Cor. 3. 8.] *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Quin non rarò gregis durities & nequitia pastoris mercedem auget; quàm enim arduum, molestum, laboriosum & acerbum est, vt spinæ illinc emergant, vnde spicarum manipulos expectabas. A

Quænam vnquam bellica expeditio sanctior & illustrior eâ fuit, quâ bis sanctissimus Galliarum Rex ad Christianæ Religionis amplificationem in barbaras regiones fortissimè irrupit; quid tamen? in harum expeditionum primâ captiuus ille barbarorum potestati cessit, in altera verò grassantis violentia pestis simul cum exercitu Regijque sanguinis principibus miserè confectus interijt: an ideò temerario impudentique animo Cæli quis consilia damnet, diuinamque sapientiam audacissimus arguat? Apagè verò! pijssimi Regis voluntatem approbauit, labores coronauit, terrenumque deperditum regnum æternæ beatitatis imperio compensauit. Sanctissimum Regem imitemur, & nos in Stygium hostem diuini verbi arma conuertentes, Deoque ipsi nostrorum laborum, quicumque fuerint, exitus relinquamus. B

Quamuis furentium procellarum impete, ventorumque ferociâ non semel naufragio proximus mercator fuerit, non tamen idcircò se iterum committere mari formidat ad merces iterum conquirendas; & nihilominus de bonorum iacturâ quam patitur, quis eum compensat? de nostrarum mercium pretio securi nos sumus, nec præmium nobis impertiendum è recepto collectoq; fructu dependet: labores nostri seu recipiantur, seu reijciantur, iuxtà Chrisostomum, [D Chrisos. hom. de Lazaro.] *Tu nihilo secius habes paratam mercedem.* C

Vt se Hibernicis Insulis decoratum Diuus Malachias inspexit, optimè animaduertit, [D Bern. in vita s. Malach.] Diuo Bernardo narrante, non ad homines se, sed ad bestias destinatum: Nomen enim tantum Christiani referentes, belluinos, & efferatos mores inducerant, irreligiosi, audaces, proterui, luxuriosi, sacrorum omnium contemptores, Episcopalis dignitatis osores: ad hæc non animum deiecit inuictus Antistes; per plateas enim, & vias obuias gentes habens de diuinâ lege eas instruebat, & dicteria scommataque in se vibrata contemnens, nusquam in incepto labore destitit, quin paulatim eorum ceruicositas fuerit emollita, detersa barbaries, deleta perfidia, adeò vt pietas vbique floresceret, templa erigerentur, sacra vigescerent, diuinumque vbique nomen resonaret. Quamuis autem tam prospero euentu hæc illi non arrisissent, sua adhuc eum merces coronauisset: vt enim eleganter Diuus Hieronymus docuit. *Non tam considerat Dominus lucri magnitudinem, quàm studij voluntatem.* D

De formà ad vtiles conciones habendas seruandà ab Episcopo. Cap. LXIII.

SI fortuitò se nauita sinat abduci, nullumque sibi portum, quem appellat, adscribat, frustrà ventorum ei blanditur afflatus, frustrà remigum terga desudant; Quàm igitur mortales ij desipiunt, qui procellosum sæculi pelagus enauigantes, vitæ cursum nullâ gubernatione dirigunt, nec finem vllum sibi proponunt, ad quem tanquam in scopum, suorum operum lineas colliment, adeò vt vitam suam fortuitò instituentes, errores plurimos patiantur oportet; Hinc ea

vitia

vitia enasci docet Seneca, quibus viuentes vndiquè obsidemur: *Errant consilia*
A *nostra, quia non habent quò dirigantur: ignoranti quem portum petat, nullus* Senec. ep.
securus est ventus. Necesse est multùm in vita nostra casus possit, quia viuimus 71.
casu.

Error hic priuatis in nominibus vituperandus meritò videtur, longè iustiùs in Episcopo damnandus, si potissimùm, vbi de re graui agatur, huiusmodi vitio laboraret. Quàm meritò igitur arguendus ille Antistes esset, qui in habendis concionibus incerto veluti cursu agitur, vel nullum sibi finem obiectans, vel media eligens ad finem attingendum inepta.

Non me latet, ex auditorum maximè culpâ, concionum inutilitatem enasci; agentis virtutem infirmitas subiecti retundit: Diuini seminis quì capax fuerit illud solum, quod prauis affectionibus, & immoderatis cupiditatibus præpeditur, & obruitur? præterquàm quòd cùm plerumque ad Diuinum verbum audiendum accedant, vnius ingenij delectatione ducente, torpescit omninò volun-
B tas, nec valet ad Diuina excitari.

Verùm tamen etiam est, non leuiter hac etiam in re concionatores ipsos errare. Nullus planè è Christiano populo fuerit, qui nesciat ad hunc tantùm finem nostras conciones instituendas, vt scilicet eradicatis vitijs, vbique in Dominico viridario sanctæ pietatis germina efflorescant, vt peccati subactâ tyrannide, Diuinus amor in omnium animos optatissimo imperio dominetur.

Spiritalis medicus Antistes eum igitur sibi finem designet oportet, ad quem sua dirigit pharmaca medicus sæcularis; vulnera curet oportet, non delectet, secet non palpet sæuiat non blandiatur: quid fœdius in medico esset, si verborum lenocinio, & sermone suo Charites fundens & Veneres, febrium æstus, morbique vim perdere non cogitaret? sicut igitur ad morbi cædem euacuandam, ad ægro potiones licet amaras administrandas totus incumbit; sic etiam Antistes toto animi conatu studeat concionibus suis populorum morbos exscindere, vitia fugare, prauos mores euellere, & voluntatem potissimùm ad virtutem amplexandam
C expugnare; hæc enim oratoris victoria est, ait otandi Magister Quintilianus. *Hic igitur incumbat orator, hoc opus eius, hic labor est, sine quo cætera nuda, ieiuna,* Quintil. *infirma, ingrata sunt: adeò velut spiritus operis huius, atque animus est in af-* L.6. *fectibus.*

Ingenij acumina, verborum illecebræ, peregrinæ argutiæ, aures quidem titillant, non animum vulnerant, aures vellicant, non vitia confodiunt, curiositatem fouent, non cupiditates extinguunt, plausus non lachrimas excitant; De his igitur accommodatè illud dici videtur, quod de Platonis, & Aristotelis sapientia Tertullianus olim ait. *Nemo vnquam animæ mulsam aquam de eloquio Platonis infudit, aut micas de multiloquio Aristotelis infarsit.* Tertull.

Quæ vnquam vel è Platonis mollitie, vel ex Aristotelis subtilitate emergat vilitas? quæ verò fœditas, quale monstrum esset, si theatrales argutias Præsul effunderet, & tempus diuino spargendo semini designatum, ad sales, ad ve-
D neres, ad iocos emittendos inuerteret? Cælum non spectat Aegiptus, eò quòd fœcunditatem suam è Nilo exundantem recipiat; hinc illa Nazianzeni, *Aegyptum* D. Nazian. *amnis locupletem reddit è terra pluens*; cælestia quoque contemplari nescit orat.24. ille populus, qui terreno tantùm è fonte, sacri in se videt eriuari flumina sermonis.

In huiusmodi sacros oratores calamistris redimitos, & varia colorum specie D. Chrisos. picturatos, quàm meritò assurgit Diuus Chrysostomus, qui ad auram popularem aucupandam, toti cincinnatuli, & floriduli suggestum in scœnam immutant, Diuinumque sermonem inanissimâ personâ prophanant; profectò hi dum alijs placere contendunt, sibi ipsis nocent, & dum voluptati gloriæque velificantur, sui muneris sanctitatem obscurant. *Prædicatores multos video, sed idoneos inuenire non possum: flosculos prædicant, vt laudem reportent: hi Ecclesiam Dei subuertunt.*

In Diuinâ re suam laudem suamque gloriam exquirere, furtum, rapina, sacrilegium est, & ferè dixerim apostasiæ initium: Paulus certè Samosathenus An- Baron. ann. 272.

tiochenus Antistes ex huiusmodi inanis gloriolæ aucupio præceps in heresim corruit, & qui Apostolorum Principis manu humili è sede ad Episcopale solium fuerat euectus, in pestilentiæ cathedrâ cum Sabellio assedit; in hoc tamen etiam decipiuntur: quî enim fieri potest vt gloriam sibi comparent argutiolis & calamistris, quibus potius tum maiestatis virtus obscuratur, tum mentis soliditas eneruatur; certè vt ait Seneca. *Non potest alius esse ingenio, alius animo color.* A

Senec. ep. 115.

§ I.

MEmini, me adhuc adolescente, tres egregios Diuini verbi præcones Romæ simul effloruisse, Franciscum Toletum è Societate Iesu posteà Cardinalem, Lupum è Capucinorum ordine, Panicarolam è Minorum Obseruantium religiosâ familia.

Toleti conciones doctrinam admirandam referebant, Lupi pietatem, Panicarolæ dicendi elegantiam; hinc illud euulgatum. *Toletus docet, Lupus monet, Panicarola delectat*. Simul & tria haberi in oratore magnus Rhetor Augustinus docet; commendatissima tamen hæc fuerint, si prudenter simul connectantur, & mutuo veluti complexu inuicem iungerentur. Ad mores componendos spectat doctrina, in quâ mirandum in modum excellunt præstantissimi duo Episcoporum Magistri, Diuus Paulus, Magnusque Gregorius; In Theologicis rebus pertractandis nostros limites egredimur, cum ad Cathedras potius, quàm ad suggestus sint referendæ; torquentur ipsis ingenia, ingeritur fastidium, & pietas non tantum non accenditur, sed potius refrigescit. Hæc ego dixerim de iis regionibus vbi orthodoxa Religio viget; in ijs enim, in quibus hæreticorum versutijs & loquacitate oppugnatur, decet breui quamuis sermone fidei dogmata discutere, statimque ad alia vtiliora deflectere. Aquilarum est, vt licet ad ætheris excelsiora valido pennarum conatu peruolent, nunquam tamen prędam, quam concupiscerent, omittant, semperque eam suo obtutu prosequantur. Ex eisa igitur quamuis concionatores aliquandò permeent, semper tamen animarum vtilitati euigilent, suumque sermonem inflectant. B C

Tit. in fin. D Gregor. in pastor. par 4.

Sublimi adeò dicendi forma Diuus Chrysostomus adhuc eloquentiæ Tyro vtebatur, vt idiotæ vix eius mentem attingerent; quapropter fœminæ reprehensione vapulauit, quòd scilicet nullius vtilitatis & fructus suæ essent conciones; hinc factum, Metaphraste narrante, vt stylum alium candidiorem indueret, quo populi totius suffragia tàm breui sibi captaret, vt *os aureum* diceretur. Hunc imitatus Diuus Vvolfgandus Ratisponensis Antistes sermonis luminibus & angustijs omissis, totus voluptati expugnandæ vacabat.

Metaphraf in vita Chrisostomi

Quæ autem delectationem pariunt, sunt ordinis concinnitas, rerum varietas, operis textura sibi vndecunque consonantis, formularum elegantia, non vulgaris aut affectata, sed ea quam describit Seneca, *qualis sermo meus esset, si vnà sederemus, aut ambularemus, illaboratus & facilis, tales esse Epistolas meas volo, quæ nihil habeant accersitum & fictum*. Ornatus quidem sermo placet, sed ità vt ornamenta vtilitati seruiant; lenocinium aliquod verborumque florens amœnitas non absit, sed salis instar aspergatur, quod si moderatum fuerit, dapes condit, si verò immodicum, vitiat, earumque saporem euertit. D

Surius in vita c. 28. 31 Octob. Sen. ep. 75.

Breui cuncta complexus Diuus Paulus videtur, cum iuxtà explicationem Diui Hieronymi, eos carpens, qui sacra verba facientes non vtilitati populorum, sed voluptati studebant, adulteros eos vocauit. *Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei*: quæ rursus Diuus Anselmus confirmat, rationem reddens, qua hoc eos titulo compellarit Apostolus. *Adulter voluptatem quærit, non prolem*. E Diuo Gregorio decerpit hæc Diuus Anselmus, accipe eius verba, vtpotè Magni magna, *Adulter in carnali coitu non prolem, sed voluptatem quærit; & peruersus quisque vana gloria seruiens rectè adulterare verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium non Deo filios gignere, sed suam scientiam desiderat ostendere*. Lasciuientes iam si libet flores ex Helicone & Parnassi accolis collige, vt adulterij fœditate noteris.

2. Cor. 2. 17 D Hieron. ibid. D Anselm ibid.

D Gregor. l 6. moral. c. 25.

Eccle-

Ecclesiæ sponsus Antistes non voluptatem at prolem affectat, vt cum Paulo
A pronunciare valeat. *Per Euangelium ego vos genui*. Quàm sanè erubescendum 1. Cor 4.15
sacro illi oratori esset, in cuius commendationem ea non posset afferre Seneca,
quæ Fabianum commendans ait: *Mores ille non verba composuit, & animis scri-* Senec. ep. 100.
psit ista non auribus.

Ad mores igitur populi componendos tanquam ad suum scopum sermones suos dirigat oportet Antistes: vniuscuiusque capacitati se accommodet, vt totius gregis vtilitati prospiciat: nec enim vni tantùm Ephesino Hierarchæ, sed nobis etiam ait Apostolus, *Sollicitè cura te ipsum exhibere ministrum inconfusibilem rectè tractantem verbum Dei*; è Græco codice habetur *Rectè secantem, diuidentem verbum Dei*: Suarum concionum opus ità in partes Antistes diuidat, vt sua vnicuique possit impertiri, suam docti, suam rudes, suam plebs, suam nobilitas sortiatur. His etiam ea è regio Cytharedo verba aptat Diuus Damianus *Montes excelsi ceruis petra refugium herinacijs*: ità diuini verbi pascua suis ouibus Antistes aperiat, vt quæ montes excelsos attingere non possunt, plana & facilia habeant, quibus nutriantur. [2 Tim 2.15; Ps 103.18; D Pet. Da. ep. 143.]

B

Ab Tullij & Demosthenis eloquentiâ tam longè distare debet Episcopi sermo; quàm diuerso è fonte sacra eloquentia fluit ac prophana; ingentem filiorum copiam sacra olim vna concio pariebat, nunc millenis concionibus vix vnus excipitur: tantæ huius difformitatis ratio est, quia tunc temporis non voluptas, non amœnitas, sed vtilitas, sed pietas quærebatur; suos igitur prædecessores imitentur Antistites, ijque sint, quos, dum inaugurantur, Episcopi consecrantis voce describit Christiana Religio his verbis: *Sit sermo eius, & prædicatio, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis*. [In Pontifical. 1 Cor. 2.4]

Quòd si spectandum cuidam se præbens Seruator Dominus acerbè sacrum Oratorem obiurgauit, eò quòd verborum calamistris, & venustatibus auditores detinens, eorum vtilitatem præpediret; quâ, inquit, de causâ, non paucis è sacris Oratoribus, non merces, at pœna seruatur: quid de Antistite dicendum esset, horum vestigijs adhærente? non suo tantùm populo, sed sibi ipsi perniciosum & iniurium eum Antistitem fore docet Diuus Chrysostomus, qui popularis gloriolæ auidus, non pietati gentium, sed delectationi studet; Diuus etiam Athanasius docet, ingentes fore eorum pœnas, qui rectam viuendi formam suis auditoribus sermone suo non dederint. [Prat. spirit. p. 2 l. 4. c. 10.; D Chr. so. de sacerd. lib. 5.; Anast to. 1 Bibliot.]

C

Quod ipsum insinuat Diuus Augustinus his verbis. *In grandi periculo sunt Episcopi, & alij Rectores Ecclesiarum ob multa: specialiter autem, quia præcepit illis Dominus, quod liberè arguant vitia, dicens clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & nuncia populo meo scelera eorum*. Tubæ instar vox, ò sacri Præsules, insonet, non ad musicam, sed ad pugnam composita; non aures molli quodam concentu delectemus, sed bellicâ quadam fortitudine, ad vitia debellanda, animos excitemus, non citharædi delectemus, sed tibicinæ terreamus. *Scitis quòd tuba non tam oblectationis esse soleat, quam terroris: non tam delectationem proferre, quàm inferre formidinem*. [D. August. l. 50. Homeliar. hom. 7.; D. August. ser. 106 de temp.]

D

Tonitrua & fulmina ex ore nostro erumpant ad eos percutiendos, quos tetræ vitiorum & scelerum nubes obscurant, & lachrymarum imbres ex eis diuinus amor eliciat, iuxtà illud, *Et fulgura in pluuiam fecit*; nostri sermonis fulgure sternantur impij, & pij in lachrymas dissoluantur. *De ipsis autem nubibus quid operatur? fulgura in pluuiam facit, minas ad misericordiam flexit, de terroribus irrigauit. Quando tibi minatur Deus per Prophetam & Apostolum, & times, nonne coruscatio terruit te? sed cum pænitendo corrigeris, & agnoscis hoc misericordia fieri, in pluuiam vertitur fulguris terror*. Sic sibimet ipsi interroganti Diuus Augustinus respondet. [Psal. 134.7; D. August. ibi.]

Improbos igitur cælesti quodam terrore percutere nostrum est, & Apostolicâ fortitudine vitiorum acies profligare, non ad eorum tantùm pœnam, sed ad aliorum etiam beneficium, vt scilicet improborum vitia fugiant, proborum pietatem imitentur. Audi Apostolum. *Peccatores coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant*.

Pro comperto satis mihi est, non admodum nos Magnatum, & Principum Genio placituros; effrænes adolescentes, luxuriæ dediti, ambitiosi viri, alijsq; A sceleribus irretiti, ad huiusmodi terrores,nostras conciones euitabunt, vel illudent, eòque molestiores, quò frequentiores eorum aures feriemus: hine tamen à nostro munere discedendum nobis non est; nec enim suarum minarum fulmi-
1. Tim. 5. 20. na nobis Deus impertijt,vt otiosa in nobis illa quiescant,sed vt in ipsosPrincipes ea vibremus, & vitiorum Tyrannidem destruamus. *Et glady ancipites in mani-*
Psal. 149. 6.8 *bus eorum, ad alligandos Reges in compedibus & nobiles eorum in manicis ferreis:*
D. August. ibid. explicantem hæc audi Augustinum, *Acceperunt sermonem Dei in potestate, vt vbi valerent dicere, non timerent potestatem.*

D.Chryso. hom 3 in c. 3. act. Apo. Non latebat Chrysostomum, quòd è sui robore & asperitate sermonis, tùm Dynastæ quidam, tùm ipsa Cæsarissa Eudoxia in iraeundiam exarserit; eorum tamen æstus tranquillare duobus argumentis contendit Sanctus Antistes. Primò enim docebat, se non in viros, sed in vitia verbis suis irasci, secundò vt amori ardentissimo, quo saluti audientium prospiciebat, ea tribuerent, quæ ore B euulgabat.

D.Aug. Pari etiam modo Diuus Augustinus suarum concionum acrimoniam excusabat; eò enim tantùm eam enasci pronunciauit, quòd scilicet ad id præstandum arctissimâ diuini mandati lege teneretur.

D.Cæsar. hom. 15. His quoque consonant ea, quibus Arelatensis Præsul Diuus Cæsarius suas gentes alloquens ait. *Prædicatio aspera ægrotis medicamenta prouidet, sanis ornamenta componit*: ex euentu enim Heli blandâ nimis & molli reprehensione suos filios castigantis immanis sibi formido ingerebatur. His comparare mihi liceat ea, quibus Seneca non Philosophico, sed ferè Christiano animo ab eorum censurâ se expurgabat, qui de eius in vitijs arguendis libertate conquerebantur; ad nostras igitur & simul publicas morum corruptelas castigandas, nos stoico su-
Senec. ep. 89 percilio adhortans ait. *Cupiditates tuas, publicasque quantum potes vexa, & istis dicentibus quòusque eadem? ego debeo dicere, quòusque eadem peccatis? remedia ante vultis, quàm vitia desinere; ego verò eò magis dicam: & quia recusatis, perseuerabo: nunc incipit medicina proficere, vbi in corpore alienato dolorem tactus expressit. Dicam etiam inuitis profutura: aliquando aliqua ad vos non blanda vox veniet, & quia uerum singuli audire non uultis, publicè audite.* C

§ II.

ALIA etiam adscribenda hic videtur mihi ratio, quâ mihi alijsque fortè satis accommodatâ sterilitas nostrarum concionum probatur; hæc autem in eo versatur, quòd oratoriæ Quintiliani doctrinæ aduersantes, dum extorquere ab alijs contendimus,quæ in nobis ipsis reprobamus,nihil eorum,ab auditoribus impetramus, quæ cæteroquin facillima nobis essent, si non concione tantùm eos admoneremus, sed ipsimet eos præiremus exemplo. Quorsum enim D alios ad Dei vel timorem, vel amorem impellere, si ego neutro compellor, neutroque angor aculeo? quorsùm alios ad æternæ beatitatis spem inflammare, ad Beatæ Virginis cultum accendere, à vitij fugâ reuocare, ad virtutis studia concitare, nisi primus ego hæc omnia animo impresserim, & moribus po-
Quintil. 6. c. 2. de Orator. stea ipsis expresserim; Quintiliano magistro fidem hic habe. *Primum est igitur, vt apud nos valeant ea, quæ valere apud Iudicem volumus, afficiamurque antequam afficere conemur.* Quintiliano præiuit in hac re docendâ Romanus Orator, fomitis exemplum afferens, qui nullum vnquam ignem concipiet, nisi ad eum ipse ignis accesserit; do eius verba. *Vt nulla materies tàm facilis ad exardescendum est, quæ nisi admoto igne, ignem concipere possit; sic nulla mens est ad comprehendendam vim orationis parata, quæ possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam & ardens accesserit.* In vehementes, immanesque clamores pro libitu suo erumpat orator, inutiles prorsus erunt, si ex ore tantùm, non è corde emerserint. Inferno tantum igni conceditur, vt cum corporeus sit, in animas ipsas suam vim

vim exerceat; nisi igitur Præsulis animus diuino ardore feruescat, quî poterit
A alios inflammare? è cordis plenitudine suas voces eructet; Verba tanquam iacula ex animo velut officinâ desumantur, velut arcu iaciantur: facem aliam quî nam extincta fax accendat? ad Diuum Leandrum Antistitem Hispalensem scribens hæc Diuus Gregorius significat. *Nisi enim prius in se faces ardeant, aliam non succendunt, ad supernum desiderium inflammare auditores nequeunt verba, quę frigido pectore proferuntur: nec enim res, quę in se ipsâ non ardet, aliud accendit.* D.Gregor. l.7.ep.126. Nos priùs ipsos, & alios posteà instruamus, nostram priùs voluntatem serio conatu disponamus, nostrum priùs intellectum diuturnâ meditatione illustremus, vt nostrarum cogitationum affluentiam vtiliter in alios eiuare valeamus. D.Gregor. l. 8. moral. c.26. Hæc si præstiterimus, Dei erit, suæ beneuolentiæ vi nostrum roborare sermonem, & ad vulnerandos fęliciter animos, nostrarum vocum spicula exacuere; Sapienter enim Diuus Bernardus. *Dabis voci tuę vocem virtutis, si quod suades, prius tibi cognoscis persuasisse.* D.Bernar. ser. 59. super Cant.

B

De bono Exemplo, quo populis prælucere debent Episcopi. Cap. LXIV.

PASCE *exemplo*. Feracissimam regionem, quâ trans Iordanem subacti Amorrhæi fruebantur, ardentissimè exoptans Gad Tribus, hac conditione susceptâ à Moyse impetrauit, vt nempè in alijs regionibus eidem flumini conterminis conqu rendis auxiliares vires reliquis Tribubus afferret; quæ cuncta fideliter simul & fortiter summâ cum laude confecit. Sacri Præsules apprimè hic designantur, qui eâ lege à supremo rerum moderatore amœnissima Ec-
C clesiæ Sacerdotia habuerunt, vt subditis populis bono exemplo præeuntes, auxilium illis afferrent ad stygias hostium acies debellandas, Cælique regnum conquirendum. Pastoralis sacerdotij primarium munus in hoc situm est, vt suo gregi dux sit, eique in viâ moribus suis faciendâ præcedat, atque in hoc Pastorem à mercenario supremus Pastor distinxit. *Et cum proprias oues emiserit, ante eas vadit.* Io. 10.4.

Hoc potissimum pabulo suum enutrire gregem tenetur Antistes: faciliùs enim & validiùs exemplo ducimur, quàm verbo. *Boni sollicitique Pastores impinguare pecus non cessant bonis lætisque exemplis*, sic Bernardus. D Bernar. ser. 76 super Cant. Exempla autem hæc non aliena sint, at propria, tùm è suis sermonibus, tùm è moribus desumenda; iniuriosus enim sibi ipsi, nec gregi proficuus Pastor ille est, qui Sanctorum exemplis affluens, à Sanctorum moribus longè discederet. In suæ probitatis exemplo tyrocinium sui regiminis habeatur, & fundamentum totius operis in hac
D luce firmissima veluti basi collocetur. Cum post millena euoluta sæcula tempus tandem illud accesserit, quo ex indigesto confusoque rerum omnium non existentium sinu, pulcherrima hæc vniuersi species ad hominum sedem erat emersura: terrenas architectonicas leges dedignatus diuinus conditor, tanto operi exordium dedit in luce, *fiat lux*; è luce enim exempli, sacri regiminis moles initium sumat oportet: 1.Genes.3. adeò sicut de Cælo ait Chrysostomus quod, *Tacet Cælum, sed ipsius aspectus vocem, tuba clariorem emittit per oculos*: D Chrysos hom. 9. ad pop.Anti. c. sic etiam de luce ista dicendum, quòd licet ore sileamus, opere tamen eloquentissimi simus, vniuersique authorem facundissimo quodam silentio commendemus, iuxtà illud. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est.*

Solis astrorumque lumen è Cælo si rapueris, quàm illicò tetrum, quàm ferale, quàm horridum; ad eius obscuram speciem mœret orbis, squallet tellus, totusque creatarum rerum ordo confunditur; do fidem Ambrosij. D Amb. l. de Noe. c.7. *Ipsum Cælum sine Sole non habet decorem suum; tristes sine Sole dies ducimus; noctes sine luna non placent:*

Math. 5. 15. *placent: ipsi enim sunt quidam mundi oculi. Detrahe stellarum lumina, & quadam est in cælo ipso cæcitatis deformitas.* Quantus ergò tenebrarum horror, quæ caligi- A
D Gregor. ep. 32. l. 7. nis lues populos occupauerit, si boni exempli lux in Episcopo, quem *lux gregis,* D. Gregorius appellat, funestâ nocte defecerit?

Sua eloquentia exemplo non deest; quin eloquentiâ ipsâ validior, totam Rethorum disciplinam sibi subijciens, humanos animos validissimâ quadam vi rapit & vincit: quid non ille assequitur, qui morum integritate eloquentissimus, licet
Hugo Victor. to. 2. ser. 71. de S. Io. non validè oret, feliciter perorat? Hac de causâ, Hugone Victorino docente, tàm sonoro populorum affluentium plausu Baptista excipiebatur: tota enim eius vita concio quædam erat, cuius robore ab obliquis vitiorum semitis abducti
D Leo ser. de ieiun. D. Cypr. l. dupl. mart. homines ad rectam virtutum viam se addiecebant: nam vt grauissimè ait D. Leo Pontifex. *Validiora sunt exempla, quàm verba, & plenius opere docetur, quàm voce.* Et prior docuit Diuus Cyprianus. *Efficacius est vita, quàm lingua testimonium: habent & opera suam linguam, habent suam facundiam, tacente linguâ.*

Vt primùm Episcopalem Principatum ingrediuntur Episcopi, vsitatum ipsis B est, vt vel impressis edictis, vel enciclicis Epistolis, vel concionibus habitis clerum & populum ad virtutis amorem accendant, & addictis pœnis, vitium terreant, & excludant; vtumque sanè honestissimè tactum, verùm plerumque inutiliter: supplicia enim peracerba aliquibus insonant, alijs verò conciones, & epistolæ è curiositate videntur tantùm commendandæ. Exempli solius est, vt voluptuosè simul, & viliter videatur, & sexcentis concionibus validiùs populo-
Plutar. de mulier. virtut. rum animos flectat. Habes hæc è Plutarcho. *Ea natura est exempli, vt coniunctam cum persuasione oblectationem habeat.*

Quam Diuina Sapientia dictauit, nullo potest fœdari mendacio Diuina scriptura; obstare quidem veritati non semel videtur, sed re verâ semper, & vbique veritas latet & lucet. Quòd Samuel toto vitæ suæ tempore populum iudicaret,
1. Reg. 7. 15. D Grego. ibid. ipsa pronunciat: *Iudicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ:* occidit hic littera, sed spiritus viuificat: nec enim iudicando populo, legibus statuendis semper intentus Samuel fuit, nec tamen vnquam à populi iudicio recedebat, C ait Diuus Gregorius; suæ enim splendor innocentiæ, suæ candor integritatis, quacunque lege validior, populos subiectos instruebat, suisque moribus eorum mores temperabat. Hunc ergò imitentur Antistites, & si quandò ore silere co-
D. Isid. Pelus. ep. 202. guntur, opere semper eloquantur; Diuo enim Isidoro docente, sicut *sermo actione destitutus, non vltrà aurem grassatur,* sic etiam ad voluntates nostras subigendas, validissima vis exempli est, si concionibus etiam annectatur. *At qui ab actione animatus est, acris & efficax altè penetrat, animumque attingit.* Exanime quoddam corpus est, sermo sine opere.

Bern. epist. 202. Hyerarchas instruens Diuus Bernardus duo tantùm monet tanquam Apostolico muneri componendo necessaria, vt nimirum Dei voluntatem tùm concionibus, monitis, legibus, tùm probissimis moribus explicent & euulgent: *In his duobus mandatis, verbi scilicet, & exempli, summam tui officij ad conscientiæ securitatem pendere intellige:* validissimum tamen illum esse sermonem ait, qui ex ope- D ribus erumpens, facilè audientium animos ducit & rapit.

Nostra verba, vt salutaria sint, integritate morum fulciantur; omnia fœliciter conficiemus, si vocibus mores consonuerint: ex aduerso verborum vis eneruatur, & ad ludibrium potius & contemptum audiemur; Rursùs Bernardum
D. Ber. ser. ad Past. in synod congreg. Cassiod. l. 11. ep. 5. audi Episcoporum Synodum alloquentem. *Non potest authoritatem habere sermo, qui non iuuatur exemplo: dum iniquum sit bona præcipere, & talia non fecisse.* Vberrimam messem Diuini verbi semen afferet, si bono exemplo, benefico tanquam imbre irrigetur.

S. I.

A

§. I.

SI totâ simul è Græciâ & Latio confluxerit eloquentia, nunquam ea erit, quæ facundiæ exemplis valeat comparari. Hinc Antistites aliqui miranda quædam & illustria in conuertendis ad meliorem frugem populis patrauere prodigia; magis enim factis quàm dictis populi vincuntur & vinciuntur.

Spectatissimam omnium quotquot orbe fuerint Synodum, hoc est Nycænam contemplandam mihi objicio, & argutulum quendam magistellum, audacemque sophistam alloquentem mihi videor doctissimum illum conuentum suis dicendi versutijs agitantem; ad huius sternendam temeritatem Spiridion Themithensis Antistes assurgit illiteratus quidem vir at integerrimus, qui perbreui sermone, sed validissimo eum vulnerat & iugulat, simulque ad orthodoxæ fidei candorem confitendum Elbenophantem Ephesinum Hyerarcham trahit, doctissimum quidem Philosophum, sed Arrianâ pice sordentem. Hinc Italiam rursus ingredior, & Rauennatensi solio Seuerum assidentem intueor, qui è lanarum texturâ ad tantum Sacerdotium euectus Christi Religionem amplificat, & recenti sobole Cælum coronat: Quis rogo vos, tanto robore horum voces confirmabat? morum sanè integritas ea erat, quæ populorum aures & corda eorum concionibus aperiebat, tantaque vi diuinas voces eorum animis inserebat, vt pro suo arbitrio quocumque eos flecteret, & è prauitate ad probitatem facillimè eorum mores inuerteret. Miserum me! eadem verba, quæ in ore Basilij fulminum instar flammea & acutissima erant, in me frigescunt, nullâque prorsus vi prædita ferè euanescunt. Si quidem sanctitas ea in me deest, quâ Basilius ignescebat; fidem da Nazianzeno: *Oratio eius erat tonitruum; quia vita eius erat fulmen.*

Bar. an. 325

B

Pet. Dam. tom. 2. ser. de S. Seuer. & Sur. in eius vita.

D. Gregor. Naz. orat. de S. Basil.

C

Concionum habendarum lex è dignitate quidem nostrâ exoritur, sed è nostrâ sanctitate suum pondus, suamque vim habet: quam ore pronunciamus doctrina scientia est, quam nostris operibus exhibemus virtus est; quis autem nesciat, vnius virtutis esse, in alijs virtutes inserere? egregiè, vt assolet D. Chrysologus ista significans ait: *Magisterium stat de scientia, sed magisterij authoritas constat ex vita: docendo faciens obedientem perficit auditorem. Docere factis sola est norma doctrinæ; doctrina in dictis scientia est, in factis virtus; scientia ergò illa diuina est, non humana, Euangelistâ probante, cum dicit, quæ capit Iesus facere, & docere. Præceptor cum docenda facit, & auditu instruit, & informat exemplo.*

D. Petr. Chrys. ser. 107.

Hoc ipsum, ni fallor, Philosophi oratorem describentes indicarunt, *Vir bonus, dicendi peritus.* Probitas enim oratoris audientium aures simul, & animos disponere debet; vt gregem Pastor ducat, non tantùm voce vel sibilo ei viam aperiat, sed & exemplo; hinc ea Diui Gregorij in suo Pastorali. *Rector operatione præcipuus; vt vitæ viam subditis viuendo denunciet, & grex qui pastoris vocem, moresque sequitur, per exempla melius, quàm per verba gradiatur.*

D Greg. Past. c. 3.

D

Hanc verborum, & operum, manus, & linguæ consonantiam ipsimet Ethnici Philosophi agnouerunt. Seneca, licet in tàm ingenti auri mole coaceruandâ deficeret, totus est in in eâ commendandâ; eius asseclæ Stoici, ne boni nominis authoritatem deperderent, & huiusmodi iacturâ suæ doctrinæ vires imminuerent, defectus quibus scatebant, saltem obuelabant, & extremâ quadam moderationis specie colorabant. Hinc de illis ea pronunciauit Tertullianus, quæ aptius probatissimo Antistiti essent vsurpanda. *Philosophus tunc auditur, cum videtur; etiamsi eloquium conquiescat, habitus sonat; ab occursu suo confundit vitia.*

Sen. ep. 52. & 57.

Tertull.

Quâ propter egregiè Diuus Prosper docet, nullam satis vnquam excusationem Episcopis fore de concionibus omissis; semper enim illis habenda concio in promptu est; si non ore, saltem opere, si non vocibus, saltem moribus: sanè validior est tenuis quæcumque dictio, quæ tamen morum sanctitate roboretur, quàm validissima quæque concio, cui pietatis forma deficeret.

D. Prosp. l. 1. de vit. contemp. c. 23.

Inge-

ingeniosissimè locutus videtur Ioannes Cluniacensis; *manu seminatur, non ore*: ad vberrimam messem decerpendam non ore agricola desudat, at manu; illud A etiam addit nunquam in sacris paginis volucri comparatum Antistitē fuisse, *Nam pascendum non est, sicut auis facit, quæ tantùm pascit pullos ore*: ore tantùm pullos suos auis enutrit; populos suos Præsul pascat, non ore, sed manu.

Io. Cl n. ser. 56. to.

§ II.

DVO fuerunt Antistites, quos sapientissimis suis monitis erudiuit Apostolus; vtrique autem tanquam singulare nostræ dignitatis ornamentum commendat operum, & verborum sanctitatem.

Timotheo Ephesino Antistiti hæc ille significauit tanquam Episcopatus sanctitatis fastigium. Tito verò Cretensi Præsuli, postquàm ea omnia indicasset, quibus populos esset informaturus, addidit, *in omnibus ipsorum præbe exemplum bonorum operum*; explicans Diuus Anselmus ait, *id est ità viue, vt sis omnibus forma* B *benè viuendi; & qui te viderint, legant in operibus tuis, velut in libro quod agere debeant. Nihil autem prodest, aliquem exercitatum esse in dicendo, nisi plus, doceat exemplo doctrinæ, quàm verbo*: quibus apertè significauit, spectatissimam fore in Episcopo sanctitatem, Christianæque pietatis normam in eo exprimendam; quæ omnia Dominico Carthaginensi Antistiti Diuus etiam Gregorius patefecit; Diuusque Cyrillus item opportunè perpendit sacris in paginis animarum moderatores, scopos vocari; sic in Osea habetur, vbi enim in nostrâ vulgarâ legitur *speculator Ephraim*, septuaginta verrunt; *scopus Ephraim*, sic etiam in Ezechiele pro ijs vocibus *speculatorem dedi te domui Israel*, ex ijsdem habetur, *scopum dedi te &c.* vt nempè ostendatur eo in gradu sanctitatis elucere debere Præsules, vt ad viuendi normam spectantibus populis idonei possint esse; hoc ipsum è speculatoris nomine satis clarè colligitur: sic in excelsiori virtutum fastigio collocare ij se debent, qui populorum regimini præficiuntur? quapropter ad Sia- C grium Augustodunensem Præsulem scribens Diuus Gregorius hæc ipsum admonuit. Circa *subditorum actus sit cura vigilans, & vestrum illis exemplum instructio, & vita magistra sit*. Quod ipsum in suo genitore, & simul in Episcopali dignitate Præcessore commendat enixè Diuus Gregorius Nazianzenus, quòd scilicet *velut spiritualem quandam statuam ad optimi cuiusque pulchritudinem expolitam se ad imitandum proponebat*.

Tit. 2. 7. Ansel. ibid.
D. Grego. l. 7. ep. 32. in dic. 1.
Ose. 9. 8. & ibid.
D. Cyril. Ezech. 3. 17
D. Grego. hom. 11. in Ezech.
D Nazian. orat. 19.

§. I.

EFficax adeò concio est spectatæ probitatis exemplum, vt pij viri à Diuo Chrysostomo corporeis his Cælis lucidiores, pulchrioresque Cæli appellentur; si namque syderibus hi distinguuntur, virtutibus illi splendescunt; hoc D tantùm sibi dispares, quòd ad eorum aspectum totus gaudio lætitiâque perfundor, cùm lachrymis effluere hos cogar inspectans, meæ virtutis infirmitatem & obscuritatem agnoscens. Verum quidem est, alia ex parte singularem quandam animis iuuentium voluptatem è Præsulis piorumque conspectu eriuari, iuxtà illud: *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur*.

D. Chrys.
Ps. 118.

Totum hunc vniuersi ordinem cælesti à mente pendere, quam intelligentiam ipse vocat, docet Plato; Christiani etiam orbis intelligentia quædam Episcopus est, cuius arbitrio tota morum rerumque ciuilium series temperatur: ad hoc certè suprà Templi pinnaculum ipse collocatur, vt scilicet viuendi integritate absolutum præferat omnibus morum exemplar. Peruetusta Phari turris nauigantes olim omnes suo lumine edocebat ad syrtes, scopulos, pyratas euitandos, suâ quoque probitatis luce Phari instar Antistes eluceat, ne æterno populi subditi naufragio obuoluantur; Vrbs ipse est suprà verticem montis assurgens omnium oculis peruia: suæ Diœcesis oculus ipse est, ait Nissæ magister Gregorius, & sui exeme

Matth. 13. 14. 15.

exempli pupilla inoffenso gradu populos ad cælum adducit, fax ipse est in Ecclesiæ candelabro apposita, vt lucem cunctis impertiens scelerum noctem expellat; ad Cæsareæ populum & Clerum scribens Diuus Gregorius Nazianzenus de Diuo Basilio in Episcopum eligendo ait, *Ecclesiæ lychnus, siue lucerna est Episcopus*. Hinc Dositheo Diuus Isidorus Pelusiota respondens, ait, Dei esse, Episcopum clarissimæ facis instar in Ecclesiæ candelabro accendere, vt dogmatum, & actionum ab omni caligine liberatum, splendorem Ecclesiæ fulgetræ instar afferat, quo nimirum plebs viuifici fulgoris radios spectans ad eos sese dirigat, patrisque luminum gloriam prædicet.

(A; margin: Nissen. in cant 5. 12 Nazian. ep. 22. — D Isid. Pelus. l. 1. ep. 12.)

Verùm quid hic ego tot lucidos titulos coacervem, cùm suprema ipsa Veritas ad eos commendandos dixerit, *Vos estis lux mundi*, ac si diceret, non sibi, sed populo, Solis instar, lucem impertitam habere? iam si lucis nomine doctrina designatur, quid vetat, vt afferamus lumen speciem veluti lucis esse, quâ res obiecta videtur, *quia lux in lumine videtur*, è quo consequitur in lumine virtutes exprimi, sine quibus ipsa doctrinæ lux caligaret.

B Hinc fortè mos ille in Britannia Insula inualuit, quo, narrante Thoma Moro, ante Episcopum accensa fax loco litui præferebatur; probitatis exemplum præire semper debet Episcopum.

Tanti hoc autem æstimandum est, vt licet humilitatis amantissimus Christus præciperet pia nostra opera obuelanda, ne inani gloriæ specie capiamur, *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua &c.* Episcopis tamen mandauit, vt pia quæcumque opere coram omnium oculis exhiberent, Deoque gloriosa redderentur: *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui est in Cælis*. Nequaquam virtus insolenti aliquâ pompâ ostentetur, ait Theophilactus, sed ità oculis intuentium proponatur, vt simul animos eorum alliciat; sed audi Euthimium. *Vobis bona opera facientibus luceat ab eis lux vestra, quæ nullo etiam publicante per se ipsam triumphare solet, à bonis operibus prosiliens*, adeò vt licet populorum vtilitas perquiratur, spectanda

C tamen vbique Dei gloria sit, ad quam improborum conuersio, & piorum victus, tanquam ad centrum lineæ, referenda sit.

(margin: Rupert. ibid Theophil. ibid.)

Hinc fortè factum, vt apud Hieremyam suæ dexteræ annulum Episcopum Deus appellauerit, *Annulus in manu dexterâ meâ*: signum enim veluti quoddam est, quo facilè in populorum animis ea forma imprimitur, quam moribus suis gerit exsculptam, sic docet Hugo Carensis.

(margin: Ierem. 22. 24 Hugo Card. ibi.)

Quia ex hac eadem ratione omnibus Episcopi proponendi sunt, tanquam viuentia, simulachra virtutis, adeò vt in eorum vitâ lycæum quoddam, & quædam pietatis palæstra aperiatur, ad cuius magisterium se quisque componat: audi Pelusiotam. *Siquidem, qui Episcopatum nacti sunt, non secus atque vniuersæ philosophiæ simulachrum spectandos se præbere debent*; quod sanè illud est, quod eximiè in clarissimis fratribus Basilio Cesareæ, & Gregorio Nissæ Episcopo Gregorius Nazianzenus commendat.

(margin: D. Chrisost. io 1. Tim. 4 12. — D. Isid. Pelus. l 3 ep. 216. — D. Gregor. Naz. ep. 37.)

D

§ I.V.

HAEC ego scribens totus animo perhorresco, eaque mihi accommodare cogor, quæ studio humilitatis accensus de se ipso Diuus Gregorius pronunciauit. *O quàm dura mihi sunt ista, quæ loquor, quia memet ipsum loquendo ferio*: meus ipse calamus conscientiam vulnerat meam, meamque vitam damnat tàm sacræ dignitati dissonantem, iisque virtutibus penitus destitutam, quibus vel tacens populorum animos alloqui & superare deberem.

(margin: D. Gregor. hom. 12 in Ezech.)

Eodem humilitatis eximio ardore succensus magnus idem Pontifex ad quatuor Christiani orbis Patriarchas sui Pontificatus initio scribens, è præcipuis Episcopi dotibus eam esse ait, qua ità pietatem vbique præferret, vt sanctitate magis quàm voce ad omnium aures resonaret.

(margin: D Greg l 1 ep. 24.)

His ille ea Isaiæ verba accommodat *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Syon*. Vt enim alijs diuini verbi pascua ostendat & præparet, supra

(margin: Isai. 40. 7.)

res omnes humanas tanquam in excelso fastigio suum debet animum collocare. Hæc etiam designari idem docet eo indumento, quod Rationale appellatum, duodecim Patriarcharum nomen expressum gerens Maximus antiquæ legis Sacerdos gestabat; vt nempè ab eo addisceret, sanctorum sibi esse vestigia calcanda, vt suis populis præluceret. A

Hoc idem explicat de alio indumento, quod Superhumerale vocatur, ex auro, hyacynto, purpura, & bysso compositum; his enim omnibus mitùm quantum oculus simul, & animus rapiuntur. Demùm hoc idem significare ait eâ Dei lege mandantis, vt tùm ingrediens sanctuarium, tùm ipso Sacerdos egrediens, talaris vestis limbum sonoris campanulis circumcinctum deferret. *Vt vita viam cum lingua sonitu, ipsa quoque sacerdotis opera clament.* Opera igitur Episcopi omnia, voces omnes, gressus ipsi, & ferè dixerim nutus sanctitatem sonent.

1. Tim. 3. 2. Const. Ap. l. 2 c. 18. D. Isid. Pelus. l. 3. ep. 216.

Ad hanc itidem rem explicandam Diuus Paulus statuit, vt viri qui reprehendendi nullâ ex parte essent, sacris infulis donarentur: quod ipsum sacris constitutionibus approbatum fuit, Diuusque Pelusiota formidando verè sermone, magis magisque describit. B

Hac item de causâ, morum grauitas, & decor in Episcopis à Lateranensi Synodo studiosè requiritur; demùm, vt innumeram propè Canonum, & Conciliorum seriem silentio prætercam, Tridentina Synodus, operum integritatem maximè commendans Episcopis ait, quòd piè, & probè operari, est quoddam veluti perpetuum prædicandi genus.

Sed potissimùm ad hoc excitare nos ipsos debemus, quòd ipsimet Ethnici nullam verè pietatis speciem agnoscentes in sæcularibus ipsis dignitatibus decus hoc requirebant; argumentum iam *à maioritate rationis* educentes, quid de sacro dicimus Magistratu, si de prophano hoc illi pronunciarunt: quid de Apostolorum successoribus dicendum, si de Principum operibus, hoc illi exigebant?

Plin. in Panegyr. ad Traian.

Quam eleganter ait Plinius, quod *Vita Principis censura est, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur; nec tam imperio nobis opus est, quàm exemplo.* Subditorum est, ad Principis mores velut ad viuendi normam se componere, & faciliùs eis parere quàm legibus, & dictis. Viua quædam lex virtus est, longè fortior, & validior quàm scripta; quis credat, exemplo magis imperat quàm sceptro, & dulcius eius moribus, quàm iussibus populi capiuntur: ab oratore alio hæc habes. *Exasperat homines exasperata correctio; blandissimè iubetur exemplo*, nec illud exaggeratè dictum à Theodorico crediderim: *facilius est errare naturam, quàm dissimilem sui Princeps possit formare Rempublicam.* Quâ de causâ ad moralis Philosophiæ Principem Bennonem Rex Antiochus scripsit, quòd si philosophicis præceptis suum animum excoluisset, in Macedonas omnes ea vtilitas effluxisset, vt potè qui facillimè è Principe tanquam è fonte exhibitæ pietatis fluenta populi desumunt. Meritò igitur Diogenes Laertius docebat, Phonascum à Præsule imitandum; ille enim, vt cæteri suas partes seruent, altiorem cantum assumit. C

Pacat. Panegyr. ad Theodos. Cass. l. 3. ep. 12. Laert. in Zenon.

Laer. in vit. Diogen.

Iustin. hist. l. 3.

Hac etiam de causa in Licurgi seruandis legibus, licet asperis, religiosi adrò Lacedæmones fuere; primus enim ipse non tam condidit, quam seruauit, & magis exemplo, quàm potestate præcelluit. Laboriosissima & asperrima fuere ea, quæ Cæsar inter bellorum incommoda pertulit, & tamen paratissimos semper & alacres habuit milites suos, eò quòd præuius vbique illis viam non imperio referaret, at exemplo; primus ille omnium gregarij militis instar laborem quemcumque subibat, mortemque ipsam occurrebat; sic de illo Orator Romanus, è quo fortè Tacitus politicum illud eruit acroama. *Duces exemplo magis quàm imperio: si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione præsunt*; hoc ipsum de Agesilao Plutarchus narrat, & multò veriùs de Gedeone Duce è paginis sacris habetur, in Madianitas bellicam expeditionem conficiente; sic, enim suos hic excitabat milites. *Quod me videtis facere, hoc facite*: sic Ionathas qui suo cum armigero Philistæorum acies fortissimè agressus, suos etiam inflammabat ad pugnam, ex his Diuus Gregorius colligit, tunc vtilissimas & validissimas Episcopi fore conciones, cum quæ docet ore, opere compleat, & primus D

Cic. Tacit. de moribus Germ. Plut. Lacon. apol. Iud. 7. 1. Reg. 14. D. Gregor. l. 5.

exe-

exequitur. *Quidnam est, quod apparere Ionathas Philisthæis cum armigero dicitur,*
A *nisi quia doctor ipse, prior debet hominum ostendere, quod alios contendit edocere?* sed nomen ipsum satis hoc nobis ostendit: quid enim aliud *Antistes* sonat, quàm *antè stans*. Quàm sanè potens eius Episcopi lex est, qui non imperiosè iubet *facias*, sed ait *faciamus*! ò quàm blandè Præsulis mandatum excipitur, cùm virtutis viam primus inire videtur: Vt enim ad Reginum Comitem Fernandus Diaconus scripsit. *Dux sapiens illuc debet ire, quò cupit ducere subditos*; cui adhærens Diuus Hildebertus Toletanus Antistes, Principem admonuit, faciliùs illi fore, vt suorum morum exemplo, quàm iustitiæ gladio suum regnum moderaretur; illo enim mulcentur, & capiuntur populi, hoc terrentur, & exasperantur. Fernând. D Idelb. ep. 55.

§. V.

B SAcro igitur lituo, quem præ manibus habemus, satis edocemur, non vt eo gregem nostrum percutiamus, at vt sanctis operibus nostras manus exerceamus: Accipe Bernardum. *Quid est autem habere in manu virgam, nisi in opere disciplinam, vt subiectos suos exemplo magis instruat, quàm verbo*? Hinc Diuus Areopagita Dyonisius optabat, vt clarissimæ christalli instar effulgerent Episcopi, & diuina lux, quâ ipsi irradiant, in alios repercussa transiret. Vix legem aliquam statuit, atque euulgat Antistes, vt statim in eius vitam populorum oculus acie firmâ collimet; si namque pia ipsa fuerit, alacres eam excipiunt: è contrà negligunt & derident, si legis probitati morum improbitas aduersetur. Si doctrinæ pietas adiungatur, quàm facilè tanquam hamo populi capiuntur. E sanctitate morum, non è gradus celsitudine nostra grandescit authoritas, & pópulorum venerationem non Insularum pompâ, sed morum candore nobis fęliciter comparamus. D. Bern. l. sent c. 5.

C Marcellus Secundus, qui dum Eugubinæ huius Ecclesiæ regimini præsidebat, ad Vaticani culmen Imperij fuerat euectus, cum à purpuratis Patribus rogaretur, vt aliqua concordi suffragio ab ipsis decreta calamo subsignaret, id facere recusauit, eò forsan, quia Pontificiæ authoritati aduersarentur, egregium illud respondit: Quas ego subsignare calamo leges recuso, meis moribus abundè subsignabo. Nullum certè signum, nullum chyrographum, quo leges suas muniat & confirmet Antistes, validius est, quàm vitæ integritas & morum candor; dicendi ornamenta omnia, omnia hoc argumenta præcellit. Quàm ergo sapienter Ambrosius. *Melius docemur facto; quàm voce: benè facere prima doctrina est; cessantibus enim verbis hoc ipsum docet hominum opus optimum, dum videtur, quod etsi aures non excitet, virtute tamen corda compungat.* D Ambr. ser. 86.

Fœlici quadam necessitate nos dignitas nostra deuincit, vt scilicet, non tantùm subiectos populos nostra vel leui improbitate nō vitiemus, sed nostra insuper eos pietate perficiamus. Vtinam Philadelphiæ Episcopum, de quo Diuus Igna-D tius scripsit, imitari fas omnibus esset, cuius silentium erat aliorum sermone præstantius. *Tacens amplius potest à loquente*. Vtinam adhærere Diuo Thomæ Cantuariensi possemus, de quo Petrus Blessensis fidem facit, quòd *tota conuersatio eius erat schola honestatis, morum ædificatio, & structura salutis*. Ad huiusmodi viuendi legem se Diuus Carolus componens, in tantum Hyerarcham excreuit. Ad hoc igitur præstandum nos pariter excitamur à Diuo Isidoro Hispalensi Præsule audientes, quòd *Tàm vita, quàm doctrina clarere debet Ecclesiasticus doctor: nam doctrina sine vità arrogantem reddit, vita sine doctrinà inutilem facit.* D. Ignat. ep. mihi 6. ad Philad. Bless ep. 17 Guill. in vit S. Car. l. 2. c. 2. D. Isid. l. 3. de sum. bo. c. 35.

A

Fœdissimum in Episcopis esse vitiosæ vitæ exemplum. Cap. LXV.

TAM excelsa, tam solerti, & ferè dixerim prodigiosâ mentis perspicaciâ Origenes præstitit, vt plura ipse volumina solus luci dederit, quàm plures valeant ætate integra lectitare. Vix tamen diuini beneficij immemor tanta hæc ingenij munera sibi tribuens, cæco sui amore insanescit, vt statim à Deo desertus in miserrima præceps corruerit, & à fidei candore desciscens perfidiæ maculis se incestarit; ad cælestis luminis diem caligans teterrimâ nocte occupatus stultè delirat & labitur; in pestilentiæ cathedram è sapientiæ palestrâ eius B domus inuertitur, & orbem obscurat, quæ illustrabat; aptissimè igitur de eo Cassiodorus, *Origenes vbi benè nemo melius, vbi malè nemo peius.*

Adumbratum his verbis vides Episcopum, si namque morum integritate præstiterit, si gregis vtilitati salutique prospexerit, si concionum sanctitati vitæ sanctitatem fœderauerit, Apostolici muneris apicem assequitur, & tanti sacer-

Cassiod. dotij infulis cælum ipsum exornat, vtilis omnibus, omnibus admirandus; *Nemo melius.*

Verùm si à dignitatis sanctitate viuendi forma discesserit, si sanctus munere, prophanus opere fuerit, & virtutis quòd præfert nomen, vitij fęditate polluerit, perniciosissimus omnibus est, & Christianæ Religioni peracerbus. *Nemo peius.* Diuinum gregem non seruabit at destruet, non pascet, at occidet, deque eo vsurpare illud poterit, quod de sæculari quodam Principe Diuus Bernardus scri-

D. Bern. ep. 127. psit, *Principis error multos inuoluit, tantis obest quantis præest.* Quæ sermone C ædificat euertit opere, quæ doctrinâ docet gestis delet, moribus euellet quæ voce seminauit.

Qui duodecim sæculi abusus explicauit, Diuusque Augustinus æstimatur, tanquam primum, & potissimum illum recenset, qui ex Episcoporum moribus in-

Apud Augustin. de duod. abus. grad. 1. to. 9 compositis, sacroque à sermone alienis emanat; maximè enim horum dissonantiâ sermonis species defædatur; eloquentior linguâ manus est. *Plus enim homines oculis, quàm auribus credunt,* sic Seneca. Si gestus suos ita dissonos ederet orator, vt de tellure loquens cælum digito indicaret, profectò turpem solæcismum patraret, vt ait Diogenes; an non igitur deformis solæcismus erit, si de cælestibus rebus sermonem habens, telluri totus oculo, & animo adhæreat? Quàm ridendus cum Heraclito ille esset, qui febri æstuosâ incalescens, alienam febrim extinguere curaret sui oblitus, suamque contemnens: in huiusmodi vi-

Ennod. in libell. adu. &c. ros elegantissimè Hennodius Præsul Ticinensis assurgit. *Magnum per diuina ridiculum! vos alienæ febri curam quæritis, vos fatiscenti animæ curam adhibere cupitis, & in lethali proximitate positi vestri immemores, de alterius salute tractatis.* D An non iste Achitophel imitaretur, alijs quidem prudentissimum, sibi prorsus

1 Reg 3. 23. insipientem Reges ipsos suo concilio moderantem se tamen ipsum dirigere nescientem? veteres hoc propè esset imitari Philosophos, quos Cleantes lyræ

Cleantes. meritò comparauit, quæ aliorum aures suaui concentu permulcens, sibi tamen penitus obsurdescit; Accommodatissimè hos etiam carpit Romanus Orator hac

Cic. l. 2. Tuscul. dicendi formâ: *sic Philosophus, sic Prælatus in ratione vitæ peccans, hoc turpior est, quòd in officio, cuius magister esse vult, labitur, artemque vitæ professus, delinquit in vita.* Quæ de Philosopho Tullius, dixeris de Episcopo.

Monoculi à Diuo Nazianzeno ij vocantur Antistites, qui vel solâ probitate

D. Nazian. orat. in laudib. Basil vel solâ doctrinâ contenti populos erudiunt. Quàm ineptus, & demens, qui eorum mores informare contendit, qui eius deformes inspiciunt, factis reprobat, quod ore contendit edocere, virtuti sermone, vitiis actione studet; Qui sibi immorigeratus mores instruere alienos contendit, inutiler æquè laborat

rat ac ille, qui virgam obliquam seruans, obliquam eius vmbram æquare conten- Laer. in vit. Salon.
A dit. Sic Laertius.

Illud addo, Philosophicæ hoc illi sententiæ aduersari, quòd non potest obliquum mensura esse sui vel aliorum: maximè ea nauis periclitatur, cuius regimini proreta præficitur, qui capitis vertigine, stomachique æstu laborans, naufragium sibi, & naui molitur: audi Senecam. *Quid me potest iuuare rector nauigy attonitus, & vomitans? non est loquendum; sed gubernandum*: Si operibus Senec. ep. 109. verba destituantur, folia ad cibum sine fructibus præbes; Quàm benè eâ fici arbore hi, si qui fuerint, designantur, quàm, eò quòd folijs tantùm exuberans, fructu sterilesceret, iustissimâ suę Christus sententiæ percussione damnauit; Ipsemet Phocion turgidam, & pulchrè phaleratam concionem audiens cupresso Plut in vit. Phocion. cam comparauit præcelsæ quidem, sed infœcundæ. Quod si Salustium Lactantius Firmianus damnauit, quòd optimè locutus, pessimè fuisset operatus; quantò Lact. l. 2. inst. c. 13. iustiùs damnandus ille Præsul esset, qui ad gregem suum saluberrimis pascuis
B enutriendum electus, verborum tantùm folia comparans, vel nullos ei fructus D. Grego. 21. moral. afferret, vel, quod illacrimandum esset, fructus ei veneoatos exhiberet. Hi c. 8. 3. Reg. 3. profectò, Diuo Gregorio docente, fęminam eam imitarentur, quæ dormiens puerum eum oppressit, quem lactabat euigilans.

An illius præcepta sequatur populus, quem videt tàm longè ab innocentiâ vitæ distare, & cuius verba tam difformi specie suis à moribus discrepant? quâ de causâ Thimotheum admonuit Apostolus, ne iuuenili, quâ florebat ætate, populorum venerationem, & amorem amitteret. *Nemo adolescentiam tuam contemnat*; ad quod euitandum viam ei reseraiuit, quâ suos mores temperaret. *Sed forma esto fidelium in sermone, in conuersatione, in dilectione, in fide, in castitate*. 1. Timot. 4. D. Aug. l. 4 de do tr. Christi. c. 27 & seq. tom. 3.

Derisus meritò à Romanis Sylla fuit, eò quòd immanes ipse thesauros dilapidans, frugales renuesque sumptus populo commendaret. Nil igitur mirum si Plutar. Episcopo cuidam, qui Fridericum inter secundum, & Othonem Quartum simul
C rates rixasque fouebat, elegantissimè concionanti, respondisse fertur prænobilis quidam Romanus ex inclytâ Caporiorum Reuerendissime mi familia, Domine fanè loqueris vt Deus, operaris vt Dæmon. Mihi quidem ea responsio nullatenus approbatur, quâ Pontifici tunc temporis Auenione immoranti respondisse fertur quidam Antistes, quem Pontifex hortabatur, vt suam Episcopalem sedem adiret. Quid ni igitur vestra Sanctitas, sic ille respondit, Auenione relictâ Romanam Sedem reperat tantis lachrymis toto ab orbe expetitam? Audacter hoc dictum, *nam Prima sedes à nemine iudicatur*; Pontificia opera veneranda nobis sunt, non carpenda; illud tamen pronunciare non dubito, facilè eos Præsules à populis derideri, quorum mores à legibus, decretisque discordant. Quàm facilè plerisque illud Dęmon objiciet, quo Sceuæ Hebræi Pontificis filios Pauli nomine ab obsessis corporibus Dæmones excutientes castigauit, *Iesum noui, & Paulum scio, vos autem qui estis?* eosque protinus inuadens, Act. 19. 13. & in fin.
D tam crudeliter illos habuit, vt vix vitam sibi fugâ seruauerint.

Ad Hermogenem Episcopum Diuus Isidorus Pelusiota scribens ait, quòd si, Isid. Pelus. l. 1. ep. 208. qui sacris infulis ornantur, è sacris paginis habent, satis suæ conscientiæ se facturos, si solâ concionandi arte populos erudierint, tranquillum omninò se fore: verùm si Diuinarum litterarum oraculo ij tantùm vocantur, & habentur Episcopi, qui non verbo tantùm sed opere commissas sibi gentes instituunt, quis inficietur, inanem in ijs tam excelsam esse dignitatem, & violentâ quâdam tyrannide ab eis possideri.

§. I.

VErùm vtinam hic sisteret lues, nec ad alia inferenda incommoda se prauum Antistitis exemplum explicaret; alia longè fœdiora detrimenta supersunt explicanda. Quantum autem illud est, quòd è vitiosis (Deus auertat) Episcopi

ſcopi moribus populi non tantùm non paſcuntur,ſed necantur, non ſeruantur,at extinguuntur, non à lupis arcentur, ſed ab ijs deuorantur. A

Quod effato ſatis concordi Philoſophi pronunciant, naturalia ſcilicet agentia *agunt ſibi ſimile*: accommodatiſſimum hic eſt, Epiſcopus enim, qui morale
Eccl. 10. 2. quoddam agens eſt, niſi commendatiſſimus vitæ ratione fuerit, ſimilem ſibi populum effinget. *Qualis eſt Rector ciuitatis, tales & habitantes in ea*: quis enim
Nazia orat. de f. ad ſpaſc. in fin. opus. neſciat quod ait Nazianzenus, *nimirum ipſius Antiſtitis factum pro lege ducitur*:
ſui populi anima Antiſtes eſt, ſui corporis caput, quo vel ſalus vel ægritudo, vel
mors, vel vita dependet: quia tamen vitij via frequentiùs premitur, quàm via
virtutis, hinc fit, vt ad malos potius, quàm ad bonos imitandos proniores videamur; audiendus eſt Diuus Iſidorus Hiſpalenſis, *Nonnulli autem ſicut prompti ſunt*
D. Iſid. l. 3. ſent. c. 30. *ſequi Reges in malum, ſic pigri ſunt imitari illos in bonum*. Fœcundiſſima ſunt
Antiſtitum vitia, vix dedere ſe luci, vt alia ſtatim plurima pepererint; nullus
pernicioſior & periculoſior morbus, quàm qui è capite defluit. Centrum populi Præſul eſt, è quo lineæ omnes eriuantur: Vrbium lex, populorum norma, B
totius politiæ menſura. Hinc *falsà primà regulà*
Orat. *Omnia mendoſè fieri, & diſtorta neceſſe eſt*.

D. Iſid Peluſ. ep. 209 l. 2. Quæ ſatis allato Euſebij Archiepiſcopi exemplo ad Hermogenem Epiſcopum ſcribens Iſidorus Peluſiota confirmat.

Nec aliâ de causâ præcepit olim Deus, vt ad expiandum ſupremi Sacerdotis crimen eadem Deo hoſtia litaretur, quam pro totius populi reatu offerebant, ac ſi ad Præſulis peccata, populi ſemper crimina conſequantur; hoc ea ſigni-
Leuit. 4. 3. Abul. ibid. ficant, *ſi Sacerdos, qui vnctus eſt, peccauerit, delinquere faciens populum*. Contagioſâ quadam lue peccatum ſerpit, ſibique proximos inficit; tabificus quidam vapor eſt, qui quàm citiſſimè ſe diffundit, & magno vix conatu extinguitur.
Naz. or. 1, num. 22. *Neque enim, vel indelebilem tincturam pannus, vel fetidum, aut ſuauem odorem res admotæ ità facilè contrahunt, vel exitialis quidam vapor tam facilè in aerem diffunditur, ac per aerem animantia occupat. (quod quidem peſtis eſt & appellatur) quàm ſubditi Antiſtitis improbitate celerrimè impleri ſoleat, & quidem multò faciliùs*. C
Sic Nazianzenus.

Cùm fici arborem abſcindendam Pater familias iuſſit, non eius tantùm ſterilitatem inſpexit, ſed illud potiſſimùm adnotauit, *Vt quid etiam terram occupat?*
E Græco legitur, *quorſum terram infrugiferam reddit?* His validiſſimè dictis de-
Luc 13. 7. ſignatur, Præſulem ea arbore expreſſum non ſibi tantum, ſed populo ſuo ſterileſcere; non tantùm pietatem non excolit, ſed euellit, & pernicioſo regimine vineam non fœcundat, at deſtruit; habes hæc à Diuo Gregorio ſic philoſo-
D. Gregor. hom. 31. in Euang. phante: *In hoc ſæculo potens quilibet, ſi fructum non habet operationis bonæ, etiam impedimentum præſtat cæteris; quia quicumque ſub ipſo ſunt, exemplo prauitatis illius, quaſi vmbra peruerſitatis illius premuntur*: cui etiam aureo dicendi genere
D. Petr. Chriſol. Diuus Chryſologus adhæſit.

Quià verò Synagogæ Pontifices à recto pietatis tramite diſcedentes, non inutiles tantùm plantæ euaſerant, ſed etiam ſuis prauis moribus pernicioſæ, meritò D
Oſe 5. 1. Oleæ ore vapularunt. *Audite hoc Sacerdotes, & attendite domus Iſrael, & domus Regis auſcultate, quia vobis iudicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor*. Hoc eſt iuxtà Diui Cyrilli mentem, cum non tan-
D. Cyrill. Iſa. 5. 4. tùm ſpeculatores, ſed ſpecula ſitis populorum, ſcelerum maculas à vobis ipſi deſumunt. Quàm nam ſanè deformis eſſet, ſi Præſules ad populos ſeruandos electi retia Dœmonis fierent, quibus ad æternum interitum capti adducerentur; quid deformius, vt Epiſcopatus ſolium in ſedem iniquitatis abſcederet? an non illi meritò feriendi & fodiendi verbis ijs eſſent, quæ ex Oſeæ memorato ſermone
D. Hier. in Oſe. 5. Diuus Hieronymus eruit, *ſpeculatores & Principes vos conſtitui, vt populum regeretis errantem, vos autem facti eſtis laqueus, & non tam ſpeculatores, quàm venatores appellandi*.

Quàm profectò Chriſtiana Religio ingemiſceret, ad huiuſmodi Paſtores ne diceriam, an decoctores! quàm meritò Chriſti Vicarius exhorreſceret, ſi Gre-
Baron. ann. 1037. to. 18. gorij Septimi recurreret ætas, qui Pontificiâ vix Sede donatus ad Lanfrancum

Can-

Cantuariæ Antistitem scribens, suum olim familiarem, vehementer de nonnullis
A Episcopis conquestus est, qui luxu desidiaque fluentes, subiectos populos non
ad salutem, sed ad interitum adducebant?

§ II.

QVAM maximè ab omnibus abhorrere ij Episcopi debent, quæ spe-
ctantium oculis offensioni possunt esse; cùm enim in excelso Ecclesiæ can-
delabro ipsi collocentur, vt publicâ luce præfulgeant, ad sui imitatio-
nem facillimè spectantes omnes abripient: hoc dignitas habet, vt vel ipsos erro-
res, vel ipsa crimina exornet, illisque quodammodo pretium faciat; Heliodoro
Altini Antistiti Diuus Hieronymus hoc ipsum significauit hoc stylo. *In te om-*
nium oculi diriguntur; quicquid feceris, id sibi omnes faciendum putant: tua con- D Hieron. ep 3.
B *uersatio, quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ.*
Nulla certè potentior, & securior via crimini fuit, quàm cum è Dæmonis D Athan. orat. aduer. Idola.
nequitia, iuxtà mentem Diui Athanasij, & Nazianzeni Gregorij (Poetis hoc
idem tribuit Seneca) Numina ipsa vitijs aspersa fuere; quid aliud hoc fuit, D. Nazian. orat. in sancta lum.
quàm conscientiæ aculeos retundere, ruborem à vultu peccantium excutere,
Deorumque exemplo scelera ipsa imitanda proponere, vt quædam animi orna- Senec. de breu. vit. c. 16. & de beata vit. c. 16.
menta; si ergò ij, quos inter homines Deos Cælum euulgauit, & diuina autho-
ritate fulciuit, se flagitijs macularunt, an non eorum exemplo maculare se po-
puli possent, & licita eis fieri proferrent, quæ illicita illi patrarunt? id ipsum
hoc esset, quod olim de vitijs Ioui tributis ait Seneca. *Dare morbo vitiorum,*
exemplo diuinitatis, excusatam licentiam. Audire me non ita pridem memini,
quòd cum in Vrbe meæ huic Eugubinæ proximâ, Parochum quendam de quo-
dam crimine Antistes argueret, quo Antistes ipse implicabatur, respondetit ei
C audacter Parochus. *A boue maiori discit arare minor.*
Siloe Turrim Episcopus refert, quæ si ceciderit quàm plurimos cædit. Si
primarias Religionis Columnas Stygius Samson quatiat, quàm ingens popu-
lorum cædes oriatur oportet? eo enim modo, quo iuxtà Doctoris Angelici Apoc. 12.
sententiam, è Luciferi exemplo superbientis in Deum, cælestium spirituum in- D. Th p p. q. 63. art. 3.
numeri eodem se vitio polluti eius nomini, & supplicio adhæsere, sic Præsules
sacræ Hierarchyæ Principes quàm plures secum ad excidium rapiunt. Hinc
Diuus Paulus, cùm animaduerteret, quòd Apostolorum Princeps Antiochiæ
tunc immorans coram Iudæis recenter initiatis ab eorum vsu ciborum abstine-
ret, quos Iudæorum lex prohibebat, ne tumultuosis cogitationibus æstuarent,
eum corripere non formidauit ea pronuncians, *Si tu cum Iudæus sis gentiliter* Galat. 2. 14
viuis & non iudaicè, quomodò gentes cogis iudaizare? Nullibi sacris in literis re-
peries aliquem à Diuo Petro coactum, vt ab eis cibis abstineret, quin Iudæis
absentibus, eis ipse vnà cum alijs vtebatur; quî ergò Paulus loquitur? *coegit* D. Hieron. inter ep.
D *autem non dicentis imperio, sed conuersationis exemplo.* sic explicat Diuus Hiero- D. August. ep. 11.
nymus.
Quanta sanè Principatus humani calamitas: ad eas leges seruandas quæ vitio D. Tho. ad Galat. c. 2.
militent, populi properant; eas verò nesciunt, & animo præduro excutiunt,
quæ virtuti famulantur. Hæc igitur respiciens Diuus Paulus, inter reliquas con-
ditiones, quas in Episcopo Apostolus exigit, illam etiam recenset, *Non percus-*
sorem. Non hic secures, & gladios intelligas velim: is igitur sit Antistes, *qui non* D. Hier. l. aduers. Iouin.
percutiat conscientias aliorum; quid enim acutius, quid læthalius populis, quàm
vitiosum Hierarcharum exemplum?
Hinc illud Diuus Cæsarius Arelatensis eruit sanè cuilibet formidandum, D. Cæsar. hom. 3.
vnum scilicet Episcopi crimen multiplex posteà fieri in eorum erroribus, qui
eum imitantur.

§. III.

§. III. A

CVM igitur suæ Ecclesiæ pupilla Episcopus sit, si ea obducatur, totum corpus caliget oportet: quàm benè vt Diuus Ambrosius docet, hic ea Seruatoris verba confirmantur, *si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tenebrosum erit*; tum enim errores eò perniciosiores sunt, quo magis ex eorum dignitate quandam veluti speciem sanctitatis assumunt: meritò igitur Diuus Nazianzenus admonuit. *Vobis potissimum, qui Ecclesiæ gubernacula tenetis, prouidendum censeo, ne oculus plenus tenebris sitis*. Vides, quàm perniciosè sacra hæc lucerna extinguatur! quàm deformiter non lucem, sed noctem impertiat, non campos lumine fœcundet, sed eclypsi potius obruat! audiat ergò quæ in eum Diuus Bernardus intorquet. *Pudeat successores Apostolorum lucem non esse mundi, sed modij, mundi autem tenebras: dicamus eis, Vos estis tenebræ mundi*. Illud illustrissimi Præsules animo serio peruoluamus, spectatorum oculis nos vndiq; obsideri, & censorijs obtutibus examinari; ne igitur nostris eos moribus vitiemus, ne nostrâ eos prauitate corrumpamus; quàm fœdum esset, si nos ad stygias irruptiones retundendas, ad hostiles vitiorum acies triumphandas electi, Coriolanum imitati non Romanam fidem nostrâ sanctitate tueremur, sed eam potius nostris criminibus oppugnaremus; Quàm enim veritati dictum illud Gregorij consonat, *Nemo in Ecclesia Dei magis nocet, quàm qui peruersè agens, nomen aut gradum sanctitatis tenet*. B

D. Amb. de sacer. c. 1. Match. 6. 23.

D. Gregor. Nazian.

D. Bernar. in ad vit. S. Malach.

D. Greg. in past. p. 3. c. 2.

Huiusmodi Episcopos Ecclesia sponsa non tantùm suos in sponsos non amplexatur & diligit, sed eos potius reijcit, suoque à sinu diuellit. Quin Angeli ipsi populorum Custodes, cùm eos prauo Episcoporum exemplo corruptos agnoscunt, quos suâ custodiâ informant, enixè à Deo postulant, vt eorum cendelabra extinguantur, & *Episcopatum eius excipiat alter*: accipe iam quæ in hac sententiam Diuus Gregorius exarauit. *Scire etenim Prælati debent, quia si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt*. C

Ps. 108. 8. D. Greg. 3. past. ad n. 5.

Origenem, vt in capitis exordio docui, affabrè hi imitantur; si enim ille quam priùs propugnauerat Orthodoxam Religionem, tùm calamo, tùm sermone postea oppugnauit; vitiosus Præsul eandem operе infectatur: si veris ille falsa permiscuit, & lolium frumento cælauit; hic pariter diuinum doctrinæ semen prauo suorum morum lolio confundit. Audax in his dicendis audirem, ni Diuum Bernardum præeuntem haberem, qui Episcoporum conuentum alloquens, de omnibus air persuasum sibi animo esse, in orthodoxæ fidei candore seruando esse religiosissimos, verùm *multi sunt Catholici dicendo, qui hæretici sunt operando: quod hæretici faciunt per praua dogmata, hoc faciunt plures hodiè per mala exempla*. Hinc emarcidi, & putridi lalis instar eorum dignitas & doctrina deridetur & calcatur, vt suo potissimùm tempore Caietanus testatur in aulâ Romanâ vsitatum fuisse. Quanta hinc difficultas assurgit, vt æternam hi beatitatem assequantur! ad hoc omnibus significandum, quendam è Cantipratensis fide admonuit, qui eum diù maculosis moribus populum infecisset, lethali morbo correptus spectandum Apostolorum Principem habuit; aspero hic vultu librum, quem gestabat ei legendum exhibuit, huiusmodi notis exaratum, *Mortificabas animas, quæ non moriuntur, & viuificabas animas, quæ non viuunt*: horrore ad hæc perculsus æger, aliò pupillas inuertens reliqua legere recusabat; sed Apostoli iussu ad ea legenda coactus, hæc iterum margini adscripta cognouit. *Quandò de inferno reduces animas, quas per tuum destitutas exemplum æternis supplicijs tradidisti?* Quis hic horrorem quo riguit, exprimat? expergefactus enim contremiscebat vndique, & pluuio sudore fluebat; salute demum receptâ, solio, infulis, Principatuque reiecto, Cistерciensi familiæ se adscribens, post religiosissimam asperrimamque vitam traductam, fœliciter emigrauit ad superos. Quid ad hæc tepescat, quis sacro quodam ardore non ferueat vt gregi suo, sit vtilis verbo, D

D. Bernar. ser. 5 ad Patres in Syn. Congr.

Cantipr. in Sil. Ap um l. 1. c. 20.

opere,

A opere, manu, sermone sanctitatem effundat. His addat, quæ Diuus Ambrosius in eos iaculatur, qui cum designati à Deo sint ad aliorum sordes, abstergendas, nequiori ipsi morbo sordescunt; do eius stylum. *Ergò quia ità est, cur te velut te- trum speculum vniuersorum oculis demonstras, ita vt non possint obscuritate tua se comptius ornare.* D.Amb de dign. sacer. l.6.

Nec illud ex Aquinate magistro omiserim, quòd nempè vitiosi Episcopi, vt sal infatuatum non solùm eijciantur foras, sed nullâ populorum veneratione habiti, *conculcentur ab hominibus*: ex hoc autem quot mala, quot tumultus, pullulare quis nesciat? cum verò hominum nomine non semel in sacris litteris Dæmones significentur, iuxtà illud Regij Vatis, *Non timebo quid faciat mihi homo, idest diabolus*; quid superest aliud, nisi vt, huiusmodi Præsules *conculcentur ab hominibus, idest simul cum alijs calcentur; vel subtus alios in profundum inferni proijciantur.* D. Tho. in 5. Matth. 13 & ibi Iansf. Ps. 17.6.

B Pro subiectis populis ab Episcopo Deum orandum Cap. LXVI.

AD extrema pascua deuenimus, quibus gregem suum infulatus Pastor enutrire & saginare tenetur; hæc autem in sacris precibus exhibentur. *Pasce sanctarum fructu orationum*: hæc autem, vt explicat Diuus Paulus, calamo in pennicillum inuerso, Diuini Apellis instar, tres ducere videtur lineas, quibus Episcopi pietatem adamussim effingat; *Omnis namque Pontifex ex hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Prima igitur linea est, quòd ipse ex hominibus assumptus est, terreni vaporis instar solis diuini beneuolentiâ ex infirmâ hominum conditione ad suprema transfertur; *Ex numero hominum assumitur ad aliquid dignius, per quod possit alios iuuare.* Ea sic verba explicat Glossa: humana cuncta ipse trangressus ferè dixerim Deum ipsum attigit; hinc Innocentius Tertius de eo pronunciauit, *quid est inter Deum & hominem medius constitutus: citrà Deum, sed vltra hominem: minor Deo, sed maior homine.* Clemens verò Alexandrinus Episcopos appellauit *terrestres Deos.* D. Bernar. serm. 2. de resurrect. Hebr. 5.1. C Glos. inter lin. Innoc. III. serm. 2. in consecr. Pont.

Altera pariter in eo est, quòd scilicet *pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum*, Interpres, Patronus, Legatus, populi Antistes ad Dei aulam est, & publicæ fœlicitatis administrator, adeoque eum Nazianzenus vocat *animarum nymphagogum, & pronubum.* Clem. Ale. D.Gregor. Naz. or. 1.

Tertiam demùm habes in eo, quod *offerat dona & sacrificia pro peccatis*. Ad Dei enim iracundiam tranquillandam pacificator Præsul accurrit, eiusque manum à fulminibus vibrandis coercet. Proh Deus! quanta hæc dignitas est, & quantum diuinæ beneuolentiæ prodigium! si de Deo, quod sit lux mundi habetur, hoc ille compertit Episcopis, *Vos estis lux mundi*. Si hominum simul & Dei mediator appellatur Christus à Paulo, ad hoc idem præstandum designantur Antistites, qui Deum in sua potentiâ ergà homines exercenda imitati, Dei misericordiam supplicijs obarmatam exarment, diuinæque iustitiæ iracundos æstus extinguant. Matth. 5. 14. D 1. Tim. 2. 5.

Egregiè igitur de Episcopo loquens Diuus Petrus Chrysologus ait, quòd *Versatur inter altaria semper; peccatorum causas, dolores populi suscipit, fert, affert, ingerit preces, accipit, refert, restituit impetrata; ex homine totus in Angelum substitutus.* D. Petr. Chrisol. ser. 26.

In Angelis illis repræsentari videntur Episcopi, quos per illustris scalæ gradus ascendentes & descendentes Iacob aspexit; preces enim, vota, lachrymas populorum desideria ascendentes ad Deum ferunt, rursusque ad populos Dei leges, oracula, & decreta deportant. Angeli sanè nomine supremum Sacerdotem, hoc est Episcopum diuinus spiritus decorauit, *Quia Angelus Domini exercituum est*: vbi de suo more solidè Diuus Hieronymus docet, non metaphoricâ, Genes 28. 12. Malach. 2. 7. D.Hieron. ib d.

ſed propriâ ſermonis vi Angelum vocari. *Angelus, ideſt Nuncius Sacerdos Dei ve-*
riſſimè dicitur: quia Dei, & hominum ſequeſter eſt, eiuſque ad populum annunciat A
voluntatem. Hinc diuina ſemel contemplatus Iſaias diuinaque voluptate perfu-
ſus, ea animi luce reſpiciens, quibus noua Hieruſalem, hoc eſt Romana Reli-
gio ad ſui ornamentum præferebat, Dei perſonam, & vocem induens ait: *ſuper*
Iſai. 62. 6. *muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes, totâ die, & nocte non tacebunt*. Cuſto-
des hi, tutelares Vrbium Angeli ſunt, Apoſtoli ſunt, eorumque ſucceſſores Epi-
ſcopi, *diu noctuque*, hoc eſt inter proſpera populorum, & aduerſa, precibus
Deum fatigant, vt a quauis hoſtium irruptione ſuam ciuitatem ſeruare dignetur:
D. Hieron. ibi. ſed accipe Hieronymi verba; *vel Angelos intelligit, vel Apoſtolos, & omnes Prin-*
cipes Eccleſiæ, atque Doctores: qui totâ die ac nocte non tacebunt: ideſt nec in lætis, nec
in triſtibus Deum deprecari deſinent, vt muri eius Domini vallentur auxilio.

Hoc etiam ſenſu, qui benignior cæteris eſt, ea Oſeæ verba de Sacerdotibus,
& Præfectis alloquentem Deum afferentis interpretantur Diuus Cyrillus, Ruffi-
Oſea 4. 8. & ibi. Cyrll. & Ruffin. nus, alijque. *Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum ſubleuabunt ani-* B
mas eorum, eorum enim peccata precibus effuſiſque ſuſpitijs deglutire & abſor-
bere videntur, ſe ipſos Diuinæ iuſtitiæ offerentes, ad populi ſcelera excipienda.
Talis enim poteſt populum, qui in offenſam Dei incurrit, legemque Dei violauit, in
gradum priſtinum reſtituere.

Viden, vt eximiè hic arcana illa aperiantur, quibus ea veſtis obuelabatur, quâ,
Deo præcipiente, ſupremus Synagogæ Sacerdos erat induendus ad ſuæ dignita-
tis ornamentum; tam ſanè illuſtris (Ioſepho Hebræo narrante) veſtis illa fuit,
vt in admirationem Ethnicos ipſos adduxerit.

Ioſeph. l. 11 antiq. c. 8. Quin magnus ipſe Macedo, qui bellica inter diſcrimina, & ad ipſas mortis
inſanientis fauces timorem à ſe omnem excuſſit, celeberrimam ſibi Hyeroſoli-
mam ſubacturus, cùm Pontificijs indumentis ornatum Maximum Sacerdotem
obuium haberet, ad eius aſpectum maieſtatemque tantâ fuit veneratione per-
culſus, vt ex equo deſiliens, ad eius genua ſe deuoluerit ſupplex, & è victore C
victus ſuos illi ſubiecerit palmarum faſces, & laurearum aceruos. Sanè Di-
uina ipſa ſapientia eius veſtis excellentiam hoc ſtylo deſcripſit. *In veſte enim po-*
Sapien. 18. 24. *deris, quam habebat, totus erat orbis terrarum: & parentum magnalia in quatuor*
ordinibus lapidum erant ſculpta. Quadruplex, quo texebatur, color, quatuor ele-
menta exprimebat: hyacynthus aerem, purpura quæ de mari trahitur, mare,
coccus flammeam ſpeciē gerens, ignē; & byſſus è terrâ progerminans infimum hoc
Phil. in vit. Moyſ. terræ elementum deſignabat; hinc Philo ait, quod *Pontifex totius orbis imago*
erat, & Rabbinorum ſuffragio roborat hæc Rupertus Abbas. *Quatuor colores, to-*
ties in ſacrà ſcripturà compoſitos, Hebræi ad quatuor elementa referunt, ex quibus
Rup. Abb. l. 4. in exod. c. 21. *vniuerſa ſubſiſtunt*. Speciosiſſimum, & ſimul pretioſiſſimum eiuſdem veſtis
ornamentum in duodecim gemmis auro obſtrictis elucebat, quæ ordine qua-
terno diſpoſitæ auorum vel nomina vel ſymbola ipſis inſculpta inter emican-
tium radiorum fulgura præferebant. Quam benè veſte hàc, quâ Sacerdos Aaro-
nicus, Epiſcopi imago induendus erat, ſententia hæc noſtra docetur, fidem D
faciente Ruperto. *Iuſſum eſt, vt Pontifex non ſolum pro Iſrael, ſed etiam pro vni-*
Rupert. lo. cit. *uerſo mundo roget: ſi quidem, & terra, & aqua, & igne & aere mundus iſte con-*
ſiſtit. Epiſcopi eſt, non tantùm ſuæ Diœceſis populos, & nomina animo in-
ſculpta gerere ad Diuinam illis beneuolentiam conciliandam; ſed totum ipſum
Chriſtianum orbem præferat neceſſe eſt, & pro eius ſalute propitiam diuinita-
tem frequenter exoret. Hac de cauſa, qui Chriſtiano nomini recenter ſe ad-
ſcripſerant Iudæi, Photio teſtante, Diuum Iacobum Hieroſolymæ Proto-Epiſ-
copum vocabant *Obilam* hoc eſt *Præſidium, & Protectionem populi* omneſque ſi-
Phot. cod. 221 mul Epiſcopos *Columnas* appellabat Eucherius, eò *quod nutantis mundi ſtatum*
Eucher. ho. 3. apud Theod. *orationibus ſuſtinent*: quod etiam ijs Iob vocibus ſignificari docet, *ſub quo cu-*
ruantur qui ſuſtinent orbem. Epiſcopi enim ij ſunt, qui Athlantis inſtar nutanti
orbi terga ſupponentes excidium illud ab eo precibus ſuis auertunt, quo cæte-
roquin in ſuorum pœnam flagitiorum præceps ageretur.

§. I.

A

§. I.

CLarissimum de hoc nobis exemplar præstitere germani Sanctissimi Moyses, & Aaron Hebræi populi duces. Horum ille, cum in Iudæorum interitum, eorumque nomen exscindendum propensum Numen agnosceret, eò quòd suæ Diuinitatis oblitus, fœdissimâ Idolorum superstitione se maculauerit, ad Dei furorem emulcendum accedens, eò se precibus suis cum Deo explicauit, vt vel populo dandam veniam, vel se è libro vitæ delendum Deo fiduciâ piâ proponeret. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro quem scripsisti*. Hæc contemplatus Diuus Thomas Villanouanus Episcopos alloquens, nullum air nunc Episcopum reperiri, qui pro populorum salute ad Deum precator accedat. *Vbi nunc est Episcopus, qui propter nimiam ad Deum familiaritatem* B *& secretorum eius conscius sit, & velut alter Moyses, irato Domino murum se opponere possit pro Domo Israel*. Exod. 32. 7. &c. d c 32. 32. B. Tho de Villanoua ferm. 1. in die Natal. Dom.

Aaron verò suam nihili ducens salutem, in cælitùs immissos flammarum nimbos igneque exundantia vbique volumina impauidus ingreditur, & suarum precum ardore flamarum æstus obruens, diuinum furorem extinxit, eosque seruauit incolumes, quorum prius audaciâ, & proteruiâ fuerat imperitus. Tàm clarum & illustre gestum hoc fuit, vt ipsemet Diuinus Spiritus ad illud commendandum, & posteris relinquendum hæc scribenda suggesserit: *Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum, orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus*. Quàm egregiè hic Aaron sui muneris vices explens Episcopos omnes instruxit, vt ad Vercellensem Præsulem scribens ait Diuus Ambrosius. *Verè vir mentis animique sacerdotalis, quasi Pastor bonus se pio obiecit* C *affectu*. Num. 16. 47. Sap. 18. 21. D Ambr l. 10. ep. 3.

Clarissimo huic Præcessori suo proximus Samuel adhæsit; nec enim tantùm cum populo Hebræo præesset, pro eius incolumitate Diuinam iracundiam frequenter extinxit; sed cùm pariter eius regimen fastidientes, se Regis imperio subiecerunt; cùm animaduerteret eâ de causâ iratum in populum Deum supplicia ingentia illaturum, ad populi preces ab eo petentis, *Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur &c.* alacer diuinis aris aduolutus eorum vota expleuit. *Absit autem à me hoc peccatum in Dominum, vt cessem orare pro vobis*; an non meritò admirabilem virum Diuus eum Antiochus vocet, & eximijs cum præconijs illustrent clarissimi Oratores Diuus Chrysostomus & Gregorius? 1. Reg. 12. 19. B. Antioch hom. 72. D. Chrisost. homil. 1. de Cruce & latro.

O sanè amantissimi & absoluti Pastoris exemplar! O Christianorum Præsulum magistrum egregium! quàm profectò erubescendum nobis esset, si post Euangelicam euulgatam legem ab eius vestigijs absecederemus! sed accipe Gregorium. D *Vir sanctus ad sanctitatis verticem sublimatus non solùm diligebat amicos, sed ipsos etiam amplectebatur inimicos: legis quidem veteris, mandato instructus, sed nouæ gratiæ fulgoribus illustratus, licentiam vetustatis, euangelicâ perfectione reprehendit*. D Greg in 1 Reg 12. 22. 8. D Greg lo. cit.

Piissimus quidem & omni virtutum genere excellentissimus Samuel fuit, eius ramen potissimum sanctitas excellere in eo mihi videtur, quòd cùm Hebræi populi regimen abdicans, & ad reddendam rationem omnes aduocans, *loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius*, eorum proteruiam & iracundiam patereiur, adhuc ramen pro eius salute preces ardentissimas Deo irato præstaret. 1 Reg. 12. 3

Si quis admiratione captus, quòd immissæ pestis violentiam tàm celeri lege Deus refrænasset, Vrbique Hierosolymitanæ illachrymanti solatium salutis præstitisset rationem à me sciscitaretur, vt cuius emollitus Deus Vrbi pepercerit. *Vidit Dominus, & misertus est super magnitudine mali, & imperauit Angelo qui percutiebat, sufficit &c.* In promptu ea mihi esset, qua vel Dauid, vel vt fidem Diuus Paralip. 21 15.

D.Hieron. ibi. Hieronymus facit, Sadoch supremus Pontifex sacris vestibus insignitus veniam irarum cælestium, finemque pesti proposuit. *Aiunt Sadoch sacerdotem, imitatum Aaron, & illius preces, & deuotionem Dominum vidisse, & misertum fuisse.* A

Si ergò Pontificio vt satis muneri facerent synagogæ Sacerdotes tam feruidè fundendis Deo precibus studebant, quantò validiùs pro ijs præstandum idem ab Episcopo erit, quorum vt bono Christus prospiceret, suum ipsum pretiosissimum sanguinem è venis eriuare non dubitauit?

Conc. Tri sess. 23. c. 1. de reform. Diuina extinguere fulmina, Deique vltricem manum ab immittendis in subditos nobis populos supplicijs auertere nostrum est. Fidem his faciat sacrosancta Synodus Tridentina. *Cum præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique Dei prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere &c.* Hoc certè nobis Deus ipse præcepit, cùm Ioelis ore nobis illud in singulos annos enunciat. *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent, parce Domine, parce populo tuo, &c.* B

Ioel. 2. 17.

Rom. 1. 9. Ephes. 1. 16. Philip. 1. 4. 1. Thess. 1. 2. 2. Tim. 1. 3. Philem. 4. Tam absolutè præceptum hoc Apostolus expleuit, vt eius Epistolas euoluenti cor ferè colliquescat: siue enim ad Romanos, vel ad Philippenses, vel ad Thessalonicenses, vel ad Titum, ad Philemonem scribat, fidem omnibus facit, se suis in precibus Deo eos commendatos habere; pressere Pauli vestigia quàmplures viri sanctissimi, quorum series recensenda mihi facilè hic esset, ni alió auocaret: vnus præ omnibus sit Diuus Carolus Borromeus; ferociente per Mediolanensem Vrbem sæuissimâ lue, nudis hic pedibus & fune ad collum præcinctus suspirijs æstuans, lachrymis affluens se pro populi salute litauit hostiam Deo, cuius furorem sanctâ quâdam violentiâ fœliciter exarmauit, Diuum Gregorium imitatus, qui pari lachrymarum precumque conatu grassantis pestilentiæ morbo Romanam Vrbem vindicauit.

§ II. C

EO tamen validiùs & calidius pro peccati lue profligandâ nobis orandum est, quò corpore pretiosior & nobilior anima est. Porrò quis vnquam itá segnis Antistes erit, vt vitij Tyrannide subactum populum suum agnoscens, & in quæcumque scelera effrænem nostræ fidei nomen & candorem impurare, non ingemiscat, & enixas ad Deum preces effundens, Dei amorem ei non impetret, quo excitatus ad meliora consilia capessenda consurgat. *Vt miserante Deo ad pristinam erigantur sospitatem, qui in opprobrio Religionis, triumphante inimico, iacebant diuturnâ vitiorum sorde squallentes.*

D Greg. 34. moral. c. 7.

Iniuriosa nimis nostra hæc desidia esset, validissimo enim subsidio populos nostros fraudaremus, & Eliam imitati cælum ipsum nos obstrueremus, ne in eos diuinæ beneficentiæ salutaria dona deplueret; vt enim sapientissimè Diuus Nazianzenus docuit, Episcopus est *Medius inter Deum & homines constitutus, pro his videlicet dimicans, illis autem peculiarem populum concilians.* D

D Gregor. Naz. or. 1.

Hinc meritissimè de nonnullis Episcopis Deus conqueritur, eosque de omisso precum auxilio populis perutili obiurgans in eosdem peracerbus irascitur, *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in Die Domini.*

Ezech. 13. 5

Quid nam socordiâ & ignauiâ vestrâ perniciosius? cùm enim vobis fas esset diuinam iracundiam extinguere, & adamantini clypei instar vestras preces fulminibus meis objicere ad ea retundenda & á gentium excidio auertenda, tantum bonum vos neglexistis, vobisque tantùm vestræque quieti vacantes, nullum specimen amoris vestri præstitistis: sed audiamus Diuum Bernardum, nos de hac re arguentem. *Væ tibi Episcope, qui peccata populi comedis, ac si propria tibi minus sufficere viderentur: dic mihi, quantùm desudas, vt gemitibus, orationibus, pænitentia, & prædicatione diluas peccata illorum, quorum bona comedis? Veniet, miser, ante*

D.Ber. ep.

A *ante tribunal Christi, & audietur grauis querela populorum; accusatio dura eorum, quorum vixere stipendiis, nec diluere peccata.*

De pudicitia & honestate, quâ sacri Præsules lucere debent, ratione quadam vtitur, quâ clarius id quod agimus elucescit. Si Apostolus sæculares viros monet, vt ad sacrarum precum studium excitandum vel excolendum à connubij voluptate animum auertant, qui facilè ex illa quamuis licitâ contepescit & eneruatur, *Quid de Episcopo sentiendum est; qui quotidie pro suis, populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas?* D.Hier. in T.c. n / 1.Cor. 17.

Sacrosanctam hostiam quotidie Deo Maximo litare, licet Episcopis præcipere nullus possit, res tamen adeò grauis & efficax videtur, vt nullâ aliâ viâ facilius diuina munera valeat impetrare, cùm dilectissimus Filius Patri amantissimo victimæ incruentæ loco offeratur. Quin commendandum satis esset, quòd saltem quotiescumque solemnioribus diebus Pontificiam maiestatem præferens rem diuinam peragit, maximam sacrificij vim in sui gregis spiritale bonum adscribat. Mamiensem Antistitem Diuum Cassium hac in re imitemur, qui moribus integerrimis & pijssimis præstans, tanto se dignum munere effingebat. Ineius vit.

B

Ingeniosissima ea est nostri nominis Ethimologia, quam Diuus Bernardus ad nostræ dignitatis explicandam excellentiam affert, ait enim quod *Pontifex idem sonat ac Pontem vtique se ipsum faciens inter Deum & proximum; offert Deo bonus mediator preces, & vota populorum, reportans illis à Deo benedictionem, & gratiam: supplicat maiestati pro excessibus delinquentium; vindicat in peccantes iniuriam Dei.* D.Bern. ep. 42.

Tam studiosè pio huic operi Diuus Anno Coloniensis Episcopus vacauit, vt ad extremum vitæ perductus inter ipsa mortis certamina, Deo, Deiparæ Apostolorum Principi, alijsque Cælitibus populum suum commendauerit. Sur. in vita Annon s l 3. cap. 13. 4. Sept.

Illud hic ego nusquam omiserim nobis serio expendendum, quòd scilicet, cùm populorum oratores & interpretes apud Deum nos appellemur & simus, impensè studendum nobis est, vt conscientiæ candore, morumque integritate simus Deo pergrati & facilius à Deo ea impetremus, quæ benefica populis & salutaria censemus; nec enim perrarò accidit vt, eò quòd Principi, apud quem moratur, ingratus orator sit, perniciosus publicis rebus amoueatur, eaque non obtineat facilè alteri obtinenda. Vt igitur Deo grati videamur, quo morum candore, quanam virtutum excellentiâ instituenda nobis vita est? quis nostrum infimum eius sanctitatis gradum premit, ad cuius culmen Magnus Gregorius tantâ virium contentione peruenit? adhuc tamen ille, cùm oraturus pro populo esset, inusitato quodam horrore perculsus toto corpore intremiscebat; Gregorio ipsi sic testanti fidem habeas, sic ad quatuor Christiani orbis Patriarchas, cum primò Vaticanæ Sedi daretur scribenti. *Nam quid Antistes ad Dominum, nisi pro delictis populi intercessor eligitur? quâ igitur fiducia ad Deum pro peccatis alienis intercessor venio, apud quem de proprijs securus non sum, &c. Imò formido illud, quia eum is, qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur, & valdè pertimesco, ne commissa mihi plebs fidelium, reatus mei additamento depereat, cuius nunc vtique delicta Dominus æquanimiter tolerabat.* O sanctitate æquè ac humilitate præstantissimum Pontificem! Quæ de se ipso tanto humilitatis ardore scribit, mihi sanè tribuenda esse quis nesciat? ipse, ipse sum, qui rot reatibus grauis populo meo vtilis esse non valeo, Diuinæque vltionis flammas potius excito quàm extinguam? Quamuis autem sacris ego prouentibus non abundem & prauo pensionum onere fatiger, adhuc tamen maximè vereor, ne ego illis vapulem, quibus olim sancto quodam ardore Diuus Bernardus Episcoporum animos & aures flagellauit. *Statuit vos populos mediatores inter se & Deum, vt vobis loquatur Deus, & vos ad illum: ideò dant vobis eleemosynas, & primitias suas, vt vestris precibus, & meritis propitietur eis Deus, & introducantur ad illum: sed eum, quem vobis redditis offensum, qualiter alys reddetis placatum? non est munda coram Deo oratio vestra.* D.Gre l 12 ep 24. / D.Ber. ser. 2. ad Patr. / D Aug ser. 39. in nouis.

C

D

Ad hanc rem Diuus Augustinus & Diuus Gregorius ad Mauritium Patritium scribens validè obtestantur, quòd sicuti populum sibi commissum precibus habitis commendare tenentur, sic etiam mutuo auxilio commendare eos & ipse velit, D Greg l. 6 ep. 7.

velit, vt suo satis muneri facientes sibi pariter, & populis sint salutares. Hoc A
etiam stylo meum populum, & ipse alloquor, humiliterque eos etiam deprecor,
qui hæc à me scripta fortè versauerint.

Desidem, & ignauum Antistitem verum non esse. Cap. LXVII.

ADMIRANDA ea omnibus sunt, quibus Diuinarum rerum scriptor suis paginas exarauit. Non raro ea ipse iucundissimè contemplabar, quæ Paradisi amœnissimam sedem eleganti scriptione colorans habet; delicias ibi affluenter exuberantes enumerat, voluptatem ibi immorantem, & ipsius cæli B
quandam imaginem præferentem: quid tamen? in tam varia ingentique rerum molitione non Architectum Deum repræsentat; sed potius vt olitorem, & viri-
Gen. 2. 8. darium flores, & arbores excolentem. *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio*: eas exinde Adæ committit, vt seduló in illis custodi-
d. c. 2. 15. endis suum opus, suasque vires exerceat. *Tulit ergò Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum*. Quià tamen hoc plantandi opus alienum satis à Deo est, illud hic ego contemplor, Christianæ scilicet Religionis florentissimum Paradisum hoc stylo describi, quem suâ olim voluntate conditum, suoque posteà sanguine irrigatum vnicuique Episcopo commisit Deus, *vt operaretur, & custodiret illum*. Quid porrò hoc opere illustrius, hoc labore speciosius tribui nobis à Deo poterat? illæ namque arbores excolendæ, & custodiendæ nobis sunt, quæ posteà in Cælum transferendæ, Dei gloriam amplificabunt, Deoque ipsi æternâ societate adhærebunt. Quàm C
immanis igitur reatus esset, & quanto nos flagitio implicaremus, si desides, & ignaui ab earum cultu absc̄ederemus, nostroque otio vacantes tàm Deo carum pretiosumque negotium omitteremus! quòd si quiescente Adamo, serpens in viridarium irrepsit, fœminamque sermone fraudolento decepit, quàm perniciosa etiam esset Episcoporum quies, quàm improba, & venenata eorum desidia!

Ad Dracontium Episcopum vir semper admirandus Athanasius scribens, ei significauit, quòd ex Episcopatus ministerio non sibi tantùm quietè, sed alijs
D. Ath. ep. ad Dracõt. etiam laboriosè viuere teneretur: *Id scire oportet, & nequaquam ambigere te priusquam ordinabaris tibi vixisse, ordinatum autem illis viuere quibus ordinatus es.* Quietem exuerunt Antistites, otiari non debent, in Christi viridario excolendo, in componendâ sepe, in noxijs bellius enecandis, in prauis germinibus eradicandis, vires impendere, absumere vigilias debent.

Hinc Diuus Paulus non olitorem tantùm, & Viridarij Præfectum dixit Epis- D
copum, sed vt militem & ductorem eum obarmauit. Agnosce hæc in ijs quæ ad Ephesinum Hierarcham Timotheum scribens ait. *Hoc præceptum commendo*
1. Tim. 1. 18 *tibi Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam*. Expendit hæc Estius aptissimâ hic militari metaphorâ Apostolum vti, quippè qui militia quædam assidua sit humana vita, *Verùm etiam ad commostrandum quale sit opus Episcopale: nam sicut in militiâ, sic & in Episcopatu perpetua est*
Estius in d. loc. *aduersus hostes pugna, vigiliæ, labores, pericula &c,*

Mulierculæ mens fuit tàm excelsam dignitatem attingere, vt quiescas, vt sedeas: *Dic vt sedeant hi duo filij mei*; non ad otium vocatur Episcopus, sed ad la-
Matth. 20. 21. borem; habet in quo desudet Antistes, non in quo ferietur: audi Apostoli sen-
1. Tim. 3. 1. tentiam cælitùs elapsam, *si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; non igitur ad delicias, non ad quietem, ad laborem, ad opus vocamur.

Hinc facilè habetur, alienam adeò ab hoc ministerio socordiam, & ignauiam esse, vt planè Episcopi nomen non mereatur, nec munus exerceat, qui hoc in opere

opere torpescat, & dormitet: non mihi hoc tribuas velim, sed Diuo Damiano
A hæc pronuncianti. *Qui ad Episcopatum anhelat sine bono opere, inane vult nomen induere sine rei ipsius veritate.* DPet. Da. l. 2 ep. 2.

Mirandum in modum hæc veritas elucet ex his, quæ in Sacro Iudicum Codice continentur; audi. *In diebus illis non erat Rex in Israel: sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Iud. 21. 24. Nullus ità rudis, & Sacrarum litterarum imperitus est, qui nesciat, tunc temporis Hebræi populi habenas à supremo Sacerdote Heli Sansonis successore temperatas. Quorsum ergò sacra affirmat Historia, nullum eo tempore Hebræo populo præfuisse, sibique singulos pro suo arbitrio paruisse; negligentia hic, & socordia Heli damnatur, quâ iam ignauè, tam lentè, tam eneruiter imperabat vt planè nullus imperare videretur, Principis tantùm nomen vsurpans Princeps re verâ non erat, sed Principis simulachrum, & depicta quædam imperantis imago.

Rex meritò non adfuisse scribitur, ait Rupertus. *Idem namque est, ac si dicat, qui in diebus illis iudicabat Israel; & si secundùm nomen, personamque aliquis erat; secundum rem, meritumque nullus erat.* Ruper. l. 4. de victor. verbi c. 10.
B Hic illud animo occurrit, quod Isaiæ ore Sobnæ supremo tunc, si fides danda Rabbinis fuerit, Pontifici Deus indicauit. *Vade ad Sobnam præpositum Templi, & dices ad eum. Quid tu hic? aut quasi quis hic:* Isa. 22. 22. vt enim ibi Lyranus expendit, tanta eius erat in suo munere exercendo desidia, tantaque socordia, vt non verus Præsul, sed quædam Præsulis larua, & vmbratilis species videretur, hinc ea, quæ consequuntur, *quia excidisti tibi hic sepulchrum,* quæ verba Diuus Hieronymus de Pontificis illius domo explicat, quæ ideò sepulchrum vocatur, quià non viuens Præsul sed cadauer ad alienam curam ineptum videretur. Ex his porrò erat Sardiensis Antistes, cuius mores cùm longè à muneris sanctitate distarent, ea Ioannis ab ore, Deo iubente, audiuit. *Hæc dicit qui habet Septem Spiritus Dei, & septem stellas. Scio opera tua, quia nomen habes, quod viuas, & mortuus es.* Apoc. 3. 1. Viden quàm à Dei cogitationibus hominum cogitationes abscedant, & quàm facilè laudatorem Deum sortiantur,
C quæ suffragio humano damnantur! maximo omnibus ille pretio habebatur Antistes, nomenque ipsius summis laudibus elatum per omnium ora peruolabat; eius ignauia prudentiæ vertebatur, populique amorem ipsi conciliabat; hic enim veritati cæcutiens commentitijs tantùm adhæret, vitiaque virtutes vocans, ea probat quæ reprobanda essent, & reprobat quæ amplectenda. Ad Dei tamen aspectum veritatis pondere cuncta metientis eius ignauiæ titulo reus maximi criminis statuebatur, & ad Episcopalis ministerij dignitatem prorsus ineptus. Sanè si sopor mortis germanus est, an non mortuus dicendus esset, qui in sua prouincia exercenda tam ingenti sopore correptus, nec sibi, nec alijs viuere videbatur, quòd si Plinius ait, *vita mortalium vigilia,* quis neget, vt asseramus quòd *vita Pastorum, vita Episcoporum vigilia.* Plato l. 7. de legib. Quò magis igitur mortalium oculis Sardiensis ille Præsul viuebat, eò cadaueris instar Cœlo erat: de eo certè illud rectè Plin. ad Vesp. pronunciasses, quod olim Sophocles de quodam helluone, *non arbitror hunc* Sophocles.
D *viuere, sed cadauer iudico.*

Orbis vniuersi moli fulciendæ impar omninò erat Claudius Cæsar, iisque virtutibus destitutus, quibus tanta dignitas erat exornanda: in orbis regimine temperando cadaueris loco erat inani onere soliùm implentis. Hinc Seneca, eò moriente ait: *Desijt videri viuere:* ni Sardiensis Antistes veternum excussisset, hoc ipsum Sen. in ludo Claudij. à Senecâ audisset.

Vt ergò ad meliorem vitam resipisceret, laboremque illum indueret, quem tanta dignitas exigebat, eum è somno excitans ait: *Esto vigilans, & confirma:* Sydus es Asiæ, ergo ad alienam quietem euigiles; dormitent, altoque sopore stertant alij, vigilandum tibi est, & aperto semper lumine sunt sibi populi custodiendi: viden quàm inconniuenti semper oculo sydera euigilent; *Concentum Cœli quis dormire faciet?* Iob. 38. 37. nec euigilant tantùm, sed res omnes seruant fouent implent confirmant. Si igitur vel sopore correptus ignauiæ non euigiles, nec alios præ animi imbecillitate confirmes, Episcopi nomen exue; nec enim Episcopus es, sed Episcopi tantùm personam induisti.

§. I.

§. I. A

QVi sanè viuus ille dicendus, qui vitam non præfert in operè? qui Pastor vocandus, quem mores à grege non secernunt, qui dum arcendi lupi sunt, tibiam mollis pulsat, & fistulis ludit; cum præcipites oues vel vorantur à flumine, vel montium præruptis obruuntur? An ille Pastor appellandus, qui vni sibi intentus rebusque suis omnes ingenij vires impendens, gregis custodiam iniuriosus omittit, & præsentibus adhærescens, futuræ fęlicitatis immemor, nec sibi, nec alijs eius possessionem obiectat? Quàm meritò huiusmodi viros Diuus Hieronymus sui sermonis asperitate flagellat. *Omnes sumus in minimis cauti, in maximis negligentes: hoc ità fit, quia vbi vera vita sit ignoramus.*

D. Hier. de ho. perfect.

Ipsi met Democrito tot tenebris inuoluto hoc ipsum innotuit; si quidem illud esse discrimen ait, Maximo Tyrio narrante, inter diligentes viros & desides, B quod inter probos& improbos intercedit: vni cælo probi adhærent, vnum improbi Cælum despicantur. *Laboribus quippè incumbentis sua industria sperat prēmium amplissimum; ignauus autem desperans, nullam habet bonorum futurorum spem, qua fulciatur.*

Maxim. Tir ser. 31.

Mortuam eam viduam sapientissimè pronunciauit Apostolus, quæ viduo quidem amictu obuelata amatorijs illecebris studens, dum vultum cælat, aliorum oculis auidius affectat inspectari, *Vidua, quæ in delicijs est, mortua est*; quid de Episcopo illo dixeris, qui sacerdotij sui excellentiam oblitus, vitam quidem hominis degit, non Episcopi.

1. Tim. 5. 6.

Mortuis etiam eos Romanus Orator adscripsit, qui desidem, & planè otiosam vitam traducunt: *Mihi quidem illi esse non videntur, qui nihil agunt.* Hac eadem in sententia de ijs Seneca fuit, qui suæ quietis studiosi, suâ in domo tanquam in sepulchro mortui latitant, nullo se commendabili opere exercentes. *Qui latitant & torpent, sic in domo sunt sua, quasi in conditorio, horum licet in lumine nomen marmori inscribas, mortem suam anteuerterunt*: an non ex mortuis enumerandi erunt ij Præsules, qui otij amore irretiti perniciosissimi populis sunt. C

Cic. l. 2. de nat. Deorū.

Sen. ep 60.

Quin Tiatyræ (Mysiæ Vrbs, & Macedonum Colonia), Antistes, licet quamplurium virtutum splendore conspicuus omnibus esset, quia tamen in quadam Nicolaitarum Secta prænobili fœmina tolerandâ dormitabat, ipsamet Diuini Spiritus voce insigniter vapulauit. *Sed habeo aduersus te pauca, quia permittis mulierem Iezabel &c.*

Apoc. 2. 20.

Taurinensem Antistitem Cunibertum verbis hisce coarguit Diuus Petrus Damianus; quamuis enim prælibatâ morum castimoniâ efflorescere, in Cleri tamen resicœnanda licentia dormitans è tanti doctoris ore hæc audijt. *Quid est Pater, quòd tibi soli vigilas, & his, pro quibus priorem exigendus esse rationem, tàm inerti securitate dormitas? Quamuis temet ipsum præbeas vernantis pudicitiæ candore conspicuum, permittis tamen, vt in Clero tuo tanquam cruenta illa Iezabel obtineat luxuria principatum; de qua nimirum Angelo Tyatiræ Ecclesiæ dicitur, habeo aduersum te, quòd permittis mulierem Iezabel &c.* D

D. Pet. Da. l. 4. ep. 3.

Qui ergò se populorum Principis inani nomenclaturâ venditet, qui eorum commodo non euigilat? Scœnici potius Episcopi instar nomen tantùm & vestes Episcopi repræsentat. Quam ad rem, quæ Regi Achab Elias respondit accommodatissima mihi videntur. *Non turbaui Israel, sed tu, & domus patris tui*: ita neRegię maiestatis Diuinam maiestatem repræsentantis negligens & contemptor Elias, vt populos in Regem suomet exemplo vitiare videatur? non sic arguendus Elias, ait Diuus Chrysostomus. *Etenim tanquam in scęna & non in veritate sibi Regem cernere videbatur.* Rex quidem Achab non erat, sed regiam dignitatem comico socco, vel potius tragico cothurno in Regiæ tabulato præferebat. Nil Regis, nil habet Episcopi qui subditorum vtilitati non desudat.

Reg. 18.

D Chrisost. hom. 3. ad pop. Antio.

Quàm bellè appositèque Philosopho illi respondit Herodes, quæ, ac si vestis & bar-

& barba satis eum indicarent, iratus in Herodem fuerat de suo nomine & disci-
A plina eum percontantem. *Video barbam, video etiam pallium philosophicum, Philosophum autem omninò non video; pallium enim, & barba sublonga philosophum non efficiunt; sed vita & mores.* Thiara, pallium, infulæ, lituus Episcopum quidem ostendunt, non faciunt. Vrbes & pagos Christus Dominus inuisens ad populos instruendos; *Misertus est eis; quia erant vexati, & iacentes sicut oues non habentes pastorem.* Mtth. 9. 36 Quàm plurimi quidem sacerdotes, & diuinæ legis administri ad eos informandos aptissimi aderant, nullus tamen dicitur adfuisse. *Quia doctores eorum non fungebantur pastoris officio, ouium curâ neglectâ.* Sic Caietanus. Caiet. in d. locum.

Episcopi nomen iam satis hoc ni fallor opere docuimus è Græco idiomate idem sonare ac *superintendens, & speculator*: quale ergo consortium inire simul possunt somnus, & vigilia otium, & labor, Episcopus, & non Episcopus? accommodatè Bernardus. *Enim prospectus iste procinctum paris, non otium, nec locus est otio, vbi sedula viget sollicitudo omnium Ecclesiarum.* D. Aug. l. 19 de ciuit. 19. D. Ber. l. 1. de consid. c. 6.

B Hinc Arsacium magni Chrysostomi in Constantinopolitanâ Sede successorem non Episcopum, sed inutilem stipitem præsua ignauia Nicephorus appellauit, ac si ramus inutilis fuerit, qui Principatum supra cæteras arbores vindicauit; Iud. 9. 14. aptissimè etiam inertem Episcopum Idolum Zaccharias vocauit: *O Pastor, & idolum derelinquens gregem.* Ezech. 14. 9 Similem simulachro illi dixeris, quod Dauidem repræsentans Micol effinxit; non Pastor, sed Pastoris Idolum est; atque vtinam in eo, vt in Idolis non lateat Dæmon ad populos decipiendos. 1. Reg. 19. 13. Sapienter Augustinus. *Quidam Patrum eleganter expressit dicens, sciat se non esse Episcopum, qui praeesse cupit, non prodesse.* D. Aug. q. 65. in nu. Sacri huius Principatus in comparandâ subditorum salute in custodiâ gregis habendâ versatur; sibi quisque ea concinat, quæ Cæsar Iustinus in Circo pronunciauit.

Otia sint plebis, nobis vigilantia solers.

Non suam sed alienam sedem occupat deses Antistes, & ferè dixerim illis carpendus videtur, quibus olim de Iuda sermonem habens Diuus Petrus, deque ei
C successore deligendo, mentem suam aperuit: *Ostende quem elegeris ex his duobus vnum accipere locum ministerij huius, & Apostolatus, de quo praeuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum,* Act. 1. 25. ac si non suum inter Apostolos locum ille impleuisset: Caiet ibi. do verba peracuta Caietani: *In locum suum, quia hactenus occupauerat alienum Apostolatus, & ministerij locum.* Quàm longe ab Episcopi nomine, & munere quod gerebat, eius mores, eius opera discedebant! ex huiusmodi socordiâ, & otio quàm facilè olim non pauci Antistites ex Antistitum albo delebantur, non quidem nomine at obsequio, & amore. Electum quis eum Episcopum asserat, quem suamet ignauia reprobabat? sed accipe Origenem eum ne quidem electum affirmantem. *Multi sunt vocati, pauci vero electi; est vocatus pastor, sed non electus qui praeest gregi quidem, & lacte eius vtitur, & lana eius operitur; sed infirmum non requirit, & claudum non colligit;* Orig. 1 cap. Rom. ad hæc verba, si benè librentur, quis non perhorrescat?

D Ingentes nunc temporis referendæ Deo sunt grates à nobis, quòd Deo fauente ijs Episcopis Orthodoxa Religio exornetur, qui suum nomen, & munus abundè implentes, oculatissimi simul, & operosissimi sunt, eaque iam infelicia Bernardi sęcula penitus interierint, quibus Episcopi non tam scænica velut Idola efferebantur, sed quod deterius est, Iudæ imitatores, Angeli ad speciem, ad opus Dęmones videbantur; hinc pijssimus ille Magister Episcopos quàm plures in Synodo coactos alloquens, eaque Christi verba perpendens. *Non ne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus Diabolus est,* Io. 70. D. Ber. ser. ad past. in Synod. 3. ingenuè dicere non dubitauit, *fratres sic facit Iesus hodie, eligit sibi multos Diabolos Episcopos.*

Quàm infœlicem vitam degant negligentes Episcopi. Cap. LXVIII. A

GEMINA quâdam facie inspectandam mihi se dignitas Episcopalis præstat: ex vnâ etenim mirum quantùm venusta & elegans alienos allicit oculos, & intuentium amores accendit. Sacrorum censuum opulentia, populorum obsequium, imperandi facultas, Principum obseruantia, aliaque id genus sexcenta, tot lenocinia videntur, quibus ipsa humanum animum vellicat, & dulci quadam Dei voluptate perfundit; hoc autem potissimum ijs accommodatur, qui eâ tantùm vti volunt ad suam pompam amplificandam, ad suas familiares res augendas, ad molestias euitandas, suæque tantùm quieti, & inertiæ indulgendum. ex aliâ verò parte aspera, tristis, rugosa, squallida Episcopatus facies est, ex innumeris quibus scatet laboribus, & ingentibus, quibus obiectatur periculis: à Diuo Gregorio hæc habes, qui ad Diuum Valerium, quem Episcopum inaugurauerat scribens, hæc affert, nihil esse in hac vitâ, & maximè in hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi officio, si perfunctoriè, & adulatoriè res agatur; sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius: *Nihil esse in hac vitâ, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, & periculosius Episcopi officio: sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet.* B

D. Aug. ep. 148.

Ex his, quæ in superiori capite attulimus, satis, ni fallor, patet, desidem Episcopum à vero Episcopo longe discedere, & è suâ desidiâ quis eum fore miserrimum inficietur? Quacumque aliâ in re, negligentia vitiosa dicenda est, in hoc sacro ministerio sacrilega prorsus est; excusari hæc aliquatenus posset, & stupido potius animi vitio verti, nisi è palmari detrimento, quod ex ea deriuatur in populos, & ex onere, quo spontè se ad eum obstrinxit, plane inexcusabilis foret; eademmet dignitas, quam ad eius excellentiam, & ad eius victorias de stygijs hostibus reportandas Diuina eis beneuolentia impertiuit, in ignominiam, & dedecus monstruosâ conuersione migrabit. Ioannem Episcopum optimè de hoc erudiuit Diuus Gregorius his verbis: *Sacerdotij prærogatiuam, si rectâ consideratione pensemus, sollicitis & benè gerentibus in honorem, negligentibus autem profectò erit in onus: sicut igitur laborantes, & circà animarum salutem sollicitos, hoc nomen ante Deum æternam ducit ad gloriam: ità desides, & torpentes vrget ad pœnam.* C

D. Gre. l. 4. ep. 59.

Ex his in magnos se questus effudit Hieremyas, eorum infœlicitatem illachrymatus, qui à Deo designati, vt peramœnum Ecclesiæ campum laboribus suis excolerent, & ad cælestia implenda horrea fœcundarent, otio inertissimo emolliti, è spinis, & vepribus, quibus in suæ negligentiæ pœnam egerminantibus erat vndique occupandus, miserrimè erant cruciandi, & immortali cum dedecore obruendi; apostrophen igitur perelegantem instituens, Christum è D. Hieronymi sententiâ alloquens ait: *Seminastis triticum, & spinas messuerunt: hæreditatem acceperunt, & non eis proderit.* Audi iam Hieronymum ipsum. *Quid autem eis proderit Episcopi, vel Presbyteri nomen, cum magis grauentur dignitatibus suis, & potentes potenter tormenta patientur?* Quæ autem calamitas maior dari queat eâ, quæ honores in ignominiam vertit, coronas in compedes, infulas in catenas? meritò igitur huiusmodi Præsules à D. Nazianzeno vocantur: *Pietate miseri, dignitatis splendore infœlices.* D

Hyere. 12. 13. & ibi D. Hieron.

D. Gregor. Naz. apol. 1.

Eò tamen maior calamitas hæc est, quò calamitosissimi illa fiunt ij populi, quibus ad æternam eis donandam fœlicitatem præficiuntur, ex eius etenim negligentiâ, maiori se licentiâ explicant vitia, ex eius silentio loquacissimâ impudentiâ Dæmon personat, ex eius somno ad scelera omnia expergefactæ gentes assurgunt. Vix dormit Noe, vt statim Cham filius scelestus euadat: vix edormit, quæ Isboseth custodiebat, vt illicò sicarijs irrumpentibus cruentâ morte

Gen. 9. 22.

2. Reg. 45.

morte conficiatur; vix Saulis excubiæ dormiunt, vt Dauidi locus detur eum, si 1 Reg. 45.
A voluerit, occidendi; vix in nauicula dormit Iesus, vt fluctuans protinus mare 1. Reg. 26.
naufragium Apostolis minitetur; dormientibus demum agricolis. *Inimicus homo superseminauit zizania in medio tritici*; Viden, quàm perniciosus in cunctis somnus sit? Quandò, Noè instar, dormiens deridetur Antistes, quàm facilè exterorum potentia inuaditur, & vitiorum tempestate quatitur nauis, quam per tranquilla pietatis ad æternitatis portum adducendam assumpsit! accommodatissime de eo dixeris velim, quod Seruatori Apostoli dixerunt, interprete Diuo Basilio Seleuciensi. *Ostende te vigilantem, & pelagus, te reuerebitur*: Hinc sapienter Clemens Alexandrinus ait, perquam optimè fieri, si Principes, & Præsules, *de somni gymnasio erudirentur*. Præsule dormiente, opportunum tempus Dœmon agnoscit, quo Apostolicæ fidei effusum semen pernicioso lolio obruat, & virtutum segete eradicatà, corruptelas omnes, omnesque errores adducat. Nos sanè infęlices, quorum socordià fit, vt triumphum de nobis agat Dœmon
B qui è victorijs à nobis relatis inimicus homo illustri cognomento appellatur? *Inimicus homo hoc fecit, idest Diabolus, qui dicitur homo ab homine deuicto sicut Scipiò Africanus ab Africa deuictà*, sic Hugo Cardinalis. Quàm meritò igitur D. Chrysostomus conqueritur, plurimos ætate suà viros infulatos fuisse, qui turpi hac desidiæ, ignauiæque notà nigrescerent: *Quà ex re tanta facultas Diabolo data est, vt iam illis in medio prolatis, multò minus laboret*.

Matth. 8. Matth. 13. 25. D Basil. Seleuc. or 21. Clem. Alex. l. Pedag. Hug Card in M tt. 13. 25. D. Chrisost. hom. 43. in Matth.

Da mihi Præsulem suo operi, suoque Sacerdotio vigilantem! quantis ille præconijs vndique eumulatur, quo obsequio populorum redimitur! vt verò se ignauiæ dederit otioque torpuerit, abiectus illicò omnibus vilescit, suumque nomen obscurat. Do Beati Iustiniani verba. *Hinc efficiuntur contemptibiles, & ingloryj, qui summà veneratione debuerant à plebe honorari tanquam Discipuli Christi, Duces populi, mundi intercessores, præcones veritatis*.

B. Laur. Iustin. de Regim Præl. c. 13.

C

§. I.

Hinc autem fit, vt huiusmodi Præsulum ignauiam tantoperè auersetur Deus, vt non tantùm, Diuo Mattheo testante, suam ab illis beneuolentiam auertat, sed cuilibet alteri è populo eos posthabeat; è Diuo Gregorio hoc habes: hic enim supplicium illud expendens, quo Heli supremus Pontifex mulctandus à Deo erat in suæ desidiæ pœnam, quà suorum filiorum licentiam dissimulabat, ait, Samueli fuisse hoc à Deo patefactum, & cuicumque potius alteri patefaciendum, quàm ipsi Heli ex ingenti odio, quo eius negligentiam prosequebatur. *Deus, & discipulo, & Prophetæ alteri, & cunctis penitus eius clades reuelare, & loqui, quàm illi maluit: adeò illum auersabatur, atque oderat*.

Matth. 25. 28. 1 Reg. 3 20 D Chrisost. l. 3. aduers. vitup. vit. monast.

Dum igitur, vt tranquillè suam vitam degant, suoque otio vacent inertes Antistites, ea omittunt, quæ ad populi sibi subiecti vtilitatem referuntur, eiusque
D salutem sibi à Deo commendatam suæ quieti postponunt, molestias illas quas euitant, magis offendunt, Deique amorem à se auertentes, minas illas expetiuntur, quibus Sobnam socordem, & ignauum Præsulem, eiusque ignauiæ imitatores Deus ipse percussit. *Corona coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terràm latam, & spatiosam: ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus Domini tui*.

Isai. 22. 18.

Quàm profectò hoc ipsum expertus est Ricchardus Cantuariensis Antistes, & Diui Thomæ successor: cùm enim de suà inregimine administrando socordià Petrus Blessensis eum validissima epistola, & Cardinalis etiam Legatus Albertus reprehendisset, ad meliorem frugem non resipiscens, octo dierumį interuallo inopinato interitu eas Dei minas ipse probauit, quibus eius vitiatos mores prius reprobauerat.

Pet Blessen. ep. 5. Baro. ann. 1184. to. 12

In vrbibus alijs iniquos tantùm, & scelestos viros mulctari Xenophon asserit, cùm apud Lacedemones è Licurgi legibus negligentes ipsos, & desides vsitatum esset non leui pœnà animaduertere: sinamque illi priuatis viris iniuriosi

Xenof de Rep. & II. Laced.

sunt, totam isti Rempublicam perturbant. Hoc autem ex Episcopi socordiâ etiuari quis non videat? si namque ipse dormitauerit, quàm longè plura portenta monstraque ex eius somno enascentur, quàm olim ex Ixionis cum nube connubio effluxisse fabulæ commentantur: si namque eo cuncta ordine disposuit Deus, vt iuxtà Salomonis dicendi formam, *Cælum sursum*, *terra deorsum*: è Præsulis negligentia pulcherrimus hic ordo commiscetur, vitium virtuti præponitur, scelera insolescunt, pietas obsolescit, & cunctis in transuersum actis in Babylonis monstra Hierosolymæ decor abscedit. *Negligentia Prælatorum totam deordinationem, & confusionem induxit, quòd in eis est terra sursum, & cælum deorsum; pedes super caput: facies retro, & interiora extrà effusa sunt: Deus ibi conculcatur, & terra deificatur: Diabolus honorificè recipitur, Deus verò contumeliosè repellitur &c.* A

D. Bern. in expos. reg. S. Bened. p. 3. c. 7.

Reuelat. S. Brigit. l. 3. c. 4.

Quàpropter Diuæ Brigittæ Virgo Deipara patefecit, quòd cum eâdem simul die obierint, negligens Antistes eiusque Canonicus, qui non semel eius negligentiam castigauerat, ad diuinum Tribunal, vtroque addicto, diuini Iudicis sententiâ præceptum fuit, vt non Thiara, sed fece caput Episcopi redimeretur; non chirothecis sacris, sed pice manus illinirentur, non sandalijs, at sordido luto tegerentur pedes, & carbasinæ Præsularis loco meretricio panno indutus omnium probris exceptus, & Dæmonum famulatu stipatus, in stigiam præceps abyssum detruderetur: è contrà verò pius ille Canonicus auream, quæ ibi pro Episcopo assurgebat, sedem, Dei imperio occupauit. Quàm benè his ea confirmantur, quibus Philadelphiæ Antistitem Ioannes exterruit. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Diuinæ namque sapientiæ mos est, alium ei subrogare, qui suarum mole culparum designatâ indignum corona se præstet; sic Iudæ locum Diuus Matthias impleuit, iuxtà Diui Matthæi verba, *Et Episcopatum eius accipiat alter.* Illius coronam, qui cruciantem glaciem perferre nolens quadraginta socios eodem gelu cruciatos dereliquit, carceris custos acquisiuit. Sapritio Antiocheno Presbytero Nicephorus, Sauli Dauid, Tertulliano Cyprianus, Origeni Cyrillus, Ruffino Hieronymus, Pelagio Augustinus subrogatus fuit. Sic Diuo Francisco vehementer ingemiscenti de quorundam fratrum à religiosa vita defectione Christus Seruator spopondit. Ego illis cadentibus alios erigam, atque substituam: ac si vnus ad vomitum redeat: *ego in eius locum alterum excitabo, qui illius coronam accipiat; isque si non dum natus fuerit, efficiam vt nascatur.* B C

Apoc. 3. 11. Ps. 108. 8.

D. Bonau. in vita S. Francisci.

Auentin. l. 3. Theat. hum. vitæ vol. 6. l. 8.

Quin Carolus ipse Magnus vicariam ipse manum hac in re præstitit Deo; cum enim è Pontificiâ facultate ad Episcopales infulas quendam extulisset, qui tantæ dignitatis fulgore corruptus, opiparo familiares suos conuiuio excipiens, postquam se immaniter ingurgitasset, sopori postea se dedit, negligentissimum hinc futurum eum Antistitem auspicatus, Episcopalem ei honorem eripiens, alium eius loco suffecit, qui eius socordiam suâ sollicitudine compensaret.

Ezech. 34. & infra.

D. Hiero. in illum locum.

Illa etiam hic adimplentur, quibus Præsulum torporem Deus ipse Ezechielis ore percussit: *Væ Pastoribus Israel; qui pascebant semetipsos &c. quod infirmum fuit non consolidastis, quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod obiectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia: & dispersæ sunt oues meæ, eò quòd non esset Pastor, & factæ sunt in deuoratione omnium bestiarum agri.* Negligentes hæc Episcopi operantur; accipe iam diuina supplicia: *Et ecce ego super pastores requiram gregem meum, de manu eorum* (vel vt habetur de Chaldæo) *super gubernatores mittam furorem meum, & cessare faciam eos, vt vltrà non pascant gregem, &c.* Quibus verbis non tantùm Synagogæ sacerdotes, sed Ecclesiæ Præsules admoneri Diuus Hieronymus docet; quæ rursus idem Vates alibi referens, ait, æterno quidem interitu viros improbos obruendos: *Sanguinem autem de manu speculatoris requiram.* D

§. II.

A

§. II.

AN non ad Sanctuarij siclum cuncta nostra sunt expendenda opera & nostra ipsa negligentia examinanda? an non socordiæ nostræ vitio tribuetur eorum excidium, quos ab interitus æterni discrimine, nostro labore, custodiâ nostrâ seruandos nobis tradidit Deus? Quod crimen porrò est, non corpora occidere, quod palmare flagitium esset, sed animas ipsas pretioso Christi sanguine redemptas perimere? Heu, inquit Gregorius, *super ea mala, quæ propria habemus, alienas merces addimus, quia tot occidimus, quot ad mortem quotidie tepidi, & tacentes videmus.* Ezech. 33. 6 D. Gregor. hom. 11. in Ezech.

In nos igitur, si torpore isto laborauerimus, ea supplicia deuoluentur, quibus eos inuoluit Hieremyas, qui in Christi mortem conspirarunt: *Duplici contritione contere eos.* Benè est, ait Diuus Iustinianus, tùm proprijs è criminibus, tùm ex Ierem. 17. 18.

B alienis iniuriâ suâ permissis, Præsules damnabuntur, *Duplici contritione atteritur Pastor, duplicisque iudicii efficitur reus; sui videlicet, et ouium perditione:* præsertim earum quæ ex ipsius conuincuntur perijsse incuriâ. D. Lau. Iust. de regim. Prælat. c. 5.

Agminatim populi nostri nos in decretoriâ vniuersi die stipabunt, & in nostram negligentiam vitia sua referentes, nobis ea tribuēt, quibus ipsi se per summam libidinem polluerunt. In nos voces suas ipsi vibrabunt, & tanquam in spiritales Patres ea intorquebunt, quibus corporeos Parentes filij illi damnabunt, qui ex eorum negligentiâ miserrimè vitijs obducti perierunt. *Perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus homicidas.* De Curione quodam hæc Cæsarius significans refert, quod Dæmonum agmine vix extinctus arreptus, & ad inferni barathri fores adductus obuios eos omnes habens, qui eius iniuria perierunt, lanceis & lapidibus vndique confossus, altum inde in puteum eorundem conatu preceps fuit actus. D. Cyrill. Alexan. de lapsi. Pra. florit. l. 1 c. 28. exemp. 7.

Præcessores ipsi nostri nostram ignauiam obiurgabunt, labores, conciones,

C exempla præferentes, quibus ipsi ad virtutum studium, ad Dei gloriam, ad populorum vtilitatem, ad vitiorum fugam, ad Dæmonum victoriam totâ virium contentione laborarunt: ita ne verò? trophæa Milciadis Themistoclem excitabant, & acri quodam stimulo Alexandri animum Achillis opera præpungebant: cum tamen tot illustrissimorum Heroum exempla excutere á nobis torporem non valeant? Hinc illam in nos acuet Iudex æternus sententiam, quà cum olim perculsit, qui nuptiali veste destitutus cum alijs simul assidere conuiuis non dubitauit; qui enim fiat, vt qui Episcopali zelo non efferuet, & debitâ diligentiâ non euigilat, delicijs fruatur æternis, & ad cælestis conuiuij voluptatem prægustandam aduocetur, qui conuiuarum pijssima exempla auersatus, in vitiosâ veste sordescit? audiendum hic Hierosolymitanum Cyrillum exhibeo: *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? quo colore? quo scientia? ignorabas quali amictu ingrediendum esset ad conuiuium? sit ita sanè; sed cum iam intraueras, vidisti splendida discumbentium vestimenta, nonne te oportuit vel ex his, quæ videbas discere?* Matth. 22. 12. D. Cyrill. Hierosol. in Pr. fat. Cath.

D

Sedes Apostolica nos increpabit, eó quòd debitam de nobis opinionem fraudauerimus, tantæque pondus dignitatis nobis commissum vacuum & inane reddiderimus. D. Amb. de sacerd. c. 6.

Diuus nos Ambrosius arguet, eò quòd infatuatum Sal euaserimus, nostræque Religionis lucem denigrauerimus; quàm grauia sunt illa quæ in nos intorquet! Ecce ad quæ mala voluitur deificus ordo: *Ecce ad quæ probra sunt prolapsi Sacerdotes, qui audire meruerunt à iudice mundi, Vos estis sal terræ.* D. Ber. ser. in conuers. S. Pauli.

Ambrosio Diuus Bernardus adhærebit, nosque redarguet tanquam non Dei administros at inimicos, non famulos at proditores; hinc ad Iudicem conuersus inquit, *Misera eorum conuersatio, plebis tuæ miserabilis subuersio est, copiosissimæ siquidem pietatis inueniuntur in suscipienda (imo accipienda magis) animarum curâ; sed hæc apud eos cura minor, & de animarum salute nouissima cogitatio est. At verò Saluatori animarum grauior nulla esse poterat per-secutio.*

Ipse-

Ipsemet licet illachrymandus Origines, nostram ignauiam, quam calamo suo tanto pondere excussit agitauitq; voce etiā castigabit, easque rursus repetet A voces, quibus olim nos desidiæ veterno laborantes, excitare contendit. *Tu qui Ecclesiæ præsides, corporis Christi es oculus; vide ergo, vt omnia circumspicias, omnia circumlustres, etiam ventura prævideas. Pastor es, vides ouiculas Domini, ignaras periculi, ferri ad præcipitia, & per prærupta pendere, nec occurris? non reuocas? non saltem voce cohibes, & correptionis clamore deterres? sic memor es Dominici Sacramenti, vt cum ille derelictis nonaginta nouem in cælestibus, propter vnam ouiculam, quæ errauerat, in terras descenderit, & inuentam vectauerit humeris suis ad Cælum, nos in nullo prorsus in curandis ouiculis magistri pastoris sequamur exemplum.*

Orig. hom. in Iosue.

Quid plura? ipsimet Dœmoni odio & derisioni erimus, eò quod non Christo, cuius sacramento obstringebamur, nostros labores impenderimus, at Diabolo, cuius principatus & populus nostræ instrumento desidiæ maiorem se explicauit in molem: ex ijs hæc confirmantur, quæ Cantipratensis Thomas Cameracensis B Suffraganeus refert Parisijs contigisse anno Christianæ salutis 1248. Cùm plures Episcopos alloqui Presbyter quidam in conuentu deberet, & argumentum, quo concionem agendam statueret, anxiè inquireret, precibus se commendans, Dœmonem spectandum habuit, qui cum sic alloquens ait. Quid est, cur tam anxiè cruciaris de ijs, quibus eoram Episcopis hisce sermo tibi instituendus est? Hoc tantùm illis enuncies velim: *Principes infernalium tenebrarum Principes Ecclesiæ salutant; læti omnes nos gratias eisdem referimus, quia cum ipsis, eorum nobis afferuntur subditi, et per eorum negligentiam ad nos deuoluitur totus pariter ferè mundus.* Hæc inde Dei imperio à se ipsi patefacta pronuncians addidit, quòd vt à se dicendis omnimodam ij Præsules fidem haberent, in vultu notam nigerrimam illi inurebat, quam nullo conatu ante concionem habitam deleuisset, sed facilè post eam lustrali tantùm aquâ aspersa absterfisset. Dicta factis responderunt, maximusque terror, tùm è vultus macula, tùm magis è verbis omnes irrepsit. C

Cantipr. de Apib l. 1. c. 20. exam. 8.

§. III.

IN tot accusatores & hostes quanam nos arte nostram causam tuebimur, nec tantùm nostra, sed aliena quoque flagitia diminuemus? *Penset ergò vnusquisque, qui ad satisfaciendum districto Iudici de sua fortasse anima vix sufficit, quia tempore reddendæ rationis, quot regendis subditis præest, tot, vt ita dicam, animas solus habet: quæ nimirum cogitatio, si assiduè mentem nostram occuparet, omnem superbiæ tumorem sine dubio premeret.* Sic Gregorius: si vix ad nostra crimina excusanda vires sufficiant, quinam fiet, vt aliena etiam asperrimè à nobis exacta deleamus?

D Gre. 24. moral. c 30

Hinc ratio elucet, quâ, vt superius scripsimus, quàm paucissimos ex Episcopis esse Chrysostomus doceat, qui æternâ beatitate fruantur. E piâ quâdam sacri spiritus effusione hæc fateor à Chrysostomo pronunciata; sed re verâ ingens & maximum discrimen Episcopis omnibus imminere quis neget? D

Sup. p. 1. c. 31.

Hæc ea sententia est, quâ duabus epistolis ad Auximatem & ad Eugubinum Antistitem scriptis, eos Diuus Damianus exterruit, vt sæcularibus rebus, quibus studebant, postpositis soli Deo solique commissi gregis saluti vacarent.

D. Pet. Da. l. 4 ep. 4 5. & 8.

Eâ etiam in sententia est Diuus Hieronymus, quâ docet ab Episcopis vel innatâ vel voluntariâ negligentiâ torpentibus rationem etiam inquirendā, quâ se tam pernicioso vitio laborare agnoscentes Episcopali dignitate non se spoliauerint alterique sedem non concesserint vtiliùs & sanctiùs implendam? ad hunc ipse sensum ea Christi Seruatoris verba refert. *Serue nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, vt ego veniens cum vsuris exegissem illam: idest depofuisses ad altare, quod ferre non poteras. Dum enim tu ignauus negotiator denarium tenes, alterius locum, qui pecuniam duplicare poterat, occupasti.*

D. Pet. Da. l 1. ep 9

Luc. 19. 23.

His

His ni fallor, ea possunt accommodari, quibus indignatus D. us Sedeciam
A Palestinæ Regem apud Ezechielem verberauit: *Hæc dicit Dominus Aufer cydarim, tolle coronam*; Coronam idest Thiaram miser excute, quæ tuâ in fronte vilescit, sedem relinque alteri dignius occupandam; lituum alteri concede, quo diutius grex negligentiâ tuâ perdendus custodiâ alienâ seruetur. Ezech. 21. 26.

Cùm nocte quadam militares excubias inuisens illustris Epaminondas laureatus Thebanorum ductor, ex ijs aliquam inueniret altè soparatam., pugione extracto eam illicò vulnere læthali confecit, illud pronuncians: *Qualem reperi, talem reliqui*. Euennius item, cui gregis sui custodiam Apollo commiserat, cum in eo seruando dormitans ouem luporum ferociâ deuoratam perdidisset, in somni pœnam effossis populi sæuitie oculis, æternùm viuens obdormiuit: speculatorem simul, & Pastorem agit Episcopus, non Apollinei gregis, at Dominiei, non lapideæ vrbis, at spiritualis. An non igitur Diuini supplicij fulmine confodietur, si in suo grege custodiendo, si in vrbe tam pretiosa seruanda, somno luctuoso correptus inertissimè obdormierit? qui clausis oculis suo ministerio explendo B cœcutiuit, stygijs tenebris inuolutus æternùm cæcutiet. Quid vnquam hoc excogitari infœlicius possit? Quoniam autem in me solum (cæteri enim Deo fauente hac institutione non indigent) hæc aliaque huiusmodi admonita cadere possunt, illud mihi semper cordi inhærebit, quo Diuinus Spiritus Pastores omnes venustis metaphoris designatos informauit. *Fili si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus. Fac ego quod dico fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manu proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum, nec dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebra tua. Eruere quasi de mula, de manu, & quasi auis de manu aucupis. Vade ad formicam ò piger, & considera vias eius, & disce Sapientiam.* Io. Firmia. l. 3. stratag. c. 12. Merodat. 19.

C De mercedis excellentià, quà probati Episcopi erunt cumulandi. Cap. LXIX.

CVM vniuerso huic operi exordium dederit Episcopalis muneris amplitudo, iure meritò decet, ut meriti excellentia, & præmij magnitudo, quâ decorabitur, totum tandem opus absoluat. Quòd si negligentium Episcoporum desidiam, & ignauiam incommodis, & periculis, quibus obijciitur, excutere pro nostrâ imbecillitate contendimus, æquum pariter est, vt ad diligentiam omnem adhibendam æternæ beatitatis aspectu eos roboremus, & illarum lætitiâ vocum, quibus excipiendi à Deo in cælesti Regia erunt, eorum D animos impleamus. *Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*: nihil enim validius humanos animos ad quemcumque laborem extimulat, quàm propositi præmij magnitudo. *Præmijs magnorum virorum animi excitantur.* Matth 25. 21. An Ferro. 1 1.

Iam verò si meritum respiciamus, iure merito sacri Præsules ijs à Diuo Nazianzeno comparantur, qui procellosum pelagus enauigant: Asceras verò, & Religiosos viros ijs, qui continenti immorantur; securiores quidem hi sunt, at quò minus procellis obiecti, eò minus mercium lucro faciendo dispositi: cum fluctibus ventorumque ferociâ illi quidem colluctantur, sed quo periculosior via est, eò amplior acquirendarum opum spes eis affulget; hoc Hyerarchis potissimum est, *ob ingentes quæstus graue diuturnumque periculum subire*. Quò se magis inter regiminis molestias Episcopi immiscent, eò si cursus prosperè dirigatur, maiora & ditiora sunt lucra: sibi tantum, suæque virtuti religiosi viri viuunt; populis Præsules perficiendis vacant: quamobrem longè horum gradus illorum ordine perfectior est, Deoque gratior; cum lex potissima sit, vt vniuersali commodo D. Grego. Nazianzen.

modo

D.Chrisof. 16. de sacerd. modo priuatum sit posthabendum; egregiè igitur Diuus Chrysostomus; *si talem mihi adducas monachum, qualis (vt secundum exaggerationem dicam) Elias fuit, non tamen illi comparandus est, qui traditus populis, & multorum peccata ferre compulsus, immobilis perseuerat, et fortis:* optabile quidem est, pacis tempore Principi famulari, sed longè laudabilius inter bellorum tumultus, pugnarumque discrimina eidem militare; supplicijs vltroneis corpus affligare gratum quidem Deo est, sed longè gratius mentem curis, & molestijs cruciare, eosque exarmare, quos vitiorum seditio, & scelerum furor in Numen ipsum obarmat; eundem rursus audi Chrysostomum. *Si quis mihi daret optionem, vbi mallem pascere, in officio Sacerdotali, an in solitudine Monachorum, sine comparatione eligerem illud, quod prius dixi. Si quis cum benè administrato Sacerdotio illius propositi, scilicet monachalis, sudores conferat, tantùm eos distare reperiet, quantùm inter priuatum distat, & Regem.* A

Elegantior quidem, & venustior eorum, qui cælestium contemplationi vacant Rachel est, quàm Episcoporum Lia; hæc tamen fœcunda est, illa verò sterilescit: suauius quidem, & tranquillius cum Magdalenâ sedes, at vtilius, & & copiosius eum Marthâ operaris; dum enim, vt alienæ vtilitati labores, diuinę contemplationis quietem omittis, lucraris, tibique simul, & alijs vtili labore D Prosp. de vit. con. temp. c. 16. discedis; fidem his facit Diuus Prosper. *Qui pro multis occupatur, vt alijs proficiat ac Deo vacet; profectus illorum, eius fructus est, et qui sollicitudines omnium portat, in ipsis proficientibus proficit, & gloria illorum gloria eius est.* B

Si quæ religiosæ leges statuerint, fideliter exequantur Ascetæ, Dei quidem serui sunt: Dei sunt vicarij, & coadiutores Episcopi, si suum ritè munus exerceant; quàm benè vix orbi natus Saluator Christus hæc approbauit? primi enim, quos ad sui cognitionem, & cultum aduocasset, non vtique Purpurati Reges Sabeæ fuerunt, licet opes, & munera secum afferrent, sed Pastores fuere suum D. Bruno. gregem custodientes; non Principis, at Pastoris nomen, & munus Christus affectat; Brunoni viro Sanctissimo hæc debes: *Natiuitas eius primum pastoribus nunciata est; decebat enim, vt omnes eiusdem officij ipsi primo venienti occurrerent.* C

Quàm prope immensum, & exundans eorum meritum est, qui in erigendis ad Diuini cultum nominis sacris ædibus suas opes viresque suas impendunt? Quæ tamen comparatio potest institui inter lapidea templa, & populorum animas, quę spiritalia Dei templa sunt, tantique pretij, vt earum singulis celeberrimam DChrysof. or. 2. contrà Iud. tom. 1. 1. Cor. 6. 15 Hierosolimitani Templi molem Deus ipse posthabeat. *Vnicum templum diruit Deus Hierosolymis, & innumerabilia erexit illo longè venerabiliora: vos inquit, templum estis Dei viuentis.* Sic Chrysostomus.

Quàm ingenti meritorum affluentiâ ille cumulatur, qui suas pauperibus opes manu pietatis elargitur: tam enixè eas Christus diligit, vt eas ipse Christus è pauperum manu testetur excipere; verùm longè Deo gratius opus est animarum saluti studere; ex his vna, quæ Dæmonis manu erepta Deo conditori reddatur, vniuersis è toto orbe collectis opibus, & in pauperum subsidium erogatis ante- D. Chrisof. vbi sup. cellit; miraris & hæres? Do Chrysostomum: *nam etiamsi pecunia vim immensam dinumerauerit aliquis, nihil simile præstiterit ei, quod præstat is, qui seruat animam. Hæc est maior eleemosyna, quàm decem millia talentorum, quàm hic mundus vniuersus, quantus vndique patet oculis.* Si quidem homo est toto mundo pretiosior, huius enim causa, & cælum, & terra, & mare, & sol, & stellæ conditæ sunt. D

Quin, cùm Episcopale munus Crux quædam sit, continuo grauique onere Episcopi terga fatigans, pręcipuè dum in praeduri populi vitia, Principumque obstantium vires pugnandum est, an non quandam martyrij speciem refert, & ipsorum, martyrum patientiâ, & fidem exuperat? exaggeratè forsan pronuntiata si existimes, D. Chrisof. hom. 9. in ep ad Rom. in sua moral suo calculo Chysostomus roboret, qui ea Apostoli verba perpendens, quibus de obseruantiâ Episcopis habenda subditos admonet, *Ipsi enim peruigilant animabus vestris tanquam rationem reddituri*, voce illâ *peruigilant* ingentes curas molestiasque designari docens subdit. *Bonus enim Pastor, et talis qualem Christus vult, cum innumeris componi potest martyribus: si quidem martyr semel propter ipsum moritur: hic verò millies propter gregem, si modo talis sit Pastor, qualem esse oportet.*

§. I.

§. I.

A CVM igitur ad meriti mensuram se merces accommodet, immensa pro- Sup.c.5.§3
pemodum hæc erit iuxtà illius magnitudinem. Ex his aliqua in Tertiæ hu-
ius Partis Quinto Capite delibauimus; pleniori iam oratione cuncta placet affer- D.Gregor.
re. quàm optimè de Episcopali munere ait Diuus Nazianzeuus, *quod est curarum* Naz or.25
simul, & coronarum societas: cui consonat Diuus Augustinus, qui labores, vigilias, D.Aug.ep.
discrimina hinc enumerans, & præmium illinc expendens, quo coronanda 244.
æternùm erant, ad Valerianum, quem suæ Hipponensis Ecclesiæ Coadiutorem re- c. ante omnia 40.
nunciauerat, scribens ait: *Nihil est in hac vitâ, & maximè hoc tempore difficilius,*
laboriosius, periculosius Episcopi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo milite-
tur, quo noster Imperator iubet.

Maxima primùm ea merces est, quâ viuentes adhuc donantur Antistites.
Deus immortalis! an non merces magna omnibus videatur in populorum sa-
lute comparandâ, se Christo eidem associare? eiusmodi gregem seruare, cuius
B pastor Deus ipse vocatur? eam excolere vineam quam suo labore exercuit, suoq;
sudore irrigauit cælestis agricola? hine operarij illi, qui Patrem familias obiur-
garunt, eò quòd, cùm per totam diem in vineæ cultu elaborassent, eadem merce-
de donati fuerint, ac ij, qui vnam tantùm horam in eodem labore impenderunt,
corrępi meritò fuere, eò quia labor ipse maior in re diuina præstitus maioris
mercedis loco habendus sit; *Hoc ipsum amplius laborare, ampliori loco mercedis*
habendum est: ità Nazianzenus: molestiæ, angores, discrimina ipsa præmij pars DGregor.
sunt, quod Apostolis Christus spopondit. *Nunc in tempore hoc cum persecutionibus.* Naz. or.40
hoc sanè tantum & tam pretiosum D. Ambrosio visum fuit, vt fœlicitas ipsa in eo Marc. 10. 30:
habeatur: *Habet ergo in se remunerationem suam qui sequitur Iesum, & in suo affectu* DAmbr. l.
præmium: etiam si dura sustineat, beatus est suis moribus, beatus ipsis periculis. Sic ille. Iacob. c.7.

Hinc ad Theonium Episcopum scribens Diuus Isidorus Pelusiota, pernenustâ
dicendi forma hoc idem exprimens, suo magistro Chrysostomo videtur adhæsis-
C se. *Nam si verè studio virtutis, atque amore tenereris, scires profectò etiam submota* D.Isid. Pe-
mercede, & coronam, & decus, & ornamentum esse, ac mercedem in se ipsam habere. lus. l.1.ep.
Quàpropter ad Corinthyos scribens Diuus Paulus ait, quòd è tam laborioso 184.idem in subsit.
studio, quo licet absens eorum vineam excolebat, nullam aliam ipse mercedem D.Chrisos.
vnquam exegisset, quàm ipsum eundem laborem. *Quæ est ergo merces mea? vt* in ps 3.
euangelium prædicans, sine sumptu ponam euangelium. 1Cor.6.18

Maximo erunt hæc solatio Episcopis illis, qui tenui censu à regimine sacro
donantur: nec enim mercenarij loco militis habentur à Deo, sed ex ijs censen-
tur, qui tanquam honorarij bellatores ei famulantur; sic victoriæ præmium
Abrahæ à Sodomæ Rege oblatum ipse reiecit; è Diui Ambrosij sententiâ, *plu-* DAmb. l.1
rimum refert vtrum pecuniæ, an gloriæ spe dimicaueris, alter mercenarÿ loco ducitur, de Abra-
alter dignus habetur conseruatoris gloria. han.c.3.

Alterum hîc præmium mihi manet explicandum, quod in eo versatur, vt dum
D subiectis populis Episcopi consulunt, quæ in illos effundunt beneficia, refluent
in se ipsos; compendiaria ad virtutis possessionem via hæc est, si nempe alienæ vir-
tuti studueris; fieri enim nequaquam potest, vt qui flammas ad alios accendendos
tractat, ipse frigescat, & turpi quiete obrutus iaceat, qui ad cursum alios vrgeat.

Verum, vt è temporanea ad æternam mercedem, & è terris ad Cælum gra-
dum faciamus, quæ vnquam eloquentiæ copia, aut ingenij vis eam assequi po-
terit æternæ gloriæ beatitatem, quâ eos bonitas Diuina donabit, qui in populo-
rum commoda, & salutem suas animi corporisque vires impenderunt? si ad vnam
ouem recuperandam cælum ipsum, è quo tamen non abijt, Diuinus Pastor dere- Matth.12. 11.
liquit; si ad perquirenda deperditam hanc pretiosissimam gemmam, Christi corpo- Luc. 15. 8.
rati Diuinitas *accendit lucernam, & euertit totam domum*; si ad inæstimabile hoc
margaritum possidendum, Diuinus ille mercator *dedit omnia sua, & comparauit*
eam; quâ nam remuneratione cumulabitur, cuius opere tam concupita, & pretiosa
ipsi seruantur?

An non effusissimè beneficus in eos Princeps ille esset, qui suum ærarium di-

uitijs ingentibus locupletaret, vel subactis prouincijs suum amplificaret imperium? benè est: dum animas Deo vel acquirit, vel seruat Episcopus, thesauros A
D. Gregor. Naz ho. 1. de pace. acquirit & seruat: è Diui enim Nazianzeni sententiâ, *Deus nos pro suis diuitijs habet*, tot regna Deo subijcit, quot animas conuertit, in quibus regnum ipse suum
Luc. 17. 21. agnoscit, *Regnum Dei intra vos est*: harum certè tantùm vna regnorum omnium
D. Chrisost. ho. 3. in 1. ad Cor. maiestati præcellit; quàm sapienter Chrysostomus, *Nihil est quod animæ possit æquari, nec vniuersus quidem mundus*: eas voces magnus idem orator expendens, quibus ter Petrum mundi Saluator percontatus fuit, *Simon Ioannis amas me? Si*
Ioan. 21. *amas me pasce oues meas*, ait, non tantùm his anxiam animi curam significari, quâ eius grex esset custodiendus, sed ingentem etiam & maximam indicari mercedem, quâ pij, probatique Pastores erunt coronandi; hinc autem sequitur, *co-*
D. Chrys. l. 1. de sacerd. *piosam atque ideò immensam mercedem illum expectare, qui consilium, curam, cogitationem, atque operam in ijs suam ponet, quæ quidem magno apud se in pretio, atque existimatione Christus esse voluit*.

Illustrius hoc ipsum diuinus Magister patefecit, cum sciscitanti Petro respon-
Luc. 12. 41. Matt. 24. 45. dens ait, *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus* B
super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? adamussim hic Episcopi munus exprimitur, iuxtà Sanctorum Patrum, & Diui potissimum Hilarij
D. Hilar. in Matth. c. 26 in fin. mentem, cuius ista verba sunt: *Quanquam in commune non indefessam vigilantiæ curam adhortetur, specialem tamen populi principibus, id est Episcopis, in expectatione, aduentuque suo sollicitudinem mandat. Hunc enim seruum fidelem, atque prudentem præpositum familiæ significat, commoda, atque vtilitates commissi sibi populi curantem*: Quânam igitur mercede laborans Episcopus erit donandus? *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum*; fidem suam spondet Deus, & sacramento se obstringit, ad omnia ei sua bona elargienda, hoc est, vt Origenes explicat, *congregabit cum Christo, cui omnia Pater tradidit*.

Duplicia Dei bona sunt; exteriora scilicet, quæ in creatis rebus versantur, & interiora, quæ in Deo ipso inueniuntur, Sapientia nempè, Bonitas, Potentia, aliæque diuinæ Maiestatis dotes & ornamenta: vtraque Deus pijs Episcopis impertiet, adeò vt non ipsa tantùm possessuri sint bona, quæ extrà Deum sunt, C
sed illa pariter, quæ Deus ipse complectitur, vt simul cum ipso Deo eorum possessione beentur: si autem è luctâ cum Angelo habita Israel Iacob appellatus fuit,
Genes. c. 28 *hoc est dominans Dei*; multò dignius Israelis nomine pij compellabuntur Antistites, hoc est ipsius Vniuersi dominantis dominantes.

In melleo fauo designatur hæc gloria, quem præ omnibus dulcissimum Diuus
Sur. tom. 3. in vita S. Paulini c. 8 Paulinus Nolanus Antistes iam cælo donatus manu gerens degustandum dedit Neapolitano Hierarchæ Ioanni, vt eum ad eiusdem fruitionem alliceret. Corona hæc est, quam radiosis vndique gemmis redimitam Salomonis ore Deus Episcopis post peractum huius vitæ stadium spopondit, *Diligenter agnosce vultum*
Prou. 27. *decoris tui, suosque greges considera: non enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur in generatione, & generationem*; quæ rursus ijs verbis confirmauit Apostolorum antesignanus Petrus. *Pascite, qui in vobis est gregem Dei, prouidentes*
1. Petr. & deinceps. *non coactè, sed spontaneè secundum Deum, non turpis lucri gratia, sed voluntariè. Et* D
cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.

Regalis hæc excellentia est, ad quam efferendi sunt, qui tam exemplo, tùm
Math. 5. 19 verbo populorum animos excoluerint, *hic magnus vocabitur in regno Cælorum*: nec enim tantum Præsules ea qua Christi fideles donabuntur mercede, sed singulari quadam, & illustriori gloriæ dote ditescent, qualis eos decet, qui fideliter
Raban in c. 24. Matth & laboriosè Dominicum gregem custodierint. *Vt æterna præmia habeant tùm pro sua vita, tùm pro gregis custodia*.

Sur. 6. febr. Satis hoc in Diuo Amando Traiectensi Hierarcha Deus indicauit; hic enim statim ac sanctam vitam morte peregit, Diuo Aldegundo spectandum se dedit cælestis beatitatis diademate irradiatum, ingentique fulgentium animarum numero stipatum, quas ipse laboribus & vocibus suis per arctam virtutis viam ad Cælum adduxerat. Quænam Regia vel Cæsarea corona, cælesti hoc diademate pulchrior & pretiosior scintillauit? non fanè, ni fallor, errauerim, si dixerim

hæc

hæc illa diademata esse, quibus vigintiquatuor seniores, qui Antistitum instar
A ad diuinitatis solium Pontificijs indumentis ornati adstant, præcinguntur. *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum corona aurea*: hi pariter augustam nominis Maiestatem adorantes, de collatâ eis sacrâ dignitate obsequium simul & gratias exhibebant: *Adorabant viuentē in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, &c. fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes.* Apocal. 4. Apoc. 4. & c. 59.

Quòd si Theologorum suffragio decem in orbes Empyrei sedes distinguitur, & in alios rursus orbiculos decem illi maiores orbes secernuntur, quàm excelsa reliquisque sublimior Episcoporum sedes erit, quos Deus vt Imperij sui magnates, suæque aulæ infulatos Senatores coram se recipit & adscribit?

Ad posteritatis documentum simul & solatium hæc Danielis voce Deus olim promiserat: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates*: vbi tres beatitatis gradus excellentiâ dispares doctis à viris exprimuntur: pij enim viri sed in- Daniel. 12. 2.
B docti cæruleo orbe, pij simul & docti firmamenti splendore designantur; sed qui tùm pietate, tùm doctrinâ ad aliorum vtilitatem laborauerint, stellarum instar supremâ radiantes in sede coruscabunt; meritò enim stellis ij comparantur, qui populos ad Dei cultum attrahentes, stellam illam æmulantur, cuius studio ad diuini pueri cunas adorandas Magi Reges accurrerunt.

§. II.

Speciosissimo huic diademati, Aquinate docente, supremi Sacerdotij laureola superadditur, quæ in gaudio quodam & adiunctâ voluptate versatur eo præsertim titulo affluente, quòd scilicet ab æterno interitu populos seruatos cælesti beatitati donauerit. D. Thom. in supplem. q. 96. ar. 1. 1. corp.

Nulla inquam pretiosior & lucidior è contextis coronis ea fuit, quam Ciui-
C cam dixere Romani, iisque largiebantur, qui Romanum aliquem Ciuem imminente à morte seruauerant: suam alacres vitam vulneribus obiectabant, suum hilares sanguinem effundebant, vt fronti suæ gramineam banc Coronam gemmâ qualibet pretiosiorem compararent. Quantò igitur illustrior, quantò speciosior ea corona fuerit, quam non ex vno tantùm sed pluribus, non è breui, sed immortali morte seruatis sibi præcinget Antistes? Ità sanè est, ait Diuus Gregorius. *Si magnæ mercedis est à morte eripere carnem, quamquam morituram; quanti est meriti animam liberare in cælesti patria sine fine victuram?*

Verum hæc mihi scribenti quantus erubescendi campus reseratur, cùm longè adeò ab huius spe præcingendæ coronæ discedam; nec enim Episcopis adscripta merces, donanda ijs est, qui nomen tantùm gerunt, sed munus non implent Episcopi. Dum tot sanctorum Antistitum, qui Eugubinæ huic Ecclesiæ præfuerunt, nomen veneror, & meditor beatitatem, Neantho me comparandum
D arbitror, qui cum Orphei prædulcem, & admirandam Lyram hæreditatis sibi traditę titulo suscepisset, tam inepto & inconcinno motu fides eius pulsabat, vt ad earum sonitum non traheret feras, sed ipsam canum lenitatem exasperans, eorum rabiem adeò excitauerit, vt ferocissimo morsu laceratus obierit; E vero animi sensu mihi ea pronuncianda sunt, quæ humillimus Gregorius de se exarauit. *Cum igitur tot Pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negocium vacui redimus, qui pastorum nomen habuimus, & oues quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus? hic Pastores vocati sumus, & ibi gregem non ducimus.* D. Gregor. hom. 17. in Euang.

Mi amantissime Deus. *Qui dabit mihi pennas sicuti columbæ, & volabo, & requiescam?* Quando nam is fuerim, vt abiecta hæc dedignatus cælo totus adhæream? Quando nam Diuino amori me totum immolauerim, iisque alliciar muneribus, quæ mihi Deus amantissimus liberali munere præparauit? Quò anima raperis, quò te sæculi pompa distrahit? è caducâ, & paupere mundi manu quid optas, quid speras? Præ lucis excellentiâ, quæ illustris æternùm indueris, cali- Psal. 54. 7.

gant & denigrescunt omnia, quæ tibi mundus exhibet, purpurarum, & principatuum ornamenta! Quin, si ex ipsis Solis splendoribus intexenda tibi corona esset, quàm vilis, & tenuis hæc esset, si cum eâ conferatur, qua pij Episcopi Dei manu donabuntur. A

Quæ Sodomorum Rex victori Abrahæ præmia præparauerat, generosus Abraham reiecit, vt potè longè minora ijs, quibus à Deo tantùm ipse ditescere cupiebat; hinc protinus ea retulit à Deo, *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis*: caducis, & fluxis bonis immortalia æternaque præposuit, Deoq; vni alia cuncta posthabuit; *Quoniam sibi mercedem ab homine non quæsiuit, à Deo accepit*: sic Ambrosius. Quanta autem, quàm excellens, quàm augusta merces hæc fuit? quid illa excogitari nedum inueniri grandius vnqnam potest? ipsimet Deo, ad cuius aspectum tota hæc vniuersi moles athomi instar est, visa fuit, & dicta *magna nimis*, an non audax ego fuerim, si in eâ longius explicandâ voluerim immorari.

Genes. 14.

D. Amb. de Abraham. c. 3.

Ad eiusdem aspectum Regios fasces, diadema Regium repulit Moyses, & Pharaonis iuduendam purpuram Aegyptique thesauros calcauit. *Aspiciebat enim in remuneratorem*. B

Ad maxima quæque dignitatis humanæ fastigia peruenerat Dauid, innumeros sibi populos pace sibi, & bello subegerat; clarissimum vndique eius nomen resonabat, omniaque abundè ea posidebat, quibus vsque ad voluptatem, & delicias frueretur; nihili tamen tanta hæc blandientis fortunæ dona ipse faciebat, eam contemplatus mercedem, quæ cælesti in aula ipsi affulgebat: hinc ea vocum dulcedo; *Quid enim mihi est in cælo; & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Vnum, & hoc præmium vir admirandi semper nominis Augustinus intendit; licet enim aliàs ad opum, ad deliciarum, ad famæ incrementa totus erectus animo velificaretur, suoque augustam nomini ducens Africæ regionem, ad maiorem gloriam aucupandam in Italiam transmigraret, Romæque tanquam in orbis, & vrbis miraculo spectandum se daret, è cælestium contemplatione sapientior factus, vni tantùm Cælo, vni Deo posidendo tota animi contentione vacauit, nec aliam in tot effusis in regimine sacro sudoribus, è tanto laborum Oceano enauigato, mercedem anhelauit, præter Deum; do eius verba Diuino quodam stylo exarata. *Auge desiderium, & da quod peto; quoniàm si cuncta quæ fecisti mihi dederis non sufficit seruo tuo, nisi te ipsum dederis. Da ergò te ipsum mihi Deus meus, redde te mihi*. C

Psal. 72. 27

D. August. Solil. c. 1.

Vestigijs Augustini quàm sapienter Aquinas Magister adhæsit; cùm enim de suis laboribus in tàm elaboratis voluminibus expoliendis exantlatis quæcumque illi merces à Deo exhiberetur, *Benè scripsisti de me Thoma, quam ergò mercedem habebis*: Midæ thesauris, Xerxis imperio, Cyri famâ, Salomonis delicijs reiectis, vnum tantùm sibi mercedis loco Deum ardentissimè postulauit. *Non aliam nisi te Domine*.

Hoc igitur & nos Reuerendissimi Præsules exoptemus, & intendamus præmium, ipsisque Dei thesauris posthabitis, Deum tantùm votis ardentissimis amplectamur; sapientissimum illud, & simul Diui Athanasij formidandum acroama nostris animis stylo nunquam delebili inscribamus, quo ad suæ metropoleos suffraganeos scribens pios simul, & prauos Antistites informans futura vtrisque euenta cælesti lumine imbutus auguratur. *Pastores, qui Dei præcepta vel propter reuerentiam, & metum, vel propter charitatem animo seruauerint ad dextram positi incredibili splendore fulgebunt: qui verò non seruarint ad sinistram erunt ad omne genus cruciatuum damnati; & quod est omnium intolerabilissimum, atque acerbissimum, procul à conspectu Dei eiecti, & perpetuo conscientiæ morsu agitati; rursus verò qui munere pastorali rectè defuncti fuerint, coram Angelis, & hominibus laudabuntur, vt potè probi fideles, & prudentes, atque grati, quique sal, & lumen fuerunt hominibus, nihil quod vtile, atque commodum esset prætermittens, quod non verbis solis, sed factis, & virtutes tradiderunt, & vitia expulerunt, cunctis præcipientes, vt declinarent à malo, & facerent bonum*. D

D Atanas. ep. ad Episc. ad Dioces. suas profi. ciscens.

FINIS TERTIAE PARTIS.

INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

Excom-

Pauli

F I N I S.

RE-

Regeſtum Primæ Partis.

§ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll. Omnes ſunt duerniones.

Regeſtum Secundæ Partis.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr. Omnes ſunt duerniones, præter Qq quod eſt folium ſimpex, & Rr ternio:

Regeſtum Tertiæ Partis.

• A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vv Xx Yy Zz Aaa Bbb Ccc Ddd. Omnes ſunt duerniones.

ROMÆ, M. DC. LXX.

Ex Typographia, & Sumptibus, Nicolai Angeli Tinaſſij.

SVPERIORVM PERMISSV.